144
8 9
71361 –
26



D. Marot inv. J. Gole Sculp

AMŒNITATUM
EXOTICARUM
POLITICO-PHYSICO-MEDICARUM
FASCICULI V,

Quibus continentur

VARIÆ RELATIONES, OBSERVATIONES & DESCRIPTIONES

RERUM PERSICARUM
&
ULTERIORIS ASIÆ,

multâ attentione, in peregrinationibus per univerſum Orientem, collectæ,

ab

AUCTORE

ENGELBERTO KÆMPFERO, D.



LEMGOVIÆ,
Typis & Impenſis HENRICI WILHELMI MEYERI, Aulæ Lippiacæ Typographi, 1712.

DS
7
K34
1712
c. 1
SCNHRB

148639

ILLUSTRISSIMO CEL-
SISSIMOQUE

COMITI AC DOMINO,

DOMINO

FRIDERICO

ADOLPHO,

DEI GRATIA

COMITI REGENTI

ac

NOBILIORI DOMINO

LIPPIÆ, &c.

SUPREMO DOMINO

VIANÆ & AMEYDÆ,

&c.

BURGGRAVIO HÆREDITARIO

ULTRAJECTI,

&c. &c.

ORDINIS REGII BORUSSICI

AQUILÆ NIGRÆ

EQUITI,

DOMINO SUO GRATIO-
SISSIMO.

ILLUSTRISSIME ac CELSISSIME COMES,

DOMINE GRATIOSISSIME!

Spolia ex Oriente fero, & ad pedes CELSITUDINIS TUÆ *devotiſſimâ mente ac manu depono: non ea Palladias ægides, phale-*

ratos

ratos equos, aut rapta ex Colchide vellera aurea, qualia fortaſſe Martio hôc ævô Principibus debentur & in pretio ſunt; ſed Faſciculos chartaceos Curioſitatum & Notitiarum, quas per Aſiam univerſam, cum impendio floridæ ætatis meæ, laborioſè conquiſivi. Chartaceos dico, adeoq; ponderis aut pretii vix æſtimandi: dignos tamen atque congruos, quos TIBI, CELSISSIME COMES, *& neſcio an cuiquam alii, ſacros conſtituerem:* TIBI, *qui, togatâ non minùs quàm ſagatâ virtute inſtructus* Heros, *& arma & literas pari lance æſtimas & amore complecteris. A quo enim tempore, relictis caſtris,* TE *Patriæ & gubernaculo magni Comitatûs* TUI *reddidiſti, non rarò his* IPSE *ſtudiis humanioribus edulcare curas regiminis*

nis, & ſelectiſſimæ bibliothecæ Tuæ redivivo cum ardore & voluptate animi vacare, glorioſè ſoles. Quò minùs dubito, quin præſentem opellam, velut humilimæ ſubjectionis teſſeram, atque grati animi, pro innumeris à CELSISSIMA DOMO TUA *acceptis beneficiis, ſacrificium gratioſè accepturus ſis. Jovi Maxumo, cui nil niſi magnum atque eximium debebatur, præ ceteris placuiſſe, legimus, priſcorum gentium ſacrificia, in quibus frugum primitias libaverant: Cui* CELSITUDO TUA *Divino exemplo æmula has quoque frugum Orientalium primitias meas, & operum, quæ propediem daturus ſum, præludia Gratioſè reſpiciet; & tenuitatem meam porrò Gratiæ Suæ radiis clementer fovebit, ut ætas mea jam ver-*

gens, & multis detrita fortunæ injuriis, ſub umbone Gratioſæ protectionis Tuæ requiem inveniat. Ego interim pro immortali vigore INCLYTÆ DOMUS LIPPIACÆ *votis ac precibus, & pro ſalute corporum Veſtrorum, quoad* CELSITUDINI TUÆ *placuerit, omnibus viribus meis, prout par & mearum partium eſt, vigilare non ceſſabo,*

dum ſpiritus hos regit artus.

CELSITUDINIS TUÆ,
ILLUSTRISSIME COMES, &
DOMINE GRATIOSISSIME

devotiſſimus

E. Kempfer, D.

PRÆFATIO.

Octodecim anni ſunt, cum ab *Indis* in patriam appuli; non lucri & mercium ſpoliis, ut ſolent reduces, ſed chartis onuſtus, quibus exoticas notitias, in variis regionibus, multo labore, ſumptu ac periculo conquiſitas, enotaveram. Has protinus exponere publico conſtituebam aliquot voluminibus librorum, in quibus, præter diſpoſitionem & connexionem, paucis menſibus abſolvendam, nihil ad perfectionem deſiderabatur, quàm ut Icones illis adderem, æri priùs incidendas, ſine quarum lumine & adminiculo exotica difficilimè intelliguntur. Verùm, trecentæ me excipiebant & à ferventi propoſito abducebant occupationes & impedimenta: nam vix appulſum curæ rei domeſticæ, hôc cœlo difficiles, implicabant, & praxis medica (à quâ inpoſterum deſiſtere conſtitueram) invitum obruebat laborioſiſſima. Addo, quòd *Illuſtriſſimus*

Dominus ac *Comes Regens Lippiæ, Dominus meus Clementiſſimus* tenuitatem meam Illuſtriſſimæ Domui ſuæ archiatrum gratioſè conſtitueret: quod ipſum, etſi mihi ſingulari honori ducam, nec præter vota contigerit, otii tamen mei & vitæ, ut par eſt, majorem atque præcipuam ſibi vendicabat partem. Hinc mea ſpolia ſemota ſunt & in ciſtas recondita: in quibus hactenus magno meo dolore ſepultâ jacuêre, donec nuper aliquâ functionis parte levatus, ſubſecivas quasdam horas recuperaverim, & cum his animum propoſitumque, chartas meas, jam à blattis tineisque roſas, mucidas & ex ſalo, quo in naufragiis olim inundata fuerant, magnâ parte exterſas, ab interitu vindicandi. Quod ipſum dum ſtatuo, placet præſente opellâ earum quaſi γεῦμα quoddam & rudimentum præmittere, ex quo Benevolus Lector notitiarum mearum varietates prænoſcat; imitaturus inſtitores noſtros, qui ex emporiis redeuntes, mercium ſuarum ſpecimina exponunt, quibus emptorum explorent deſideria. Urbanè *Ulyſſes* apud *Euripidem*, ubi Sileno vinum venditurus: *Vin tu*, inquit

quit, *priùs guſtare, quod feram?* Cui ille: *ita par eſt, nam guſtus emptorem vocat.* Ad guſtum igitur, ſi ſpecimina eſſe comperero, evolvam propediem ipſum apparatum, & ex eo offeram bibliopolis: 1. *Japoniam noſtri temporis*, in quarto, ut vocant, edendam Teutonicè, cum imaginibus plus minus quadraginta; 2. *Herbarii Trans-Gangetici ſpecimen* in folio, Latinè cum Iconibus circiter quingentis; ſi prius Cl. Dni *Rumphii Hortus Amboenſis* publicam lucem viderit, ne ab eo acta agam & ſylvis inducere ligna videar; 3. *Hodœporicum tripartitum* in folio, cum figuris totidem, quot editoris ſumptus tulerint; optionem ei daturus, an illud Latino, an Germanico, an verò Belgico idiomate edi debeat. Adhuc enim indigeſtum, ſed plenum opus eſt, variâ linguâ promiſcuè in Diariis meis conſignatum. Continebit hoc ipſum *partes tres*: quarum *prima* exponet res Ruſſo-Tartaricas; *altera*, Aſiæ citra Gangem; *tertia*, Aſiæ ultra Gangem; ſecundum exantlati Itineris mei ſeriem, quam Benevolo Lectori breviſſimis hîc exponam, ut, quarum rerum ac regionum noti-

tias à me expectare poſſit, intelligat. *Legationi* à Sereniſſimo Suecorum Rege, Anno 1682. inſtructæ à *Secretis*, diſceſſi *Holmiâ* per *Finniam*, *Livoniam*, *Ruſſiam* ad *Aulam Moſcoviticam*. Expeditis in illâ negotiis, per Tartariæ *Caſanenſis* & *Nagaicæ* tractum, transmiſſo mari Caſpio, feror in *Mediam*: in cujus metropoli Sjamachiâ dum Comitatus trimeſtri otio ſe reficit, ego privatis peregrinationibus excurro ad loca alia. Ad *Aulam Perſicam* evocati per *Hyrcaniam Parthiamque* ducimur ad Regiam Isfahanenſem; intra cujus pomœria biennium degimus, dum ego interea privatis excurſionibus ſubinde vaco. Tandem à dimiſſâ Legatione me expediens, cogito in Ægyptum, vocor in Georgiam archiater, & variis conditionum oblationibus laceſſor: Sed prævaluit ſuaſu Reverendi ſenis, Patris *du Mans*, Capucini ac Regii interpretis, invitatio architalaſſi Batavorum, qui claſſe ſuâ Ormuſienſem Sinum infeſtabat. Depoſitis armis in *Arabiam*, inde in *terras magni Mogolis*, *regna Malabarica*, *Ceylanam*, & *regionem Sinûs Gangetici* concedo. Deinde ſecundum littora *Summatræ* in

Ja-

Javam deportatus,& ex ejus metropoli in ulteriores Provincias atque Inſulas progreſſus, tandem *Siamenſem Aulam* viſito. Inde Cambodiâ, Sinâ auſtrali & adjacentibus regionibus per tranſennam inſpectis, *Japoniam* aſſequor, ultimam Orientis Thulen. Integro ei *biennio* nequaquam otioſè, *Aſiæ* verò *decennio* immoratus, factô reditûs compendio, per oceanum revertor in *Belgium*, exacto in mari uno anno, exceptis paucis hebdomadis, quibus *Africani promontorii* ſolitudines permigravi. Hos inquam Orbis tractûs Itinerario perſequor: ex quo ipſo prodromi hujus miſcellaneas Deſcriptiones & Obſervationes majorem partem exprompſi ac compilavi; ita tamen, ne illud depauperaverim, nec contigerit ei, quod ſolet Hortis anguſtioribus, in quibus avulſis paucis floſculis, caules ſaltem & folia remanent. Si verò totum Hodœporicum in particulares hujusmodi Relationes diſcerpi atque huc tranſcribi volupe ſit, in permultos Faſciculos tractatus hicce diſtendi poſſet: ſed præſtat ipſam aliquando integram exhibere machinam, quàm ejus cæmenta.

Pro-

Prodromum hunc, ob jucundam materiæ varietatem, cujusque facultatis cultori legendam, titulo *Amœnitatum* inſignio. Nihil ex ingenio meo ficti in illum retuli; nihil quod ungues ſapiat & lucernam oleat; nec crambem recoquo ab aliis coctam, (niſi id methodus & connexionis ratio exigat) ſed illis omiſſis, quæ ab aliis relata ſunt, ea ſaltem deſcribere ſatago, quæ vel nova, vel haud intimè & plenè ab aliis tradita ſunt: Peregrinanti quippe non alius fuit ſcopus, quàm ut rerum vel nusquam nobis, vel non ſatis cognitarum notitias conquirerem. Unde nunquam me tæduit multorum dierum devia ingredi, etiam cum ſalutis meæ diſcrimine, dummodo labori merces obtingeret deſideratæ rei, memorabilis, vel in foro philoſophico controverſæ, adinventa quædam cognitio. Quantulacunque igitur fuerint vel videantur Aſiatica hæc mea ſpolia, multis ſanè mihi conſtitêre laboribus & impenſis.

Duo autem in hôc tractatu habes, L. B. quorum inconcinnitatem accuſare poſſis; Styli videlicet & Iconem quarundam. Stylus, fateor, paſ-

paſſim inæqualis eſt, & hiſtoricæ relationi vix conveniens. Hunc ita ſors itineris genuit, quæ viatori, manu otioſâ & animo tranquillo quicquam ſcribere, non permiſit. Quis enim peregrinantium non videt occupationes? dum indies ſarcinæ convaſandæ, ſolvendæ, transvehendæ, à furibus & prædonibus tuendæ ſunt; dum hoſpitium vix ingreſſis, turba hominum obſtrepit, ad ſpectandum hoſpites Europæos confluens; dum mari vectis epibatarum inſani clamores, tempeſtates cœli, & ipſius navis temulenta fluctuatio, calamum impediunt; ut ingruentes taceam caſus, qui ſcriptionis ſeriem ſubinde interrumpunt, & plus ultra cogitantium animos curis & difficultatibus implicant. Hæc inquam negotiorum atque animi varietas, ſtyli inæqualitatem peperit, ad quam corrigendam nec otium mihi nunc, nec, à longis ſtudiorum induciis, ingenium ſuppetit. Alterum, culpæ chalcographorum quorundam tribuo, quos nactus fui rudes & moroſi ingenii; imagines enim meâ manu accuratè & ad typum, ſed diverſâ magnitudine, delineatas, dum in decentem formā, ex majori vel minori reducere debebant, ita deformârunt, ut, niſi

ad illuſtrandas res omnino eſſent neceſſariæ, eas, velut libri dedecus, repudiarem. Atque hæc cauſa eſt, cur *ſextum Faſciculum*, videlicet *Epiſtolarum* mearum ad *Viros in Aſiâ eruditos*, planè omittam; diſſerunt enim de iis rebus, quæ ſine iconibus, accuratâ manu & me præſente ex ſculpendis, non intelliguntur. Hinc etiam retinui ad Faſciculum I. ſpectantes Planographiam urbis *Isfahani*, à me trimeſtri ſtudio laborioſè conflatam; delineationem Regiæ viæ *Tſjahaar baag*, adjacentiumque Hortorum, præſertim τῆ *Hadſar dſjeriib*, domuumq; in iis extantium; Icones quadrupedum in urbe & theriotrophiis Regiis ſpectabilium; ad Faſciculum quoq; II. ſpectantes multas Inſcriptiones & Icones ſpeciales ex Perſepoli antiquâ; tum novam & accuratam Japoniæ tabulam geographicam, pluresq; alias Faſciculo III. & IV. appropriatas, quas nunc reſervo in ſpem melioris occaſionis. De xylographo meo idem, quod de chalcographis, conqueror. Sinicos enim characteres quosdam negligenter tractavit, virgulis, ſecus ac decebat, incurvatis, productis vel curtatis, aliis malè etiam loca-

locatis; quo ipſo nativæ characterum elegantiæ atque genio multum deceſſit.

Ceterùm, de ſcriptione meâ neceſſarium eſt Lectori impertiam, quòd in exoticis vocabulis, Germanorum pronuntiationi me accomodaverim: adeoque *u* legendum volo ſicut ȣ Græcum; *g* velut *gu* Gallicum; *ch* velut χ Græcum, vel *ch* Polonicum ſine attactu gutturis, ſive ut *g* Italicum ante *a*; *ſ* interdum cum ſibilo, interdum leniùs pronunciandum eſt, ſicut *z* Polonicum ſine accentu; Non ſuppetit hîc nobis duplex littera, qua diverſitatem illam indicemus; unde in nominibus Perſicis litteram ج per *dſ* & *dſj* expreſſi, quæ tamen paulò leniùs efferenda erat per *g* Gallicum ante *e* & *i*. Per *ſj*, more Belgico, exprimo ش Arabicum & Perſicum, quod Galli faciunt per *ch*, Angli per *ſh*, Germani per *ſch*. Voces Japonicæ *ſͤo*, *ſͥo*, *mͤo*, *mͥo* &c. pronunciari velut una ſyllaba debent, ſubauditâ vocali, quæ inſeritur, adeoque paulò leniùs quàm ſi ſcribatur *ſjo* & *mjo*. Orthotoniam genti cuivis vernaculam accentibus & duplicatis vocalibus expreſſi; ex quibus productionem & brevitatem ſyllabarū aſſequi in proclivi eſt: hinc

aa legendum ut Græcum ᾶ, *ii* ut ῖ, *oo* ut ῶ &c. Moneo hæc, ut exotica vocabula, à non Germanis & ἑτερογλώττοις lecta, genuinum præſtent ſonum, &, quod vulgò ſolet, in alia prorſus vocabula non degenerent. In vocabulis Perſicis ſyllaba ان ferè perinde eſt, an *aan*, *oon* vel ὦν pronunties, cum in eo Perſarum Dialecti diſcrepent, velut in كرمان *Kirmaan* Caramania, آسمان *aasmoon* cœlum, جهان *Dſjehuun* mundus, & ſexcentis aliis. De menſuris, quibus paſſim in dimetiendo uſus ſum, breviſſimè doceo: quòd per *paſſus* non intelligam geometricos illos, qui duplici greſſu veniunt, ſed ſimplices meos ſive communes, quibus incedit vir ſtaturæ mediocris, vel mediocri paulò longioris, complectentes ad minimum pedes geometricos duos. Per *paraſangas* quoque tantæ longitudines & locorum diſtantiæ intelligendæ ſunt, quarum 22 cum dimidiâ reſpondent uni gradui cœleſti, ſive milliaribus Germanicis 15. Sic præmonitum Lectorem valere ac ſcriptis meis favere jubeo. Dabam ex muſeo prædioli mei, *Steinhoff* dicti, in Comitatu Lippiaco, Anno Chr. M DCC XII.

Per-

AMOENITATUM EXOTICARUM

FASCICULUS I.

Complectens

RELATIONES

DE

AULÆ PERSICÆ STATU HODIERNO.

Catalogus Relationum FASCICULI I.

Relatio 1. Perſona Regis Perſarum, Status hodierni Regni, & regiminis ratio in genere.
2. Coronatio Regis SOLYMANNI.
3. Proſopographia Regis SOLYMANNI.
4. Primas Regni Perſici, Athemaad Daulet.
5. Militia Perſica.
6. Primates Aulæ togati, quibus in Regio conſeſſu locus eſt.
7. Ærariorum Curatores; reditus & expenſa Regis.
8. Antiſtites ſpirituales.
9. Officinæ Domus Regiæ, Officiales Aulæ minores.
10. Provinciarum Urbiumque Præpoſiti.
11. Attributa Aulæ potiora.
12. Externus Aulæ ſplendor; ac primò magnificentia urbis Regiæ.
13. Regiæ Sedis palatia & horti.
14. Gynæceum Regium.
15. Pompa equitationis Regiæ.
16. Admiſſio hoſpitum coram Sereniſſimo: vulgo Audientia.

RE-

RELATIO I.

Perſona Regis Perſarum, Status hodierni Regni, & regiminis ratio in genere.

§. I.

Regis Perſarum magnitudo.

Præfatio.

Auguſtam Perſicæ Majeſtatis Aulam, multitudine Purpuratorum, auro, divitiis & innumeris Regalis magnificentiæ generibus fulgentem, ex vivo præſentiq; vultu deſcripturus, magni auſûs videor provinciam aggredi. Si enim conſignandis rebus etiam haud magni momenti, ſcriptorem requirimus congeneris fori, ne hiſtoriæ exiſtimatio detrimentum ex peregrino genio orationis capiat; vix ego abſolvendus temeritatis fuero, qui extra oleas facultatis meæ, opus tam inſolentis argumenti ſuſcipio. Cujus equidem gravitate ſe deterreri tenuitas mea pateretur, ſi fas eſſet ex ſtyli verecundiâ præſentiſſimam dimittere occaſionem, quæ Monarchici hujus theatri ſcenas receſſusque omnes, & quicquid in iis memorabile ac à vulgi notitiâ remotum geritur, gratioſo indultu perluſtranda atque evolvenda exhibet. Accipe igitur Aulam, B. L., non quâ par eſt facundiâ, ſed quantâ decet fide, per membra articuloſque intimè exponendam; Aulam inquam noſtri ævi; ſed, ut ab omni ſeculorum memoriâ, ſive ſub Monarchiâ Orbis, ſive ſub temporum ſequiorum fatis illuſtrem, ita non minùs ſub recentiori *SOPHORUM* regimine felicem, floridam, pacificam, invictæ hactenus potentiæ, tremendam Orienti, ac toto orbe inclytam.

tam. Varietatem occurrentis materiæ exhaurire placet brevi ſerie Relationum: quia hæc methodus Viatorum commentariis propria eſt, & legentibus delectabilior.

Poteſtas abſolutiſſima. Caput Imperii Perſici *Rex* eſt, qui ad Dignitatis faſtigium jure hæreditatis provehitur. Magnitudinem Ejus, cum vaſta moles territorii, tum verò immenſæ teſtantur felicitates, quibus Ille præ ceteris Aſiæ Principibus beatur. Harum ex cumulo, ut præfari inſigniores liceat, *primam* nomino liberrimam atque abſolutiſſimam Jurisdictionem. Video Potentias univerſi Orbis, alias explicitis circumſcribi conditionibus, quas Leges fundamentales vocant; alias intra definitos limites retineri tacitis quibusdam & inſuperabilibus obſtaculis atque neceſſitatibus. *Ruſſorum Autocratorem* hactenus auctoritas Optimatum ſtrinxerat, ab arbitrariis auſibus revocatum religioſâ patrii moris obſervantiâ. *Turcorum Sulthano* licentia præſidiarii militis ſudem figit, nullo conſilio ſuperabilem. *Indorum magnum Mogolem* propria compeſcit ſoboles, gravi armata ſubſidio faventis populi; ut plura taceam. *Sophorum* verò *Principi*, ſublatis impedimentis, abdicativè omnia permiſſa atque integra ſunt: ſi velit fœdera, bella, pacem cudere, ſi Leges Regni mutare, ſi novas fingere tributorum ſpecies; quin ad privatorum vitas, uxores, liberos & bona quævis manum extendere: nullo civibus, etiam primoribus, relicto juris præſidio, quo degenerantis Potentiæ vel libidinem à fortunis, vel impetum à cervicibus declinare queant. *Alteram* conſtituit veneranda quædam *Sanctitas*; non qualem divinitus omni Majeſtati conceſſam credimus, ſed congenita Perſonæ Regenti: quandoquidem hanc ex Pontificialis Cathedræ authore *Mahhammede* obtinere traditur, per deſcendentes gradus ſucceſſivè derivatam. Quæ verò cum dubia videri, nec obtrudi credenda ſine documento poſſit, en ſolenne Perſarum, quod ex ore ſa-

Sanctitas genitalis.

cer-

DSI

cerdotis promo, argumentum: *Priſci ex laudata ſtirpe ſucceſſores Imami dicti, ægrotos ſolo aſſatu curaverunt, omni pharmacorum ope poſthabitâ; qualis verò effectus manare niſi ab innata Sanctitate potuit! Eundem igitur cum præſtet Sereniſſimus, non quidem apparatu verborum, ſed, quod magis mirandum, effluvio ſui corporis; nihil etiam de Sanctitate Principis dubitari debet.* Curatio ut ſuccedat, propinanda eſt aqua effluviorum virtute quomodocunque affecta; ſive hæc Regiis manibus abluta, ſive immiſſis digitis vel quocunque contactu impreſſa fuerit. Opinio usque adeo mentes occupavit, ut ægrotantes multi ex Regiâ pelvi citiùs, quàm ex pharmacopoliis remedia appetant, ſpem, quod pollicentur, non luſura, ſi modò virtuti fiducia reſpondeat. Sanctitatem dum oſtendo, rariſſimam demonſtro prærogativam. Sicuti enim jura Papalis antiſtitii, quod Caliphatum vocant, in illa Sanctitate fundant; hinc ſimul inferunt: Sereniſſimum Hæredem, velut Religionis caput, omni Mahhammedanæ Legis obſervantiâ eximi, ne vel anima gravari ex ceremoniarum, quas religio præcepit, omiſſione, nec corpus vini potu, aliisve, quas Lex prohibet, impuritatibus inquinari poſſit. Ita ſanè *Clerus* hujus ſectæ, quam *Sjijaiticam* vocant, prolixè affirmat, ſive per adulationem, ſive ſic ſeriò perſuaſus. *Tertia* ſingularis civium fides eſt, quâ Rex fruitur; dum cuncti ſuo tam abſoluto ſanctoq; Principi in omnibus ſe ſubjiciunt, & in abſtruſis etiam rebus pervicaciter obſequuntur. Si bona fiſcus, ſi lictor oculos pugione expungendos, ſi amputandum caput inopinatus à Rege nuncius poſcit (triſtia nonnunquam Regii Senaculi interludia!) damnatus haud nutu refragatur, quin hæreditatem, oculos, vitam ad juſſum quisque exporrigat. Vidit ævum Regis *Sephi* patres, qui filiis, & filios, qui genitoribus ferrum parricidiale ex juſſu Principis intulêre, atque inferendum adeo pati-

Inſolens ſubditorũ fides.

patienti & imperterrito exceperunt animo, ut Sereniſſimo damnatori mille *vivat & valeat!* ſub ferali ſtrepitu acclamaverint.

Tituli & Honores.

Magnitudinem teſtantur Tituli: Hos pene divinos Principi auctoritas ſua ac ſubmiſſio gentis peperit. Palmarium appello والي نعمت *Waalì Naamèt*, qui ſignificat *Vicarium Gratiæ*, id eſt, Locumtenentem DEI & Mahhammedis abſolutum, pro diſpenſandis (humano generi) bonis & fortunis; eo enim in coronationis actu inſignitur ab Archimyſtâ, eodemque Rex ſe ipſum appellando, in ſermone & diplomatibus utitur. Stylus Curiæ Regem turgidè appellat عالم پناه *Aalèmpenaah*, & جهان پناه *Dſjehuun penaah*, id eſt, *aſylum*, umbram & refugium *terrarum Orbis;* vel inſolentiùs پادشاه عالم *Padiſjah Aalèm*, id eſt, *Imperatorem totius mundi*, cujus imperium alto faſtu ſibi arrogat; quomodo de *Domitiano ſuo Statius:*

En hic eſt Deus! hunc jubet beatis
Pro ſe Jupiter imperare terris!

De cujus verò tanti elogii jure, utrum *Indorum Imperatori*, qui illud inde à *Timuris* (*Tamerlani*) ævo uſurpavit, an *Sophorum Principi* competat? gravi & hactenus indeciſâ lite, inter utramque gentem, contenditur. Si tamen dicendum, quod res eſt: omnis pro Sereniſſimo noſtro ratio militat, velut oriundo ex ſanguine *Mortuſæ Aali*. Huic enim ſuo genero ſucceſſionem ac jus hæreditarium in terrarum orbem, minimè Timurianæ ſtirpi, deſignaverat *Mahhammedes*; ipſe, ſi Diis placet, ex decreto cœleſti orbis univerſi Dominus. Academiæ Regem ſalutant اقدس *Eckadès*, id eſt, *Sanctiſſimum*, vulgus برادر آفتاب *Beraderri aaftaab*, id eſt, *Solis collegam*, elogio Regis

Sjah-

Sjahpuur ſive *Saporis*; alii سپهر رکاب *Sepehr rekaab*, id eſt, Principem cujus ſtapeda cœlum eſt, & صاحب قرانی *Sahèb Kheranì*, id eſt, *Dominatorem* Conjunctionis, ſive *aſtrorum*. Modeſtioris genii & ceteris uſitatior eſt appellatio والی ایران *Waalì Iruun*, quæ ſignificat *Locumtenentem* (*Dei*) abſolutum univerſitatis Perſiæ. Qualis etiam indigitatur proprio Regentis Perſonæ & uſitatiſſimo nomine شاه *Sjah*. Titulis par reſpondet reverentia & honor Regis præſentiæ habendus; nam ſedentem in throno crimen eſt adire, ſine libamine offerendi muneris, alloqui nefas eſt, niſi quis proſtrato prius corpore ſolum, quod calcat Rex, tribus baſiis oſculatus ſit; cultu equidem Diis ipſis debito, ſed cui ab antiquis, dum Orbi imperaret, ita adſueviſſe videtur præluſtre Solium, ut amiſſo nunc vel imminuto dominio, à Monarchici honoris arrogantiâ ſibi temperare nondum dedidicerit.

Adorat Majeſtatem, quicquid terrarum, quà Orientem & Occidentem, *Tigridi Indoque* fluminibus, quà Meridiem & Septentrionem, *Perſico Caſpioque maribus* interjacet. Hoc ad normam Geographorum à gradu 86 ad 120 in longitudine, in latitudine à gradu 26 ad 44 extenditur, & indigenis appellatur ایران *Iruun* & عجم *Adſjèm*, videlicet *Regio ex omnibus Aſiæ* (*Sinam cum Japoniâ* excipio) *præcipua*, maximèque prudentiâ politicâ, ſcientiis atque artibus exculta. Limites tam latè patentes *Ruſſi*, *Tartari*, *Indi*, *Arabes* & *Turci* ambiunt; quibuscum pax ſarta tectaque coli, niſi prudentiâ ſingulari poteſt, bellum geri, niſi maximis licet viribus & fortitudine: remotius tamen à naturâ marium, montium & deſertorum intervallis locati ſunt, quàm ut ſecuris civibus, & tranquillo *Territorii amplitudo.*

in

in otio degentibus immineant, & impreſſione factâ, nocere improviſi poſſint.

Felix & manſuetus Regum genius.

Ut felicitates & prærogativæ in throno Perſarum, ita virtutes & dotes animi in ipſis Regibus ne deſideres: Quodſi vitas evolvimus, quotquot ex hodiernâ proſapiâ Imperio præfuerunt, plurimis claruiſſe invenies (ſi in *Sephio* crudelitatem excipio) eximiis & quaſi genitalibus. Palmarias tres nomino: *Conſcientiam Legis naturæ* tenerrimam ac ſcrupuloſiſſimam; *timorem*, quo pueri imbuuntur, ſupremi *Numinis*; & inſignem, ſive gentilitiam, ſive à climatis bonitate ingenitam indolis *manſuetudinem*. Hæc ſanè virtutum congeries, altera eſt felicitatum memoranda trias, non quâ Majeſtatem, ſed quâ genium & ingenium regentis Proſapiæ Principum provida natura ſingulariter decoravit; liberrimam poteſtatem & potentiſſimam libertatem caſtigavit, & frenos denique gubernaculi, intra Juſtitiæ Clementiæque orbitas hactenus retinuit, ut cum in ſubjectiſſimos cives ſuos devolvere Principes quidvis pro arbitrio vel libidine audeant, generoſè tamen caveant, ne quid damnoſè & inconſulto Senatûs judicio factitent in Republicâ, vel rigidiùs ſtatuant in eos, qui à boni civis officio non deſciverunt.

§. II.

Origo recentiorum Regum, *Oriundorũ ex Suffis, ſive Theologis.*

Habenas Imperii *à duobus ſeculis* moderantur Principes, ex religioſâ familiâ nationis *Turcicæ*, quos noſtrates vulgo *Sophi*, vel *Suffi* appellant. Eas initio *ſeculi* à nato Chriſto *milleſimi quingenteſimi* primus capeſſivit *Sjeich Iſmaël*, à populo ob religionis zelum cognominatus *Sufì*, filius *Sjeich Haidaris Sufì*, inclyti doctrinâ & ſanctitate *Principis Arbelitarum*; vox enim صوفي *Sufì religioſum*, شيخ *Sjeich ſenem purum*, id eſt, ſacræ Legis interpretem & doctorem ſignificat. *Matre* natus erat

Mar-

Marthâ, filia τοῦ *Haſſenbeg*, Turcicè *Uſum Chan*, i. e. Longus Princeps, ob corporis proceritatem cognominati, *Tabriſienſium* primò, mox *Perſarum* quoque Regis potententiſſimi. Ad Solium iter ſtravit, integro ſeculo & ſex generationibus prior *Sjeich* quidam صفي *Séphi*, vel pleniori nomine, *Séphi Eddin Iſaak, nepos Mortuſæ Aali*, in deſcendente lineâ vigeſimus tertius, & peculiaris Sectæ, quam الشيعة *Sjijài* vocant, tum nondum vulgatæ, ardentiſſimus propagator. Hic *Arbeli* (*Ardebil*), loco illuſtri, & à patre locuplete genitus erat; pauperiem tamen ſectari, & vivere vitam eremitanam ſtatuens, relictâ urbe, in proximum conceſſit deſertum, occupatâ ædiculâ, à ſe pro clauſtro devotionis extructâ. Erat illi non alia intentio, quàm ut à poſſeſſionum luxu & ſeculari turbâ remotus, faciliùs ſibi famam Sanctitatis, Religioni, quam docebat, fidem & applauſum pararet. Et ſanè in eremo res ceſſit ad ſententiam! Nam uti vitæ & morum, quos præ ſe ferebat, integritate, ita præſtantiâ doctrinæ ſuæ, quam condire miraculis ſolebat, ſic brevi inclaruit, ut aſſentientis populi favorem, & qui indies dogmata ejus haurirent, auditorum atque admiratorum turbam acquireret. His ita vigentibus, fama Sanctitatis magnum invitavit *Timurum*, ut Arbelianos dum transiret, apud Eremitam diverterit. Is tum, debellatis Turcis, redux ex Thraciâ, præter *Bajazethem* Imperatorem caveâ incluſum, ſelectiſſimum ducebat ſyrma captivorum, quos propediem occidioni daturus erat. Quid his evenerit, quæque in eo congreſſu inter Ducem & Theologum geſta fuerint, ex hiſtoriâ Perſarum, utut fortaſſe fabulis nugisque ſcatente, tranſcribere non pigebit: eò, quòd occaſionem acquiſiti Imperii, & regentis Familiæ principia doceat. *Timur* inclytus *Tartarorum Monarcha, &*

Sjeich Sephi ad ſolium viam parat.

Tamerlanes.

magni Mogolum Imperii fundator erat; qui ex vulnere in expugnatione *Ciſtum*, urbis Choraſmienſis acceptâ, coxâ dextrâ claudicans, à ſuis لنگ *leng*, id eſt, *claudus*, inde à latinis *Tamurlanes* nuncupatus eſt. Is, ut erat corporis robore ac conſtanti valetudine, ad ſenilem usque vitæ terminum, præditus, ita etiam infracti ſemper & præſentis animi bellator fuit, &,quod inter præcipuas laudes numero, ſeverus Juſtitiæ & Divini Numinis cultor. Si tyrannus fuit, quod in ejus vitâ *Arabſiades*, durus Timurianæ fortitudinis interpres, & ex eo Latini ſcriptores referunt, certè Clementiâ erga ſubjectos, & variis virtutibus iſtius criminis famam apud ſuos emaculavit. Mahhammedis admittebat inſtituta, eâ fidei moderatione, ne uni ſectæ vel religioni nomen profiteretur: veſtigia hoc ipſo ſecutus anteceſſoris ſui *Singis Chani*, duobus ante ipſum ſeculis (poſt Chriſtum natum decimo tertio) *Tartarorum Regis* & totius *Aſiæ domitoris*. Omnium autem cum eſſet rituum, religionum nationumque tolerans, ac ſuperſtitionibus aſtrologicis maximè addictus, miraculis tamen ægrè tribuiſſe fidem, vel ex hoc liquet: quòd à familiaribus ſuis vix induci potuerit, ut ad viſendum ſeculi oraculum paucis paraſangis à viâ deflecteret; quoniam ipſum impoſtorem eſſe, qui imperitiam vulgi luderet, firmiter ſibi perſuaſum erat. Ad explorandam veritatem dum viam ingreditur, animo tacitus proponit: crediturum ſe pietati hominis, ſi is ſibi ſatisfaceret in tribus, quas tunc excogitabat conditionibus; quarum prima erat: ſi multum humanitatis, minus reverentiæ, nihil ſubmiſſionis ſibi exhibuerit; altera, ſi quid ſibi,tunc admodum famelico, veſcendum obtulerit inſoliti, quod per vitam nunquam comediſſet; tertia, ſi quid ſtupendi viſendum oſtenderit. His præmunitus,Religioſum adoritur; qui à diſcipulis, adeſſe Orbis domitorem, audiens, nihil

nihil mutato vultu, nec intermiſſâ, quæ oculos diſtinebat, lectione, introduci eum jubet; & intranti aſſurgens, locoque cedens, ſeſſum ut ad ſiniſtram capiat, familiariter rogat; eſt enim ea ſedes in hac gente honoratior. Tum blandis verbis ſalutato, de victoriâ gratulatur: eam non humanis viribus, ſed Dei beneficio & Providentiæ tribuendam, gravi Laconiſmo monens; ut cetera taceam. Obtutu longo Imperator Senis gravitatem miratus, tandem, quòd eſuriret, jentaculum ab eodem poſcit. *Sjeich* deſiderio ſatisfacturus, *lac & caſeum* promi ex penu jubet, cum eremita aliud cibi genus non haberet. Obſonium cùm Heros acri appetitu manducaſſet, Deum teſtatur, nunquam ſe ſatiatum cibo gratioris ſucci, & loci ſterilitatem contemplatus, quærit, ubi ſua paſcua, ubi pecora habeat? Ad quæ *Sjeich*, jugum indigitans montium: vides illic fruticeta, inquit, hæc paſcua ſunt; videbis etiam pecora! & vibrato in altum candido linteo, aſſuefactas hoc ſigno capricervas, ex ſummis culminibus in *Timuri* conſpectum provocat, ibi mulgenda præbentes ubera, more manſueti pecoris. Quo viſo Heros, conditionum recordatus, eremitam verè pium & Dei O. M. amicum agnoſcit; prioris quoque pœnitens odii, quod in caput ejus juraverat, ſi impoſtorem deprehenderet, nunc reverenter habet, & ab eo ſe priùs diſceſſurum negat, donec *Sjeich* à ſe documentum petiiſſet conciliatæ gratiæ. Oblationi ſenex haud reniſus, manumittendos rogavit præſentes, quos in triumphum ducebat, mille aliquot Turcos, populares ſuos, dum ſe miſereri diceret ſortis eorum, à quibus ipſe Turcus, ſuam duceret originem. Non expectaverat *Timurus* generis tam alieni petitionem; deſiderio tamen ob fidem datam deeſſe nolens, captivos reddit interceſſori. *Sjeich Sefi* ſolutos ferali ſententiâ populares ſuos, ex mœrore, viâ & vinculis ſqualentes, hoſpi-

 tio

tio excipit; deinde benigniſſimè habitos, veſtitos etiam & commeatu inſtructos dimittit, ad repetendum Lares & familiarum ſuarum ſocietates. Hæc eſt illa gens, quæ tributim, vagis quidem ſtationibus, *Perſiam Choraſmiamque* hactenus inhabitat, paſcendis ſemper intenta gregibus; id enim vitæ genus ei nomen dedit ترك *Turk*, id eſt, *paſtorum*, & primæve illius patriæ تركستان *Turkeſtaan*, id eſt, *paſtorum terræ;* nomine proprio *Turk*, *Japheti*, quod ait *Mirchond*, *filii* natu maximi, & primi illic Imperii Scythici authoris, in appellativum transgreſſo. Ex hoc nomen quoque ſortitur *Turcomania;* quòd incolæ ejus ſint تركمان *Turki maan*, id eſt, *Turcis ſimiles:* quippe paſtoralem ſub plauſtris vitam agentes, Scythicisque moribus & linguâ conſpicui. Hos inquam vagabundas tribus, illo tempore ingentes & fortiſſimas, vel hoc ſolo in ſocios merito graviter ſibi devinxit *Sjeich Sephi*, & ab hoc ſpecioſo facinore, nec minùs profeſſione religionis, & inculpabilis vitæ exemplo, apud Perſas ita inclaruit, ut ejus auctoritas atque nominis exiſtimatio in ſummo verſaretur culmine. Eſt enim ille hic *ſephi*, quem Perſæ *Polum Religionis ſuæ* & *verticem ſanctorum* vocant: cujus liber

Liber Kara Dſjelde. *Karà Dſjelde* dictus, hactenus nondum apertus, nondum lectus, magnâ aſſervatur reverentiâ; eâ cautione ab auctore datus, ne à poſteritate legatur priùs, quàm ſi in extremis bellorum anguſtiis conſtituta eſſet; ſecus ſi fecerit, paſſura calamitatum Iliades & funeſtam ſolii everſionem. Continere autem dicitur prophetias & conſiliorum myſteria, de Statu Imperii Perſici agonizantis. Accidit deinde, ut nepotes, patriis vitæ veſtigiis, & indefeſſo doctrinæ propagandæ zelo inhærentes, non modo favorem gentis Perſicæ conſervarent, ſed Turcorum præſertim, quibuscum conjunctiſſimè vivebant, amicitiam ſtabilirent, &

ſuæ

ſuæ ſtirpi quaſi hæreditariam facerent. Quæ res demum prædicti *Iſmaëlis* patri, *Sjeich Haidari*, apud Regem *Jacob*, *Uſum Chani filium*, & ſuum affinem, invidiam & exitium paravit. Cum enim *Jacobus* ſuſpectam haberet *Haidaris* amicitiam, quam cum Turcis, ejus terræ potentiſſimis hoſpitibus, colebat, præſertim affectu multitudinis Perſicæ tam arctè ſociatam; non dubitavit eum, nihil vel mali conſcium vel ſiniſtri metuentem, è medio tollere, filio *Iſmaëli*, ac matri *Marthæ*, ſuæ quamvis ſorori, nefariè inſidiari, retentâ dote, hæreditarios fundos & fortunas rapere, & quæ non alia! Quid demum *Iſmaël?* Is manibus crudelis avunculi elapſus, cum genitrice diu exul egit apud *Medos:* adultior verò tot dolens injurias, exiliique pertæſus (quanquam apud gentem ſtirpi ſuæ addictiſſimam) mortuo tandem avunculo ultionem meditabatur in filios Aluantem & Muratum, tanquam hæredes Paterni regni & fortunæ. Favere ſibi noverat Turcorum animoſas tribus, quarum aliæ decies mille referebant capita; auxilio non defuturos ſperabat Medos, apud quos degebat; nec ex Perſis ſibi inimicos confidebat, quos patriæ religionis dogmata ineſcaverant. Hæc ille melioris fortunæ auſpicia interpretatus, invitabat ſub ſigna tribus, contra ſuperſtites perſecutoris filios. Ab his poſtulabat *Haidaris*, deſideratiſſimi genitoris ſui, ſanguinem, erepta paterna prædia, dotem matris retentam & exantlati exilii ſatisfactionem. Non defuit *Iſmaëli*, uti præſens *Medorum*, ſic implorata tribuum fortiſſimarum fides, non fidei virtus, nec virtuti ſucceſſus opinione auſpicatior; dum aura favens plebis Perſicæ vela fortunæ ad ſententiam inſpiraret. Nam devictis fratribus, occupatis provinciis, expugnatis *Tabriſio*, *Sjiraſo*, *Babylone*, ceteriſque urbibus populoſiſſimis, ſuppreſſo denique *Ulu Chano*, *Tartarorum* inclyto *Principe* vicino, cujus potentiam ſibi po-

Iſmaël primus ex Suſis Rex Perſiæ.

ſterisve fore quàm maxime infeſtam videbat, thronum ipſe conſcendit *Iſmaël*, & ex شیخ شاه *Sjeich Sjah*, id eſt, ex *Theologo Rex Perſiæ* factus eſt. Ita nimirum totius Perſiæ imperium ad *Sufos*, vel contorto vocabulo ad *Sophos* vel *Sopos*, id eſt, ad religioſos Sephi poſteros tranſlatum eſt; quorum adoptato cognomine Rex appellatus eſt *Iſmaël Sophì*. Eum in imperio ſecutus eſt filius *Tahmaſp*, cui ſucceſſit filius *Iſmaël II*; hunc frater *Mahammed Chodabende*; ei ſucceſſivè filii tres, videlicet *Emir Hemſa*, *Iſmaël III.* uterque paucorum menſium Rex, & *Abas I*, cognomine Magnus; Abaſſum excepit nepos *Sephi* tyrannus; hunc filius *Abas II.* quem *Solyman hodiernus* imperii Rector feliciſſimus. Circa etymologiam tituli *Sophi*, Regiæ ſtirpi adhærentis, ſciendum eſt, eum ex opinione Perſarum non derivari, quod vulgò putatur, ex voce Perſicâ صاف *Saaf*, quod *purum*, aut Arabicâ صفي *Tſaphì* quod *defæcatum* & in melius reformatum notat, uti putat *Scalig. lib. 5. de emend. temp*; ſed ex nomine Perſico صوف *Suf* vel *Suuph*, quo notant pannum tenuem cymatilem, Gallis *camlot* dictum, quo ante acceptos Imperii faſces veſtiri Iſmaël, communi theologorum more, ſolebat, & quo adhuc hodie omnes pallianturPerſarum religioſi, ut à ſecularibus dignoſci hôc cultu queant; ex quo iidem etiam appellantur صوفي *Suphì*, id eſt, *Sufenſi panno palliati*. Primus igitur regentis proſapiæ Rex *Iſmaël*, ob religionis amorem (quippe ex ſanguine illuſtrium theologorum ſatus) *Suphì*, vel depravatâ vocali, *Sophì*, & ſine aſpiratione *Sopì* cognominatus eſt; vocabulo quidem appellativo, quod cum صفي *Sephi*, nomine proprio confundi non debet. Non eſt autem vocabulum

Iſmaëlis in Regno ſucceſſores.

Suph

Suph Perſicum, ſed ex ejus nominis oppidulo Syriæ, unà cum prædicto *cymatili*, quod ibidem ex lanâ caprina texebatur, Perſiæ olim inductum; quemadmodum & panno Londinenſi *Londerì*, Pariſienſi *Parì*, & aureis Venetis *Veniſì*, nomina olim hîc impoſita ſunt, à patriâ, quæ eos in Perſiam transmittebat.

§. III.

Regum nativitas & educatio.

Vitæ originem Princeps, uti illuſtrem ducit paternam, ex palliata Sjeichorum & Sophorum ſtirpe, ita verò maternam, atque reliquas naſcendi conditiones ſortitur Regio ſplendori impares.

Obſcurus ortus.

Matrem enim nihil refert, cujuscunque fuerit fortunæ & ſanguinis; filiane magnatis indigenæ dono Genitori data, an ruricolæ & plebeji hominis, ex Georgiâ & Cyrcaſſiâ (quæ puellas pariunt totius Aſiæ ſpecioſiſſimas) plagio latrocinioque abrepta; ſufficit illam ob venuſtatem Sereniſſimo placuiſſe, ut in Genitricem Succeſſoris ſui deligeret. Hanc ſortem nec induſtria educationis, nec informationis ſtudium, nec cum viris illuſtribus conſuetudo & convictus corrigunt. Palæſtra omnis, gynæcei latebra eſt, extra quam Illi ſolem intueri non permittitur; commilitones ſunt nigra & caſtrata mancipia, ex variis torridisque cœli Zonis conquiſita; miniſtrorum vices ancillæ gerunt, & ignobilis pellicum Regiarum turba; Inſpectores ſunt mater, avia & nonnullæ anûs, auctoritate ceteris præſtantes; Ipſe ephorus ex caſtratâ mancipiorum claſſe fœminarum ſuffragio deligitur, non qui manum & ingenium Candidati ad tractanda gubernacula, ſed qui in religione & ſuperſtitionum notitiis ſolummodo inſtruat. Hujus παιδείαν cum luſtrare hic viſum ſit, à Gynæcei, in quo Princeps educatur, deſcriptione ordiar.

Prælimi-naris Gy-

Gynæceum, Perſice حرام *Haraam*, eſt clauſtrum Regiæ

næcei Regii deſcriptio.

Regiæ contiguum, muro præcelſo duodecim & ampliùs orgyiarum munitum, nocturnis cinctum excubiis, & ab omni hoſpitum communione, inſtar æterni carceris, occluſum. Porta ejus militari præſidio & variis excubiarum manipulis inſtruitur, qui acceſſus hominum prohibent, & moras diſcutiunt ſubinde prætereuntis turbæ. Introitum longum varii ſtipant ſatellitum cohortes, præſertim eorum, quos vocant يساول *Jeſawul*, id eſt, atrienſes. Hi ſunt *Iſmaëlis I.* ex Turcorum tribubus adſciti corporis cuſtodes, qui ut hodie idem præſtant munus quaſi hæreditate acceptum, ita & nomen retinent *Sophì*, vel *Sopì*, quod cum Sjiaiticâ lege & vivendi regulâ adoptaverant. Proximum aditum tenet cuſtodia caſtratorum ex gente Perſicâ. Interiora ancillæ, concubinæ & conjuges Regiæ inhabitant, ex Perſiana, Armena, Georgiana & Cyrcaſſa gentibus ſelectæ. His accedit ſpadonum atra colluvies, ſub Zona torrente nati, vultibus rugoſis, ac tetra aſpectu, quanquam nitidiſſimè veſtita. Horum ſpadonum fides & officium cùm in ancillando, tum in eo potiſſimùm verſatur, ut pellicum mores & vitas inſpiciant, corporum & pudicitiæ cuſtodes ſint, ſecreta an foveant, perſcrutentur; delinquentes objurgent, nec à plagis abſtineant inferendis, ſi objurgationis pœnam culpa exſuperet. Mirum enim non eſt, rigidos ſe præbere corycæos, qui formarum, qui ſtupri, qui libidinum facti ſunt oſores, laſciviæ organis ita penitus viduati, ne vel veſtigio probare ſexum valeant; proinde natura ipſis & barbam, & maſculum corporis robur negavit; etiam voce, geſtu, animo, ad muliebris genii mollitiem converſis. In hôc natus effœminato cœtu, in hôc ignorantiæ delubro adoleſcens Hæres imperii, quid Imperatore dignum capiat, cuivis proclive eſt judicare. Nec enim, ſi Genitorem excipio, cuiquam generoſi animi, vel illuſtris inge-

ingenii, qui prodeſſe exemplo & doctrinâ poſſit, intrare clauſtri limites permittitur: ita eos munivit zelotypia & ſuſpicio; quin pro motione corporis, vel excitatione animi, nec equos loci anguſtia, nec canes religio adeſſe patitur. Saltem ex quadrupedibus acceſſus patet aſino, cui inſidendo puer crura firmet, ut, aliquando Rex factus, equitare poſſit in publico. Habes conditionem Gynæcei, id eſt, otii, ignorantiæ & muliebrium deliciarum delubri; in quo Hæres, Imperio deſtinatus, inſtar neglectæ vitis, ſine pedamentis doctrinæ ac virtutum, luxurioſè adoleſcit. *Pergo ad Moderatorem.* Is conſtitutus morum & pietatis potiùs, quàm ingenii formator, Diſcipulum, nec dum ſatis legere vel ſcitè ſcribere edoctum, ad Theologiæ adyta perducit; eo conſilio, ut recentem teſtam ingenii, nullis præoccupatam ſententiis, Religione Mahhammedanâ Sjijaiticâ maturè imbuat. Præcepta igitur purificationis & lotionis Legalis, jejuniorum obſervantiam, & veſanam precationis formulam, ad unguem tenenda, primò omnium inculcat. Deinde Mahhammedis & duodecim Imamorum vitas & miracula, unà cum intricatâ eorum genealogiâ & propagine, explicat. In punctis controverſiarum enodandis, quæ Perſas inter & Turcos reciprocantur, ſolicitè occupatur. Mortuſæ Aali, ſectæ ſuæ anteſignani, & filiorum ejus Hoſſenii Haſſeiniique fata, & quas ſucceſſionis nomine ab *Omero* perpeſſi ſunt perſecutionum tempeſtates graphicè ſubindèq; exponit: hoc ipſo capitale Auditori inſtillaturus odium, quo antagoniſtas *Sjijaiticæ* religionis, videlicet *Sonnì*, i. e. ſectatores religionis Turcicæ ac heterodoxos quoscunque proſequatur, ac deteſtetur acerrimè, muſſitatâ ſubinde dirarum formulâ لعنت بر عمر *Läanèt ber Omèr*, id eſt, Sit maledictio ſuper Omerum! Facta eſt hæc à Sjijaitis imprecationis forma ad deteſtandum Omerum, illegitimum

Inſtitutio Principe indigna.

mum, ex Perſarum opinione, ſucceſſorem Mahhammedis, & trucem Mortuſæ Aali ac filiorum ejus hoſtem: in alios deinde effundi ſuevit, & in vulgi abire dicterium, poſtquam divinis auribus delectabilem, imò omni precatione efficaciorem eſſe ex fatuâ revelatione innotuit, cujus hiſtoriolam, ſi ſeriis faceta licet, hîc inſeram: In Xenodochio moratus Sanctus quidam Imamides, precibus ſuis Deum totâ nocte fatigaverat. Accidit expergefactum ex crapulâ diverſorii hoſpitem, non procul inde cubantem, ubi ſitiens arreptâ amphorâ affatim bibiſſet, amyſtidem gravi finientem ſuſpirio dixiſſe: *Läanèt ber Omèr.* Quo audito Imamides velut ex tripode: majora, ait, hoſpitem apud Deum meruiſſe tribus verbis, utut temulenter & præter mentem dictis, quàm ipſe vel quisquam alius impetraverit pervigili ſuâ pœnitentiâ. Clerus igitur tam expeditum ab Oraculo edoctus conciliandi Numinis remedium, ita conſtituit, ut ſacerdotes, quas ex turribus ter quotidiè declamant orationes publicas, perpetuò finiant triplici iteratione Omerianæ maledictionis: Quomodo publicata, quæ in ſolum Omerum & aſſeclas ejus efficta fuerat, nunc in omnes à religione Perſarum diſſentientes, Turcos, Chriſtianos, Gentiles promiſcuè effunditur, & popularium labiis usque adeo familiaris facta eſt, ut levi irâ vel rei alicujus tædio commoti, ab eâdem temperare ſibi nequeant. Quin pueruli ſimulac loqui incipiunt, toties à nutricibus auditam balbutiunt maledictionem. Vix ſecurè per plateam peregrinus ambulaverit, ne in eum pueri Omeri diras explodant, velut in reum, quod putant, necis Aliadarum. Vides nænias! Qualibus tamen inſulſiſſimis fabulis Regium oppletur ingenium: dum pædagogus rerum aliarum eſt ignarus; dum ita inſtitutum voluit gynæceum, & ipſa aſſentit curia Procerum. Silent interea de vitis & rebus geſtis illuſtrium virorum hiſtoriæ; exulat Juris Publici & Maxi-

marum

marum regiminis ſcientia; omittuntur exercitia corporis, quibus agilitas membris & ingenio alacritas inducenda erat; negliguntur rudimenta militaria, ceteræque rerum graviſſimarum notitiæ, quibus imbui oportebat ſacrum Imperii pignus, & ad præſidium Reipublicæ præparari: quaſi ſtudio caveatur, ne Rex factus noverit, in miniſtrorum invidiam, proprias admovere manus gubernaculo, vel etiam accenſo rerum cognitione animo novos meditetur auſus, & peregrina molimina occipiat, in perniciem Reipublicæ. Quid? quod nondum pubeſcenti aſſocientur uxores, quarum convictu ingenii ſcintillæ facilè extinguuntur, & libera mens novitii amoris lenocinio, à virtute & magnarum rerum deſideriis abrepta, obſequio mancipatur corporis. Vix enim Venereum hoc delibavit poculum, cùm ſanguinis ſui, & ad quantam ſpartam genitus ſit, oblitus, omne ſtudium vitamque pernicioſæ Veneri devovet. In hujus ille campis virilem aucupari gloriam allaborat, &, ne in conatu deficiat, indies ſuppetias virium, quas tyroni natura non ſuppeditabat, à medicis repetit. Has illi efficaciſſimas conficiunt ex capitibus Papaveris: cujus ſuccum inſpiſſatum (Opium vocant) cum moſco, ambrâ & aromatis ſubactum, in formâ minutiſſimarum pilularum exhibent, quarum ſubinde unicam Principi deglutiendam ſuadent; vel ſi liquorem malit: aquam propinant ex floribus fragrantibus deſtillatam, in quâ eorundem capitum cortices horis aliquot macerati ſint, admiſtis etiam, quibus palato placeat, ſaccharo ambroſato cum aromatibus. Hunc Perſæ familiarem ſibi potum كُكْنَارْ *Coconaar*, ſuccum verò أَفْيُونْ *Afiuun* appellitant, & tanti faciunt, ut eas ciborum deliciis anteponant, & vel uno die ab earum eſu abſtinere nequeant. Eâ autem pollent qualitate, ut manducantis cerebrum jucundâ repleant inſaniâ, ſpiritus impellant, &

Vix adultus Princeps matrimonio jungitur.

 orga-

organa ſimul ad laſciviam erigant. In foro Medicorum hoc pharmaci genus appellatur remedium magnanimitatis. Remedium verò exitioſum & execrabile! quippe cujus virtus poſt paucas horas diſſipata, pediſſequam relinquit timiditatem & triſtitiam; longior verò uſus enervato corpori Hippocraticam inducit maciem, debilitatem ſenſuum, & torpentis ad præclara omnia ingenii ſtupiditatem. Nihil mirum igitur, ſi Sereniſſimus Candidatus, juventutis flore in voluptates effuſo, virili ætati effœtum & ſterile corpus, animum regimini ineptum, & rectorem brevis vitæ relinquat Imperio.

§. IV.

Regni adminiſtratio.

Hæres Patre mortuo protinus coronatur.

Parente defuncto protinus ad Solium ex gynæcei tenebris educitur Hæres, filiorum natu maximus; niſi Pater, quod inſolens eſt, Succeſſorem deſignaverit juniorem, poſthabito majore, ſibi fortaſſis exoſo. Quisquis ſit, convocatis ad Inaugurationem, non multis ſolennitatibus peragendam, Aulæ & urbis magnatibus, in ſellam Candidatus elevatur auream, decoratur inſignibus Regiis, videlicet pugione, acinace, tiarâ; & à præſentibus, ante thronum ſucceſſivè ſe proſternentibus, ſubmiſſionis teſſeram recipit. Quid multis? Potitur abſolutiſſimo vaſti Imperii dominio innocentiſſimus tyro, & qui ſolem extra clauſtrum nunquam vel rarò viderat, nunc alter quaſi creatus Phaëton, Solis Frater, Director Olympi, Numinis ſupremi Vicarius, & quibusvis præconiis Divinitatem ſpirantibus ſalutatur. Quæ adeo inter noſtrates de Regni Conſtitutionibus & qualibuscunque ſubditorum privilegiis, jurejurando Regio confirmandis, agitari inter ſacra Coronationis ſolent, ea hic ſub incudem nunquam veniunt; ignota ſunt civibus vocabula, monſtra Purpuræ inviſa, & procul releganda ad Anticyras. Quid animi Neo-Regi ſit, tantis & tam inſperatis dum perfunditur honoribus? utrum

utrum juvenis clauſtro, non Regio cultui, ſuetus, ſomniare, vel ab opio ſe dementire, an vera ſibi credat accidere, meum hîc dijudicare non eſt; referam potiùs, primam omnium ab inauguratione curam haberi, ut hæc tam inopinata Principi felicitas ſarta tectaque firmetur: Quod ipſum in eo potiſſimum reponitur, ut omnes genuini fratres, & quotquot in vitis ſunt nepotes ſtirpis Regiæ, in quos cadere ſuſpicio deſiderati Imperii, vel invidentis animi poſſit, evulſis (horridum dictu!) mucrone oculis, aut auro candente aduſtis, reddantur illatâ cæcitate innocui, & ad habenas Regni capeſſendas ætatem inhabiles. Nunquam arctiſſimus amor & longa fraterni convictûs conſuetudo, nunquam ſupplex fratrum & ardens deprecatio Regem ab hoc truculentiſſimo facinore retinent; Immotus ille patrium ſequitur morem, avitis exemplis callum obducentibus animo, ne commiſerationis ſenſum percipiat, aut fidam credat fortunam ſuam, niſi fratrum miſeriâ ocyſſimè ſtabilitam. *Excæcat maſculos ſtirpis Regiæ.*

Poſtridie Coronationis, in publicum populo conſpiciendus equitat, milite prætorio, ſyrmateque aulicorum & totius civitatis nobilium ſtipatus. Myriades hominum per vicos diſtributi Neo-Regem ſuum venerabili deſiderio excipiunt, contemplantur, laudant, admirantur: Quorum ille applauſu & favore excitus, & prægreſſâ tumeſcens adulantis gynæcei ac ſubmisſiſſimi Senaculi perſuaſione, mirè frontem ad Majeſtatis ſpeciem erigit, & quam ingenio nondum aſſequitur, geſtu morumque gravitate exprimit Potentiæ magnitudinem. *Prodit conſpiciendus in publicū.*

Fidem ſuperat, quantum hæc Solii mutata facies Aulæ ſcenam percutiat; quippe nondum explorato Principis ingenio, quisque ſaluti ſuæ, nec abs re, metuit; perditum iturus, niſi novus ille Sol aſpectu ſibi propitio ortus ſit. Proceres Regni & magnates terrore hoc præ ceteris correpti, inque diverſum ſpe metuque agitati, Phœbo *Aulici Neo-Regē certatim conciliant.*

bo ſuo litatum accurrunt; ſinguli adeſſe propinqui, ſinguli frui adloquio cupiunt; ſaltem rimaturi ingenium & animi inclinationes, ut ad eas ſe conformare ſtudeant. Illi: quibus ante thronum comparere integrum non eſt, reflexos ſaltem reverentur radios, de his conciliandis ſoliciti, qui Majeſtatis præſentiâ & amore fruuntur, adeoque ſuis jam viribus aliis nocere vel prodeſſe poſſunt, vel per invidiam ab adloquio Principis impedire ſui æmulos. In his inquam venerandis religionem ceteri conſtituunt, eos metuentes velut noviſſima in hoc cœlo prodigia cometarum. Verbo dicam: Tota in commotione ac conſternatione exiſtit Aula, nemine non rerum ſuarum ſatagente, ut fortunæ ſuæ conſulat. Dum hoc inter Magnates agitur, cura imperii ſepoſita jacet; nec eſt quiſquam ex univerſitate Procerum vel Regis familiarium, qui conſcientiâ, fide, vel amore patriæ actus, Sereniſſimo Tyroni difficultates pandat tanti regiminis oceani, quem ingreſſus eſt; qui admovere manus ſuadeat gubernaculo; qui vela remosque ad publicum & Regiæ domûs commodum dirigenda doceat. Verùm emercati Majeſtatis favorem, eò omnes intendunt curas ſuas, ut in Statûs publici ignorantiâ Principem retineant, otio ſepeliant & vanitatibus impleant; ita impoſterum proprium intereſſe ſecuriùs expedituri. Atque ut in illo ſinguli, æmuloque inter ſe ſtudio laborant, ita hoc planè unanimes & cetera etiam diſcordes agitant: modò Principem facetiis & ingenioſè dictis, modò nugis & fabulis occupantes, modo fortunæ imminentis fumo & inanis ſpei lenociniis exſatiantes animum. Politici aſſiduò Illi florem & ſecuritatem Imperii prædicant; laudant Aſtrologi ſudum felicitatis, & à cœlo nimbos pollicentur aureos; dotes Regii corporis admirando blandiuntur Medici, & harum conſervatricem commendant recreationem corporis cum tranquillitate animi, id eſt, voluptatem cum ignorantiâ. Et quis omnes refe-

A curâ regiminis detinent.

referat adulationum ſpecies, demulcendi modos, placendi inventiones? Gynæceum ne omittam; nec illud negligit, novi Regis mercari gratiam; mediis autem non aliis, quàm quibus hic ſexus aucupari eos didicit, quorum frui amore deſiderat; nimirum illecebris libidinum & voluptatis.

His igitur Rex conſiliis & occaſionibus à Reipublicæ ſtudio diſtractus, ad incuriam & ventris obſequium diſponitur, ſegniùs impoſterum publica, intentiùs ea curaturus, quæ ad delicias & vana ſerviunt explenda corporis deſideria. Dum interea adminiſtratio Regni in Senatorum verſatur manibus, dirigenda ex arbitrio ſummi Præſulis, quem vocant *Athemaad Daúleth*, id eſt, fulcrum & refugium Aulæ. Hujus inquam oculis Rex, tanquam conſpicillo Imperii ſcenam conſpicit, ingenio dirigit, conſilio tuetur. Regiminis genium, ut rectè capias, Lector, oportet Viri hujus partes in anteceſſum delineem. Ex præſidio Regni, quod gerit, atque tituli gravitate colligis, quanti officii & auctoritatis miniſtrum nominem. Jure dextram & cerebrum Regis vocaverim: nec enim ab Eo longè vel multùm abeſſe ſubinde incidentes cauſæ Regni publicæ permittunt, quæ privatim, vel publicè Regis ad notitiam, deferendæ, & Ejus quaſi arbitrio ſubjiciendæ veniunt. Quotidie igitur in veſtibulo Domûs Regiæ comparens, Sereniſſimo rariùs coram, frequentiùs per internuncios ſpadones colloquitur; exponit, quid rerum in Provinciis, quid in Regnis finitimis geri compererit; quid remedii ingruentibus difficultatibus opponendum ſit. Decreta ſuper cauſas graviores petit, imò ſuggerit; quæ expediant agenda, innovanda, ſancienda in rebus belli ac pacis, explicat, & conſilia de his ſua ſuppeditat, altiùs in gynæceo à Majeſtate, Sereniſſimâ matre, & primæ dignitatis ſpadonibus penſitanda. Dextram idem claudit Principi extra Regiæ pomœria equitanti

Rempublicam Miniſtri dirigunt.

Præſidis officium.

tanti ad viridaria, id quod, diætæ obediens, ferè indies facit, ante veſperam; quâ occaſione difficultates quasdam oretenus explicat, & deciſa petit eorum, quæ temporis diſtractionem non ferunt. In *Mesjles* verò, ſive conſeſſu publico ſiniſtram conſidentis cum machinâ fumatoriâ (ea enim nunquam Sereniſſimi os deſerit) à modico intervallo idem Regni Gubernator occupat, ut curialium & conſilii publici ſub Majeſtatis præſidio Directorem agat.

Actus Conſiſtorii publici.

Mesjles, ſolennis actus eſt, negotiis publicis ſacratus; puta decernendis cauſis ad rem publicam ſpectantibus, diſtribuendis officiis, admittendis Principum Legatis, & magnifico convivio tractandis iis, quos Majeſtas præſenti admiſſione dignata eſt. Hunc actum idem Præſes ſuo orditur alloquio, primo omnium ante pedes regios proſtratus, ſe *Korboon*, ſeu victimam devotiſſimâ verborum formulâ offerens; quô præſtito, ſupplicantium petita ordine exponit, ita ſanè, ut prodeſſe poſſit, quibus velit; ſiquidem eo ducatur ſpiritu, qui deaurandas manus ſollicitantibus exporrigit. Hæc emenſus, pergit ad negotia Statûs, & quæ ſalutis publicæ interſunt, examinanda. In actus hujus exordio non gravatur Rex Ipſe ſententiam ferre, ſi nimirum functiones ambiuntur, ſi ſalariorum auctiones, ſi beneficia, aut quævis petuntur in levi negotio non magni ingenii decreta. At cùm intricatæ incidunt de ſtatu quæſtiones, cùm variis circumſtantiis perplexæ cauſæ & negotiorum pondera ſub incudem vocantur, quorum Illi membra diſtinctè capere, limitatumque ferre judicium in proclivi non eſt, præſertim experti rerum earum hiſtoriæ & notitiæ, tunc nauci quæſtione habitâ de re aliqua præſenti, quaſi ejus objecto fortuitò avocatus, graviſſimam diſſertationis ſeriem interrumpit. Haud obeſæ naris Gubernator, ut Principem tædio eximat, quaſi & ipſe propoſiti immemor, omiſ-

omiſſâ priori, in aliam dilabitur facilioris aleæ propoſitionem; quæ, ſive adſtipulationem, ſive reprobationem expoſcat, ſolo Regis otioſi nutu determinari poſſit. Hæc dum ita aguntur, obſtrepentia ſenſibus mille objecta conſultantium cogitationes diſtrahunt: Gulam invitant epuli deliciæ; aures avocant concentus, & inſtrumentorum varietas; interpellant oculos ſaltatrices in ſcenam adductæ, & laſcivo membrorum motu retinent ſuſpenſum Regis animum. Sæpè choragorum vices excipiunt gladiatores, luctatores, hiſtriones, agyrtæ, & pro atrii ſpatio, luſores alii, artis quique ſuæ excellentiſſima edentes ſpecimina. Hæc durant ſex, ſeptem pluribusve, pro Regis patientiâ, horis; donec Sereniſſimus ſcenæ publicæ pertæſus, actum abitu ſuo diſſolvat, in gynæceum ad privatæ voluptatis viciſſitudinem ſe recepturus. Vides, quàm hic etiam dies, publicæ ſaluti ac Regni tranſigendis negotiis ſacratus, inaniter perdatur; parte tantùm exiguâ ſeriis, majori commeſſatione & ceremoniis, maximâ otio, ludis & ſpectaculis dilabente! His enim ſolis capitur ſuetus à tenero animus, nec curis ſeſe rerum gerendarum publicis implicari patitur, quaſi unicè ad voluptatem Rex Perſiæ, non ad præſidium Regni creatus ſit. Interea cum Reipublicæ detrimento neglectæ jacent cauſæ graviores, nec ſubeunt priùs finale examen, quàm fortè fortuna Ipſe Regius, vel adſtantium diſcurſus, in illam materiam toties dilatam incidens, exponendis difficultatibus obicem removerit; ſecus enim moleſtiori cauſâ aures Regias laceſſiviſſe, plenus periculi auſus eſt, quem profectò nemo ſubire facilè ſuſtinuerit. Hac Reipublicæ incuriâ conſopito Rege, vela quisque ſua ad privata commoda expandit; premuntur ſubditi, plectuntur inſontes, & variè temeratur ſacra Regni Themis; veneunt officia muneribus & æmulæ corruptionis ſcelere, & quæ beneficia manare ex gratuito Majeſtatis fonte debebant

Tranſigitur ludis & commeſſatione tempus;

Cum neglectu cauſarum Regni graviorum.

Gubernatorum avaritia & tyrannis.

in optimè meritos, nunc affectu proſtant & avarâ tyrannide Procerum. Nec alia quidem ſcena procul à Jovis ſede, quàm quæ in Aula luditur; Provinciarum quippe urbiumque præfecti deglubunt cives ſuos, & ex reditibus æquè Regni atque Regiis, quantum poſſunt harpyiæ, impunè rapiunt; impunè inquam, dummodo de quæſtu ſuo participent duo vel tres eorum, qui apud Principem intimæ admiſſionis ſunt, ab incuſantibus, ſi qui inſurgerent, eos protecturi. Id enim furtis publicis aſylum eſt inexpugnabile, ſanè peculiare Regno Perſico, ſi fortè aliis ſceleribus in aulis noſtratibus quoque locus ſit.

Regum vita & actiones.

§. V.

Varias ſectantur recreationes.

In hoc cardine volvitur rota Imperii: dum interim Rex de publico ſecurus, genio indulget ſuo, & temporum vices voluptatibus diſtribuit. Nunc ille convivia pandit magno luxu & æris profuſione; nunc in uvam debacchatur Sjiraſenſem, vel Georgianam; nunc generoſiore excitatus ſpiritu, turmis ingentibus per diffuſa montium teſqua graſſatur in feras; mox, velut ſibi redditus, in Veneris varietatem effunditur, per ſpeculatores eunuchos conquirens ſpecioſiſſimas Iberici, Armeni & Perſici ſanguinis puellas, pellicum adſociandas claſſibus, quas fovet in Gynæceo: Harum in gratiam crebras publicat interdictiones, (*Koruch* vocant) quibus maſculus jubetur ſexus plures leucas extra conſpectum cedere, ut cum pellicibus, ab intuentium livore vindicatis, prodire Rex, quocunque geſtu habituque, hortos inviſere, lavare corpus, venari, piſcari poſſit, aut quicquid aliud licentia, remotis arbitris, dictaverit. His Ille ſanioris vitæ impedimentis ætatem fallit, donec longo voluptatum uſu infirmatus, ſenii perſentiat accelerati incommoda. Tum verò lugens vitæ prioris intemperantiam, moderari ventris obſequio proponit, & luxuriæ intervalla quædam dare re-

Serius curant Remp.

bus

bus ſerioribus. Ita Regni indolem regnandique artem ſerâ induſtriâ percipiens, Rex incipit boni publici inire rationes, ſubditorum curam agere, turbatum Reip. ſtatum reducere in ordinem, quin etiam de propagandis cogitare finibus Imperii, & generoſa quævis in publicam ſalutem gerere ac meditari. O felicem auroram, quæ regno demum poſt tam longas caligines ſuboritur, ſed quæ ad plenum meridiem ſperatæ beatitudinis nunquam devenit! Nam dum viribus confectus Rex ſubire, quod dudum debuiſſet, munus boni Principis auſpicatur, concitata turpi luxu fati neceſſitas, corpore & viribus detritum, ante annum ætatis plerumque quadrageſimum, ad plures rapit; non obſtante propinatâ Obryzi eſſentiâ, non magiſterio maximorum unionum, quos prodit mare patrium, non pulvere lapidis Bezoar, quem auro cariorem largitur Caramania. Horum enim pretio & virtute medicamentorum Herculeos ſolvi morbos, & diſperditas vires etiam proſtrati corporis recuperari poſſe, fruſtra confidebat Sereniſſimus Patiens, fruſtra perſuadebant adulatores archiatri. *Maturè ad plures abeunt.*

RELATIO II.

Coronatio Regis Solymanni.

§. I.

Mors Regis Abbaſſi II.

A generali Regiminis & aulici corporis delineatione ad membra tranſibimus, præviâ relatione daturi hiſtoriam hodierni Regis Inauguralem. Is *SEPHI* primùm, mox nomine mutatô *SOLYMAN* dictus, imperium hæreditate adeptus eſt, ab inſperatâ morte genitoris ſui *Abaſſi*, quam breviter memorabo. Erat *Abaſſus* generoſæ indolis & magnarum expeditionum Princeps; juſtus, *Abaſſi generoſa indoles & vita.*

ſtus, prudens, cunctis clemens, ſed in peregrinos quàm ſuos voluntate propenſior; ab his Chriſtianos malè tractari, neutiquàm permittebat. Nec enim dubitavit, qui eos intemperantiùs odiſſent, Præconem Regium *Piesj Namaas*, unà cum maximo Pontifice *Sedr* ab officiis deponere; Seniorique Religionis *Scheich el Iſlam* Regis in Chriſtianos favorem exprobranti crucem minari; atque cæteros Legum ſacrarum antiſtites eodem nomine acriter perſtringere: Optimè Rempublicam uni corpori comparans, cujus membra convenire interſe deceat, atque integritatem Princeps ſártam tectamque conſervare teneatur, æquali in omnes amoris & juſtitiæ indulgentiâ. Et neſcio, quâ non virtute claruerit, ſi illis & Perſis, & Chriſtianis credam, ſine quorum præſentiâ *Iſſahani* ne diem transegiſſe dicitur: ex quibus ſat eſt, teſtem unum inſtar omnium nominaſſe Regium interpretem, Reverendum Dn. *P. Raphaëlem du Mans*, ſenem Capucinum, natione Gallum, qui ejus obitum ſæpe numero coram me deploravit, Vir & ipſe uti eruditionis, ita ſummi candoris & virtutum nomine nunquam ſatis laudandus. Tantum in Bacchum & dulcem ejus ſociam non raro fuit effuſior, à quâ beſtiâ ad ultimum fœdè ſauciatus, lugubres dare incontinentiæ pœnas debuit. Exitium dedit provincia *Maſanderaan*, ſive ut alio nomine appellatur, *Taber estaan*, omnium toto Regno elegantiſſima, in quam anno ſuperiori recreationis gratiâ cum univerſa aulâ conceſſerat; relictis in Regiô gynæceo incolis omnibus, præter ſociam thori legitimi unam, & paucas ex ſequiori matrimonio. Diverſabatur tum temporis in palatio horti *Aſjiràf*, cùm ex ſaltatricibus unam temulentus inſano amore corriperet; hoc enim genus ſcortorum luxus Perſicus vocat in convivia. Illa quidem in genua ſe proſternens, per ſacra omnia facinus deprecabatur, & morbo ſeſe venereo obſeſſam teſtabatur. Verùm, non attentâ precum,

Morbus ex Venere contractus in Hyrcania.

cum, nec periculi ratione, plenis ille velis portum perſequitur libidinis ſuæ. Menſe poſt, pudendis dolet excoriatis, inguina bubones occupant, & his neglectis, toto corpore prodeunt Americanæ luis inſignia. Incautè tamen nec dum volenti abſtinere, aut vivendi tenere modum & regulas, ſupinè inſuper à Medicis tractato, ſive ignaris illis, ſive duriſſimo malo parem medicinam opponere in Regio corpore verentibus, contagium in cancrum degenerat, palatum cribrumque narium erodit ac deſtruit, ita ut nares ejus attractus pervaderet Nicotianæ fumus, & univerſa perditi corporis fabrica, velut ruinoſa domus, interitum portenderet. Tum demum cum Phrygibus ſapiens, bellum indicere vino, & diætæ regulis obedire, brevi ante mortem ſtatuit, eâ obſervantiâ ſe evaſurum à Medicis perſuaſus; cum antiquis moribus pariter locum mutaturus, quaſi is obſit abſtinentiæ, transferri ſe in hortum alium, prope pagum *Choſruabaad*, non procul ab urbe *Damagoon*, octiduo ante obitum curat. Vitæ ibidem paucos, quibus ſupererat, dies, ſobriè & bono apud fœminas animo tranſigit, jocis, lectione, pingendo, ſemper, ut ſolebat, occupatiſſimus; Inter alia (ex quibus Principis induſtriam colligas) cereum fingebat acinacis manubrium, illud ingenioſâ pervenuſtâque gemmarum diſpoſitione exornans, eo fine, ut ad hunc modulum artifex eas inſereret manubrio aureo; Pretium gemmarum æquabat 1500 *Tomanis*, id eſt, Joachimicis 22500. De expeditione in Usbeciam, ad ſubjugandam provinciam *Balch*, ut diu ante, magnâ ſpe multa agitaverat animo, ita ægrotus, de ea loqui, & fretus indubitatâ convaleſcendi ſpe, de victoriâ tacitus tripudiare ſolebat. Dum ergò nihil minùs, quàm de vitæ diſcrimine, cogitat, eâdem veſperâ, quâ à fœminis invitatus ex dulciariis modicum aſſumſerat, derepentè vehementiſſimis doloribus corripitur; quibus eâ nocte ad inſaniam usque cruciatus, inter

Mors inſperata.

ter cætera præter mentem dicta, ita in Archiatros invehit. *Scio, vos eſſe, qui venenum propinaſtis mihi; at, ſcitote me filium relinquere vindicem, qui viſcera veſtra manducabit.* Quibus dictis, paulò poſt, horâ quartâ matutinâ, exſpiravit, ſi vitæ luxuriam excipias, glorioſiſſimus Princeps, anno *Hedſjiræ* 1077, die 26 menſis *Rabeià el agèr*, vel anno Chriſti 1666, die 25. Septembris, natus annos non amplius triginta ſex. Plenas terroris minas expaveſcunt Medici, & quàm primùm Regem mortuum audiunt, ad Regni Præſidem *Athemaad Daulet* mortis nuncii confugiunt, quantum in ſe eſt ſuadentes, caveant ex filiis eum Imperio præficere, qui jam ad tanta patranda facinora adoleverit: nec quid mitiùs enim in ipſos Proceres, quam in ſeſe ſtatuturum eſſe, ajunt, ſi filium natu maturiorem ſuffecerint. Sic anxiè adlocuti ſunt, ad minimum vitæ conſulturi ſuæ, qui bona & libertatem cum Principis obitu amiſerant, æviterno carcere, ex priſcâ conſuetudine, cuſtodiendi.

Electio Succeſſoris.

Conſilium de eligendo filio Hamſeh.

§. II.

His cum animi perturbatione auditis, convocat Senatores Præſul Imperii; quibus actutum comparentibus, exponit triſtes fati rationes, & citra moram deligendi Succeſſoris neceſſitatem; ne priùs deceſſu Optimi Principis, quem nec ægrotaſſe conſtabat, ſauciatam ſentiat Rempublicam pronus in ſeditionem populus, quàm vulnus ſuum præſentiâ novi Rectoris videat obligatum. Erat Regi gemina Conjux, utraque ex mancipiis delecta, una Circaſſa, quam admodum juvenem, juvenis octodecim annos natus, duxerat. Ex eâ unicum ſuſceperat filium *Sephi*, annum agentem vigeſimum, unà cum matre relictum intra clauſtra Regiæ *Iſſahanenſis*: Altera natione Ibera, vultu, habituque corporis multò venuſtior, quam deperibat Rex, annum adhuc ducentem vigeſimum ſecundum; ex quâ filius

filius octennis *Hamſeh Mirſa* dictus, unà cum matre hîc morabatur in ferali tentorio. *Huic Patris chariſſimo gnato, præſenti, vivaci, generoſo & ad ſceptra nato juveni, faſces omnino deferendos eſſe,* ſentiebat Præſes, concludebat unanimis Procerum Conſeſſus: *Cui,* (ſic ratiocinabantur) *citra omne dubium eas deſtinaſſet Parens vivus, & contuliſſet etiam teſtamento moriens, niſi præcoci fato occubuiſſet. Et quod maximum, dubitari inſuper de alterius filii, procul hinc abſentis, viſu, quo Pater privari, niſi vel ipſâ vitâ, obſtinacem juvenem nuper juſſerit.* Evocandus jam ex tentorio erat ad Regimen *Hamſeh Mirſa;* cum ſpado unus *Aga Mubarèk,* ipſe delecti ad ſceptrum ephorus (qui cæteris exire juſſis, pro otio & libertate, quibus hoc genus hominum fruitur, in Senaculo remanſerat) illuſtrem Conſeſſum citra jus & licentiam alloqui non dubitat, & in hanc erumpere orationem, zelo candoris & juſtitiæ ardentem: *O dextrum & ſalutare, ſi Diis placet, conſilium veſtrum! Nimirum, quia cupitis vos ipſi per modicam annorum ſeriem regnare, excluſo pubere & legitimo Hærede, ſeptennem puerum Imperio præficietis? An ampliùs igitur Muſulmanni non ſumus, qui Deum, qui Legem, qui Prophetam, qui Coranum, qui dogmata Imamorum ſusque deque habemus? Quæ veſtrum intellectum imprudentia obſcuravit, ut Perſam credatis Principi illegitimo pariturum; ne factis ſeditionibus, throno ipſum excutiat, & in vos terribiles ſtatuat pœnas veſtri perjurii, ſacrilegii, parricidii? ſed & vicinæ gentes, & Ipſe deinde, quem eligitis, ſcelus veſtrum vindicabunt; & his non proficientibus, deſuper in vos maledictionum grandines fulgurabunt. Figmentum eſt, non vivere hæredem; prætextus eſt, oculis orbatum eſſe. Vivit Sephi, & oculatus vivit. Mihi conſtaret, non vobis, ſi quid ſiniſtri in gynæceo paſſus ſit. At, longiùs hinc abeſſe dicitis? Nimirum ibi eſt, ubi eſſe Regem*

Oratio invectoria Eunuchi contradicentis.

gem

gem & imperare decet! His cum iracundiâ & tremulâ voce recitatis (non eſt enim, in nigritarum ſanguine, illa, quæ in Perſis, moderatio) à brevi ſilentio in lacrymas reſolutus addit: *Hamſeh Mirſa! Hamſeh Mirſa! in quæ mala nos præcipitas! mihi creditus es; in meis manibus vita tua verſatur! Si in ſententiâ perſtiteritis, Proceres! vadam, ita me Deus, & avellam caput à cervice pueri, & hîc in Conſeſſu vobis objiciam cadaver; ſic ſatis coacti legitimum quæretis hæredem, à quô, quid gratiæ deinde recepturi ſitis, experiemini.* Obmuteſcentes inexpectatâ reprehenſione Senatores, velut Jovis perculſi fulmine, ultra horæ quadrantem ſedebant attoniti. Quis enim ſpadonem obloqui auſum in Senatu, vel ephorum diſcipuli partibus non faviſſe, crediſiſſet? Aſpectabant ſeſe mutuò, & cum obmurmurare noctuæ huic nemo auderet, recollecto tandem animo, *Præſul: Siquidem*, ait, *in vitâ & ſanus eſt SEPHI MIRSA, ut Aga Mubarèk teſtatur, omnino imperare debet; Nec ampliùs de Perſonâ Regis, ſed de iis, qui ad coronandum mittantur, conſultandum eſt.* Mutatâ igitur Electionis ſcenâ, in *Sephi* nomen auſpicata coronationis teſſera cecidit, & ut brevis ſim, denominatus eſt, qui mitteretur *Tofenktſij Agaſì*, id eſt, ſclopetariorum Dux, ex Præfectis militiæ poſtremus in dignitate. Is nuper Legati munere ad Mogolem defunctus, præclara prudentiæ documenta dederat; Vir ſagax, aſtutus, eloquens, fortis, adeoque, qui Civium caveret tumultus, vel expeditè compeſceret, peridoneus. Sparta hæc nulli non ex Senatoribus togatis arridebat, gratiam demerituro Principis, ſi diadema offerat. Verùm, haud permittebat mortis diſſimulandæ ratio procul ablegari illos, quorum præſentia vivo Regi ſive familiaris, ſive ob functionem neceſſaria fuerat. Sociabantur Legato à ſingulis Proceribus miſſi Vicarii; Aſtrologus inſuper geminus, qui cœli notaret influentias, & Coronationi

Eligitur filius Sephi.

Legatio Senatorum ad coronandum Succeſſorem.


tioni tempus deſignaret. Literarum, quibus Legatus ſtipabatur Celſiſſimo Candidato exhibendis à Senatu, argumentum erat: *Abaſſum, Mundi Regem, die 26. currentis menſis Rabeià el agèr, ſine Hæredis deſignatione, fatis conceſſiſſe. Suarum igitur fuiſſe partium, qui Sereniſſimum Principem, legitimum Patris ſucceſſorem, cœlitus Orbi conceſſum, ſubmiſſè rogarent, ut à lugubri iſto & exitioſo terris occaſu mortale genus vindicatum, ocyſſimè conſcendat Solium. Miſiſſe ex ſuo Ordine Præfectum pedeſtris militiæ, qui ſacrato capiti Ejus, quâ fas eſt ſolennitate, Diadema ſuo nomine imponeret. Sui* (Senatûs) *præſentiam nec funeris celandi conditionem, nec deducendi dignitatem permiſiſſe; præſtituros vices miſſos à ſingulis Senatoribus Vicarios. Funus ſeſe in refugium Sanctorum* (ita vocant urbem *Caſjanum*, pluribus Imamidum Regumque tumulis celebrem) *deducendum conſtituiſſe, expectantem Majeſtatis juſſa, ex quibus ubi reponi ſacras exuvias & quid ſibi porro agendum placeat, propediem cognoſcat. Gratulari ſe Principi de ingreſſu ad mundi Solium, ardentiſſimèque precari Deum Opt. Max., ut Majeſtatem Ejus longâ annorum ſerie & omni felicitatis genere cumulet, atque gloriam venerandi nominis SEPHI, ultra Zodiacum extendi ac perennare jubeat.* His ita conſtitutis, actutum diſcedebatur. Nec diu in viâ tardatum eſt; iter 112 paraſangarum, ſive milliarium Germanicorum ſeptuaginta quinque, abſolutum eſt diebus non amplùs ſex, famæque anticipando velocitatem in urbem deventum eſt horâ nonâ veſpertinâ. Obviorum crebris interpellationibus & quæſitis, nihil aliud, quàm *imminere Regis adventum*, reſpondetur, dum interea rectâ viâ Comitatus contendit ad Regiam. Penetrato Palatii aditu, & Gynæcei oſtio vehementer pulſato, evocatur eunuchus *Aga Naſìr*, ille fœminei cœtus inſpector, & Gubernator pariter Celſiſſimi Candidati. Egredienti Legatus *Conſternatio Conjugis Regiæ.*

E per-

perbrevi alloquio gravis momenti cauſam auribus inſuſurrat. Quâ intellectâ, ad Matrem rediens ſpado: *Educendum ſine morâ filium*, indicat, *adeſſe ex aulâ, qui ei proſpera nunciaturus ſit.* Ex quo verò nuncio, Mater quantum perculſa fuerit, & in quæ lamenta, ſuſpiria, querelas effuſa, nec Demoſthenes tibi ſatis graphicè deſcripſerit. Certè, venuſtatis & adulationum conſcia, quibus Mariti voluntatem arctè devinxerat Ibera Regis Conjux altera, jam dudum Puero prærogativam nativitatis invidens, nulla prorſus dubitabat, quin adeſſet carnifex ad excœcandum vel decollandum filium ſuum. Filium igitur amplexa, nunc in Patris truculentiam invehit, nunc diras evomit in Iberam; mox pignoris ſui ſortem deplorat, & pulchritudini Ejus, virtutibus & innumeris naturæ dotibus parentat, ab eo nullis obſecrationibus divelli patiens. Quin urgenti Eunucho cuſpidem pugionis, quem ex filii cingulo rapiebat, virili animo objicit, hôc ipſo cor ejus terebraturam minata, ſi amplius in Gnati dimiſſionem inſtet. Qui verò tum, diſrupto thorace, reſpondet: *En nudum eunuchi pectus! nil ego aliud à Te, Regina, flagito, quàm ut mille ictibus me perfodias, ſi hunc Filium Tuum, ſalvum Tibi ac felicem non reduxero.* Suffragiis cæterorum ſpadonum, illuſtriumque fœminarum pollicitationibus ægrè tandem dimiſſio juvenis impetrata eſt. Turbato vultu animoque cum Ductore egreditur Candidatus, maternis lacrymis perfuſus: Quo viſô, Legatus illico in faciem prolabitur, &, in ſubjectionis teſſeram, triplex terræ impingit oſculum; tunc in genua denuo relevatus, litteras à Senatu miſſas producit, atque ſimul in lacrymarum imbrem effuſus: *Fati*, inquit, *inſuperabilis neceſſitas ad beatos evocavit* ABASSUM, *Mundi Rectorem, Patrem Tuum, & Te in ejus locum conſtituit* WALI NAAMET. *Ad Te igitur inveſtiendum miſſi, Majeſtatem Tuam præſtolamur, ut Inſignibus Re-*

Legati adlocutio.

giis




Talari Tanlich

giis quàm ocyſſimè Te ornari, atque Regem Te ſalutari jubeas. Ingenuum Sereniſſimi Juvenis animum annunciata hæc felicitas ſua, non tantum commovit, quantum turbavit triſte nuntium de amiſſo amantiſſimo Genitore ſuo. Plorabat ſanè acerrimè, lacerabat prætextam, ejulabat, nec à gemitibus planctibusque priùs ceſſabat, quàm conſurgentes Legatus & Ephorus afflictum animum conſolationis efficaciâ erigerent.

§. III.

Actus Coronationis primæ.

Poſthinc vicinum palatium, quod تالار طويله *Talaar tawilèh* vocant, Coronationis actui deligitur; manibusque comprehenſus Princeps, coronandus illuc deducitur. Hîc Ille (priùs in conclavi proximo lotus & concinnè indutus) in fine atrii locum occupat medium, i. e. ſupremum; utrinque ad parietem Præfectus, cum ceteris à Senatu delegatis, decenti ſeriè conſident. Aſtrologi ſummæ domûs pavimentum (pro ut ædium plana ſtructura eſt) aſcendunt, ut directis in cœlum dioptris, ſtellarum diſtantias metiantur, & influxuum rationes ſubducant accuratiſſimas. Mirè calculationum fumis ſe macerant hi artifices; quia præter ſeptem viſibiles Planetas, in Zodiaco ingenii ſui rotantur octo inſuper Planetæ inviſibiles, quos linguâ Tartaricâ, ſive Turcicâ (inventori vernaculâ) vocant *Sekkis Jalduus*. Hos infauſtos mortalium generi eſſe, &, ſi conſpirent, exitioſos aſſerunt; velocique adeo curſu gaudere, ut alii uno circiter die naturali citiùs, tardiùs alii, motum proprium abſolvant. Ex quâ celeritate, quot aſpectuum & influentiarum varietates, atque inde calculantibus difficultates enaſci poſſint, quis non intelligit? Exiſtentiam neganti mihi dixerunt Aſtrologi: ipſum Ptolomæum earum feciſſe mentionem, motus & virtutes tamen ſiluiſſe. Poſt

Coronationi tempus definiunt Aſtrologi.

 ſemi-

ſemihoræ impenſam deſcendens in Conſeſſum Magus: *à triginta minutis auſpicatiſſimum Regiæ Coronationi tempus orſurum*, indicat. Quo auditô, mittuntur illico, qui ſpiritualium id temporis Antiſtitem *Sjeich el Iſlàm* accerſant, cujus erat Coronationis defungi ceremoniis: tum, qui Civitatis Directorem *Waſîir*, & ceteros pariter invitent demorantes in metropoli Principes, quorum præſentiâ Actum decorari decebat. Inferuntur quoque ſacrata Coronationi Inſignia, videlicet Sella quadrupes ſine loricâ, ex auro ſolido fabricata, pedata, ad menſæ altitudinem, quæ Thronum deſignabat. *Tádſji tomàr*, i. e. Cidaris, ſeu Pileus Regius, pro Corona ſerviens; Acinaces cum Zonâ, qua femori alligetur, & Pugio faſciæ ventris à dextro latere inſerendus: omnia auro, margaritis, gemmis micantia. Ajunt, diademata, quibus Inſignia fulgebant, à gnaris gemmariis æſtimata, ſuperare pretium centies mille Tomanorum: Tomanus autem unus æquivalet Joachimicis, ſive argenti unciis, ſeptendecim: Ingruente minutâ auſpicati, quod exſpectabant, temporis, Princeps nutu monitus, cum univerſitate præſentium conſurgit. Tum Legatus ex thoracis ſinu educit literas à Senatu miſſas; quas reverenter oſculatus, id eſt, ori & fronti admotas, Sereniſſimo Candidato exhibet. Is digito contactas, reddit publicè prælegendas, eum in finem, ut præſentibus, & toti propediem innoteſcat ſubditorum orbi, filium ſe natu majorem, hæredem legitimum, unanimi Procerum conſenſu, ſuffragantibus Diis, Gentiumque juribus, Paternæ Majeſtatis faſtigium conſcendere. Prælectione factâ, Religionis Antiſtes ceremonias orditur; primò omnium Summum Numen, omnis poteſtatis ac bonitatis fontem, ardenter ſupplicans, ut ſacra hujus Actûs fauſta ac felicia eſſe jubeat; dehinc grates agens Beneficentiæ & incomprehenſibili Providentiæ Divinæ, quæ vaſtum Perſarum Imperium digno Recto-

Coronationis Inſignia.

Coronationis Ceremonia.

re


Tamerlanes
Sjah Solyman
Sjeich Sephi
A.v. Brandshagen

re deſtitui haud quaquam voluerit, tum demum orationem finiens conſecratione præſentium Regni Inſignium, quæ in atrii pavimento jacebant repoſita. Hinc Candidatum adortus, Acinacem ſiniſtro Ejus femori alligat; Pugionem ventris faſciæ ad dextram inſerit; Coronam, ſive Pileum Regalem, detracto prius velamento, raſo capiti imponit, ad ſingulas Inſignium collationes, ſingulares preces & dicta ex Corano recitans. Sic decoratum ad Sedile aureum ducit, medio atrio repoſitum, & in illo ſeſſum capere ſubmiſſe ſolicitat. Poſtmodum in genua provolutus, reductis in cœlum oculis, ſuſpiria perſequitur; inſidentem throno Regem, votis & benedictionibus cumulat; & ad ultimum precatur: *ut ſub auſpicio Ejus Numinis, cujus nutu terrarum orbis atque cælorum univerſitas dirigitur, Sceptrum quoque Perſicum in veram ſubditorum ſalutem & immortalem gloriam ſuam dirigat, atque ad cæli cardines extendat REX SEPHI, WALI NAAMET!* Quam Regii Nominis & Encomii clauſulam, altiori voce expreſſam, univerſitas præſentium palmarum colliſionibus & applauſibus excipit: *Intſj allah!* id eſt, bene vertat Deus! velut VIVAT noſtrum, intenſo clamore ingeminans. Hæc ubi gravi Svadâ præſtiterat Pontifex, tandem etiam in faciem ante thronum devolutus, oſculum ſubjectionis ſuæ deponit, eo ritu, quo fas eſt hoc cœlo Majeſtatis veſtigia venerari. Pontificis exemplum imitantes ceteri, gratulationes ſuas, in genua procumbentes, deponunt, & proſtratis corporibus Regio pavimento deponunt oſcula ſucceſſivè ſinguli. Factâ reverentiâ, quiſque prioris ordinis ſeſſum recipit; tantum Spado ſæpe laudatus, ſupremi Camerarii munus obiens, à Regio latere ſubſiſtit, & Legatus, Mareſcalli vicibus functurus, ante Majeſtatis faciem remoratur; Ipſe demum Rex, relicto throno, ſedem repetit.

Noviſſima à Corona-

His paulò ante undecimam peractis, illico nomine

Sere-

Sereniſſimi mandatur; *Primò*, ut Regia foris ac intus excubiis muniatur, Majeſtatis præſentiæ debitis; *Secundò*: ut theatrum Muſicum dies viginti indeſinenter perſonet, ad numerum ſcilicet annorum, quos agebat Rex. Eſt illud theatrum pergula quædam lignea, longa & præalta, ſupra externum fornicem *Kaiſarièh*, ſeu palatii mercatorii, exſtructa, ad orientale latus fori maximi, adjacentis Regio Palatio inſtar veſtibuli. In illo occupantur & ſtipendia ſua merentur quadraginta tubicines, qui poſt mediam noctem, & ſole oriente, nec minùs in Regiis conviviis & ſolennitatibus publicis, pro honore Sereniſſimi horrendo ſonitu diſſonos boatus & clangores edunt. Vix genus buccinæ in Europâ & Aſiâ invenio, quod hîc, ſed indoctâ buccâ, inflari non viderim; pulſantur ibidem loci tympana quoque diſcrepantis ſoni & figuræ; à quibus pergulæ illi nomen *Nacbora-chonèh*, id eſt, tympanorum domûs, impoſitum eſt; *Tertio:* ut annulis ſignatoriis & ſigillis, quæ Legatus ex *Orduu* attulerat, defuncti Principis expuncto nomine, inſculpatur, ſi fieri poſſit, Regentis nomen *Sjah Sephi II*, vel etiam nova, ſi placet, in illorum locum fabricentur; *Quarto:* ut, deſtructis prioribus, nova formentur piſtilla monetaria, novi Regis inſignienda nomine. Actutum ſingula exſequi cœptum eſt, & monetæ, inter Aulicos & Civitatis Primates, poſtridie diſtribuendæ, eâdem nocte ex auro argentoque cuſæ ſunt. His ita curatis, Rex mediâ nocte diſceſſit, actumque, ſomno & honoribus obrutus, diſſolvit.

tione mandata.

(Vide figuram ſuo loco)

Properantem, in maternos amplexus, ipſa anticipat Genitrix, fœmineo comitatu ſtipata, & triplici veſtigiorum oſculo fortunæ ejus exſolvit reverentiam; idem Conjux Regia & Concubinæ præſtant, cum pediſſequis totius gynæcei incolis, omnes affectuum pugnâ diſtractiores, quàm ut lætitiæ poſſent, vel doloris verba facere. Nec minùs animo in diverſum agitabatur Sereniſſimus

Gynæcei applauſus.

Ille

Ille Juvenis. Profectò æneus fuerit, niſi ſummopere commoveretur, accepto ſimul lugubri & ſummæ felicitatis nuntio. Intemperiem animi, dum in throno ſederet, ſæpe mutato colore vultûs prodebat intuentibus: cùm videret Principes facie in veſtigiis ſuis proſtratos, qui paulò ante captivus erat & mancipio ſimilis; cùm tot ceremoniis ſibi litari cerneret, ipſe vero eſſet rerum politicarum ignarus; cùm, qui de oculis & vitâ omni tempore periclitabatur, non modò metu ſe exemptum eſſe cogitaret, ſed Orbis quoque terrarum vocari Dominum! In illo dramate quid porrò fecerit gynæceum, quos deinde planctus funeri, quos plauſus coronato Filio præſtiterit, me latet. Faciliùs enim eſt explorare, quid rerum in remotiſſima geratur Tartariâ, quàm quid in interiori gynæceo Regis Perſarum.

Publicatio de creato Rege.

Poſtridie civitas, inſueto ſonitu excitata, in forum maximum confluit, ſciſcitatura cauſam. Quâ intellectâ, quisque pro otio ſuo aliquantiſper commoratus, ad negotia tranquillo animo regreditur: quaſi nihil inſolens, nihil novum & mutabile acciderit. Adeo ex mutatione Perſonæ Regiæ nihil turbantur ſubditi, nihil timet vel patitur tranquillitas publica. Rariùs Orienti reliquo hæc felicitas contingit. Quis enim neſcit, quantæ magni Mogolis, quantæ cæteris Aſiæ Imperiis, ex iſto fatali fonte, exſurgant tempeſtates, à competitoribus filiis, vel agnatis? In noſtris etiam, quot, ex interregno, patiuntur detrimenta innocentes ſubditi, priusquam unus ad Solium per tot æmulos eluctetur? At ſæpe numero eluctatur is, qui vi, injuriâ, fraude Competitores & Optimates ſuppreſſerit, eo ipſo maximam priùs ſtragem & calamitatem inferens Reipublicæ, cujus ſubit gubernacula. Tutior Perſarum eſt ſucceſſio, quæ cum funere Principis, ſimul coronatum Succeſſorem populo oſtendit, eumque ab invidiâ & inſidiis ita vindicat, ut excœcari ſimul vel occidi jubeantur, qui-

quicunque juris quicquam participare in Purpuram ex nativitatis ſorte videntur. In tanto ſcilicet pretio Regis & publicæ tranquillitatis ſecuritas eſt, ut nefas ſit, pro illâ nefandæ crudelitatis parricidia omittere.

Ante meridiem Sereniſſimus, prædicto veſtitu ornatus, in eodem atrio comparuit, ut à Civitatis primoribus Subjectionis exciperet reverentiam. Duravit Conſeſſus ab horâ nonâ ad undecimam. Poſt meridiem plebi quoque ſe oſtenſurus, equitavit ad viridarium *Hadſar dſjerìb*, militum ſatellitio, Proceribus Regni, & Nobilium ingenti turbâ comitatus. His auſpiciis Ille Regalis vitæ licentiam inchoavit. Moneta hoc die divulgata, uno latere Perſicæ Religionis Symbolum exhibuit: *Non eſt Deus, niſi altiſſimus; Mahhammed Propheta Dei, Aalì Amicus Dei;* Alterum expreſſit diſticho Perſico hæc verba: *Poſtquam eſſe deſiit Rex Abbas II, Sefi Mundi Princeps monetam cudit.* Et paulo inferius: *Cuſa Sphahani* (Anno Hedſjiræ) 1077. In aliis nummis (quos mihi videre non contigit) dicuntur exſtitiſſe præterea circa marginem Imamorum XII. nomina, & in medio alterius lateris: *Vaſallus Prophetæ SEPHI eſt.*

Moneta nova.

§. IV.

Actus Coronationis poſterioris.

Expedita ſic fuit Coronatio; verùm enim verò, auſpicio non ſatis ſecundo: Id credidit ſuperſtitioſa gens ex ſiniſtro Regis & Imperii ſtatu, qui Coronationem è veſtigio excepit. Rex, perinde an cœli, an ſuâ culpâ, corporis variâ cœpit implicari ægritudine, & ſenſim viribus deficere; caput tetra invadebat ſcabies, (ſed hæc Perſis ex fructu horario eſt popularis) faciem pallor, totumque corpus languor & macies occupabant. Biennium, quod inter medicos gemuit, aliis hecticus, aliis cachecticus judicatus eſt; Interim à publicis recreationibus, equitatione, excurſationibus cum gynæceo, conviviis & omnis

Coronationi pediſequus Regis & Regni ſtatus calamitoſus.

generis luxuriâ haud abſtinens. Regnum verò, quid ſiniſtri non paſſum eſt? Annonæ magna ingruebat caritas; graſſabatur peſtilentia, & morientium funera deſolabant pagos; Bactrianam inundabat hoſtis ex Usbeciâ; Vaſtabant Hyrcaniam Coſacci; Ad Orientem Candaharo minabatur excidium Indiarum Princeps *Oreng Seef;* Ex Occidente quoque Turcorum copias imminere, rumor percrebuit. Dubites, Regis an Regni ſtatus miſerior fuerit; Sic in utriusque exitium conſpiraſſe omnia videbantur. Sed in aſtra culpam, ut famæ ſuæ conſulerent, conjiciebant archiatri; *His*, dicebant, *non rectè conſpirantibus coronatum eſſe Patientem; Aſtrologorum id ſive errore, ſive negligentiâ contigerit. Quippe palam eſſe, malignitatem cœli tantam fuiſſe, ut à Rege etiam in Subditos & univerſum Regnum redundaverit.* Inventum, me Hercle, pro excuſandâ infelici curatione argutiſſimum, quale vel ipſi Hippocrati & Galeno nunquam veniſſet in mentem; Ingenio ſupplebant, quod arti deficiebat, alioqui de fortunâ & dignitate ſuâ periclitaturi.

Conſilium de redauſpicandâ Coronatione.

Ita perſuaſa Sereniſſima Domus, conſilium cum Senatu capit de redauſpicandâ Coronatione, credens ſic annihilatâ priori, abolitum quoque iri infelicis aſtri dominium; Statuit ſimul, Aſtrologos hortandos eſſe, ut cœli motûs attentiori ſtudio examinent, quò deligatur tempus maximè idoneum, & nullo mali ſideris aſpectu infeſtum. *Sephi* quoque nomen Regi Regnoque infauſtum judicant; hoc ſimul mutandum eſſe, & locum Actui, & perſonas, quæ Coronationis ceremonias celebrarent, deſignandas eſſe alias. Ratum fuit conſilium, & ritè omnibus obſervatis, nova Coronatio celebrata eſt in horto, intra pomœria quoque Regiæ ſito, qui dicitur *Tſjihil ſetuun*, à 40. columnarum palatio, huic actui deſtinato. Nihil attinet ſplendorem & ſolemnia ejus depingere; Prioribus erant ſimilia: tantùm in fine orationis pro nomine

SEFI

SEFI, SOLYMANNI nomen ſuppoſuit nuper admodum creatus Pontifex, feliciter imperare jubens *Regem Solymannum NAAMET WALI.* Quæ verba, ubi omnium vox *Intſji Allah!* & ſingulorum proſtrato corpore gratulatio confirmaſſet, peractus fuit & alter Coronationis actus Regis, impoſterum *Solymanni* dicendi, è Regibus 234, quos Perſia numerat, ejus nominis III; nimirum die 20 Martii, Anni Chriſti 1668, horâ nonâ matutinâ, quâ Sol intrabat ſignum Arietis, ſub ipſis auſpiciis anni Perſici, qui erat *Hedſjiræ* 1079. Placebat præ ceteris nomen *Solymanni* سُلَيْمَان, quod eſt *Salomonis*, cujus etymon ducunt ex Arabico سَلَامٌ *Salàm*, (Hebraicè שָׁלוֹם *Schalom*, unde *Scholon* vox ſalutantis eſt apud Polonos) quod pacem, vel سَلِيمٌ *Salìm*, quod humanum & affabilem ſignificat: à quâ voce *Solon* Athenienſium Legislator nomen duxiſſe potuit. Hoc nomine monetarum typi & ſigilla intra horas quatuor excuſa ſunt, & miſſi in Provincias nuncii, qui Rectoribus inſinuarent novi Nominis adoptionem. Seu terminum nacta ſit, ſeu imaginationi ceſſerit ægritudo, meliùs certè Rex habere cœpit ab altera Coronatione: & convaleſcente Rege, malis quoque Regni remedia feliciter inventa ſunt.

RELATIO III.
Perſona Regis Solymanni.

§. I.

Regis facies & habitus corporis.

Solymanni Coronatione perſpectâ, nunc ipſum illuſtre πρόσωπον contemplabimur. Natus eſt Rex anno *Hedſjiræ* 1057, Chriſti 1646. Forma illi habitusque corporis elegans eſt & planè Regius; Statura modicæ longi-

Vultus.

 tudi-

tudinis, procera & gracilis; facies ut rotunda juveni erat, ſic viro nunc oblongior, macilenta & pallidula, cute tenerrimâ & candidiſſimâ; frontem habet altam & apertam; oculos ad Cyrcaſſæ Matris imaginem magnos, cœruleos & ad hilaritatem modeſtiamque compoſitos; naſum modicè aduncum; os compoſitum & ſub tuberante labio decorum; myſtaces rectæ ſunt, non nimiùm productæ; barba, ab imo mento, lunari orbe emergens, maxillas operit, curta & arte nigricans, depilato menti ſpatiolo, quod labio ſubtenditur. Moribus gratioſus eſt & mollior, voce ſubmiſſâ, ſatis maſculâ. Cervicem gerit erectam; incedit graviter, equitat lentè, creberrimè circumſpicit, ignotosque firmo lumine & verecundè intuetur. Veſti-

Veſtitus.

tu gaudet ſimplici, nitido, molli, ſericeo, coloris plerumque flavi vel rubentis, ſemper infra miniſtrorum pompam indutus. Solùm tiaræ pretioſiſſimo ſuperbit Diademate, quod, à tergo ex dextro latere affixum, Regiæ Majeſtatis index eſt.

(*Figuram vide p. 37.*)

Hoc genus ornatuum, quod جقه *Dſjechàh*, تيل *Tiil* & تاج *Taadſj*, id eſt, *criſtam* vocant, multiplex ei eſt, & majorem theſauri partem conſtituit; plerumque adamantem in medio exhibet prægrandis pretii, ambitu unionibus, vel gemmis aliis reſplendente; cætera vitro artificioſè pictum. Tribus faſtigiatur tubulis, quibus inſiſtunt ardeæ avis plumæ; ſubtus in ſtylum deſinens, tribus ſtipatum catenulis, in extremitate aduncis, ut harum ope firmiùs affigatur.

Pileus aulicus Taadſj.

Eſt etiam *Taadſj* nominis pileus quidam ſingulari figurâ, Aulæ Perſicæ dicatus, quo & ipſum Regem coronari ſupra diximus, & Magnates ornati in ſolenniſſimis conviviis Regi comparent, ex aureo panno conſutus, & cimeliorum ordinibus magnificè obvolutus; quapropter *Tadſji tomàr*, id eſt, pileus circumligatus dicitur, ad differentiam ſimplicioris, quo ex Turcicâ tribu, delecta militia (de quâ ſuo loco dicemus)

mus) & *Sopì* ſive *Jeſauli*, id eſt, Atrienſes, ſive interioris palatii cuſtodes Regii teguntur, rubro & ſine ornatu; figura ei circa frontem anguſta eſt, inde amplior exſurgens ſummitatem habet planam, duodecim plicis, ad Imamorum numerum corrugatam, ex cujus medio ſtylus erigitur anguſtus, rigidus, longitudinis palmaris. Ferunt Imamum *Aali* hôc ornatu comparuiſſe τῷ *Scheich Haidari*, inde à filio Iſmaële, fundatore Regiæ hujus proſapiæ, in aulicum habitum eſſe adoptatum. Qui inter Heroum teſſeras *Taadſji* Perſarum enumerant, ornamenti hujus uſum & genium ignoraſſe videntur. Acinace femur Regis, niſi equitantis, non gravatur, ſed ille præſto eſt manibus cuſtodis. Idem tenendum eſt de ſclopeto, arcu & ſagittis; Tum de ſtrophiolo, hydriâ, machinâ fumatoriâ & pyxide medicinali; ſingulorum enim ſinguli cuſtodes ſunt à latere Ephebi: Saltem dextrum latus pugio ornat cingulo infixus, tum ex cervice ante pectus pendet ſigillum ſecretiſſimum, quo, atramento priùs illito, ad obſignandum utitur.

§. II.

Regis indoles, mores & vita in genere.

Hæc eſt effigies Regis, à me tutiùs expreſſa verbis, quàm icone potuit. Hoc enim profanationem Sacræ Majeſtatis judicari, nuperum me docuit exemplum cujusdam Multhani (ita hîc Indos, à finitima ejus nominis provinciâ, alii Benjanos, à Sectâ Religionis, vocant) qui Solymanni faciem pinxerat, mittendam magno Mogoli; Re proditâ, interceptâque imagine, in carcerem detruſus eſt, & dirè habitus, unà cum conterraneis circiter vicies mille in urbe habitantibus, qui, ut perſonæ, ita & criminis quaſi ſocii, expiare culpam ingenti æris copiâ coacti ſunt. Addo impunè indolem, dotes animi potiſſimas, & ſi quid præterea ex vitâ & moribus ſeu laude, ſeu vituperio dignum, quadriennio excerpſi, quod partim in Aulâ, partim

Effigiem Regis pingere nefarium eſt.

 in

Educatus liberè. in provinciis exegi. De puerili nil dicam vitâ, niſi quod à matre Cyrcaſſâ, & generoſæ indolis nutrice Perſianâ, uxore ſcilicet *Muſtaufì Elmemalìk*, educatus ſit delicatè, ſuperbè & liberè; cetera reſpondent iis, quæ ſupra de Candidatis Regiis dixi in univerſum, ut eadem de Principe noſtro in ſpecie referre ſupervacaneum ſit. *Ex voluptatibus valetudinarius.* Præſertim verò recenter creatus, & cum ſceptro quodvis audendi facultatem nactus, ſic Veneri matri, ſic Libero indulſit patri, ut extincto vitali ſpiritu contabeſcens, biennium pene ſub Medicorum curâ languidus, nunc ægrotus, nonnunquam morti vicinus fuerit. Ex quo verò, errorum pœnitens, ſibi temperare ſtuduit, melius quoque habuit, & valuit hactenus ſatis commodè. *Cum Gynæceo crebrò deambulat.* Laſciviæ tamen illecebras nequaquam deteſtatus, crebras hactenus deambulationes inſtituit cum *Haramo* ſuo, ſeu Conjugum grege. Cum his, dum ſe à prædio ad prædium proripit, Interdictionibus *Koruuch* cives turbat frequentiùs, atque ullus fecerat anteceſſorum. Numerant earum ampliùs centum, quas primo regiminis triennio, etiam valetudinarius, celebraverat. Frequentiſſimè omnium inviſit prædiolum in dorſo montis *Sophà*, ultra *Sjulfam* ſuburbium Armenorum ſitum, quod à ſe ſtructore nomen habet *Tachta Solyman;* Id, ſive repetat, ſive deſerat, non Sjulfenſibus tantùm, ſed accolis plateæ maximæ *Tſjahar baach*, quæ à Regiâ illuc protendit, Interdictionis publicatione moleſtias faceſſit intolerabiles.

Haraam & Koruuch, vocabula. حَرَام *Haraam* & قُرُوغ *Koruuch* vocabula hîc attinet exponere.

Haraam propriè id ſignificat, quod ſpiritualiter interdictum, & quod nefas eſt temerare dictu factuve; Inde receptum eſt, conjugum & concubinarum cœtus, & per metonymiam ipſas earum manſiones vel gynæcea ſic appellare, velut loca omnium ſecretiſſima, in quæ acceſſus nulli patet, præterquam marito, caſtratis cuſtodibus, & invitato

tato medico. Quippe polygami Perſæ adeo ſunt zelotypi, ut vulgaris etiam civis fœminam domo egredi non patiatur, niſi linteo obvolutam, aliâ toto corporis ambitu non patente rimulâ, niſi ad pupillam oculi. Principum autem uxoribus & concubinis, nec velatis quidem prodire licet, niſi longè à conſpectu abactis è ſexu maſculo, qui jam ſeptimum annum exceſſerunt. Hæc abactio, vel receſſûs publicatio, *Koruuch* vulgo appellatur, quod alioqui ex ſuâ indole ſignificat, quicquid politicè interdictum eſt, Gallicè *les Contrebandes*. Utrique voci oppoſita ſunt حَلَالْ *Halaal*, quod ſpiritualiter, & مُبَاحْ *Mobà*, quod libertate politicâ licet. Liberalitate regiminis exordium Rex mirè illuſtrabat, nihil omnino petentibus renuens, & ultrò in adulatores quoque munificus. Dominii non exiguam partem donabat, aliis تِجُولْ *tidſjuul*, id eſt, in poſſeſſionem ad vitæ tempus, aliis سيورگال *ſijuurgaal*, id eſt, in bonum hæreditarium & æternum: quorum reditibus annuis nunc deſtituitur Regis ærarium, cum retractationem non ferat auctoritas Datoris. Pariter in convivia, ludos, pyrotechnica ſpectacula, argentum immodicè profundebat: velut priſcis regnaſſet ſeculis, quæ Perſarum immenſas divitias proverbio jactabant.

Principio regiminis prodigalis.

§. III.

Geminus in Principe nævus.

Avaritia.

Excurriſſet Magnificentia Principis in exitioſam prodigalitatem Cameræ, niſi opportunè de exhauſto ærario monitus, didiciſſet redituum annuorum imparem cum expenſis rationem. Quâ Rex territus, tantum abeſt, ut parcè & frugaliter vivere voluerit, ut potiùs in contrarium vitium ſubitò transgreſſus, hactenus non vereatur plus juſto, ſæpè etiam cum detrimento ſuo divitiis incumbere, & avaritiæ infamiâ Imperatorum nomen inquinare;

nare; alioqui Pius, Clemens & Optimus Princeps. Novi matronam Regiæ Stirpis, quæ marito ſuo, ſacro Antiſtite orbata, impetraverat ab Abaſſo Rege ſtipendium: Cujus auctionem cum ſenex à Sereniſſimo Succeſſore peteret, Rex Cameræ prodigentiam indignatus, adempto ei beneficio, unicum pro ſuſtentatione ABASSUM, (qui circiter uncialis quartarium conſtituit) dari in dies ſingulos juſſit, cum hortatione: *rem domeſticam ad modulum privatæ viduæ diſponeret.* Multo infelicius ſupplicata eſt ex purpurato ſanguine vidua alia, cui pro incremento, quod petebat, totum beneficium ademptum eſt, ſine refuſione aliâ. Ex officiis publicis, ſi quod vacare ex defungentis fato contingat, illud, ſi fructuoſum fuerit, ægrè tardiſſimèque ſupplebit, ſed vices alii obeundas demandabit, dum ipſe emolumenta capit; quemadmodum teſtantur diutiſſimè vacantes *Sjeich el iſlam*, *Mehter*, & *Iſjik agaſi baſji* fructuoſiſſimæ functiones, ut minores taceam. Narratis fidem mihi fecit præpoſtera æſtimatio rariſſimorum munerum, quæ, dum in Aulâ commorarer, à variis Principibus mittebantur. Legatis præſentibus Rex promiſcuè omnia comi intuitu dignatus eſt, eminus in faciem adducta; dimiſſis è Convivio, ubi penitiùs examinaret, repudiatis cæteris omnibus, collaudavit quidem curioſè facta, ſola tamen aurea, ob metalli pretium ſecrevit, & domi ſuæ retinuit. Orator Chriſtianiſſimi Regis *Franciſcus Piquet*, Epiſcopus Babylon. & Vicarius Apoſt. miſſus, machinam tulit admirandi artificii, quæ aſtrorum motus & aſpectus exhibebat ad hypotheſes Copernicanas, Orienti hactenus inauditas. Novitatem rei, neutiquam operis artificium demiratus Rex, an ex obryzo factum ſit, quaſi id unicè rebus pretium tribuat, primò omnium inquiſivit; at vilioris metalli intelligens, magorum de principiis judicium percunctatur: Qui, Solem vel omnibus videntibus, oriri indies & occidere, ſtare terram immo-

immobilem, & jacere Copernicum, ubi ignominioſè ſatis reſpondiſſent; reſervari illico juſſa eſt rariſſima & incomparabilis artificii machina ſuo loco, id eſt, in vetuſto quodam urbis caſtello *Kalái berrùk*,(quod arcem benedictionis ſonat) cuſtodiæ armorum & rerum ſuperfluarum dicato. Hîc ab aliquot ſeculis translata à Legatis munera, certè præſtantiſſima & perquam rariſſima, pulvere, tineis, ærugine ſepulta jacent, & ab omni conſpectu & uſu, velut in Ponti exilium damnata. Parem fortunam experiebatur, quod à Sereniſſimo Suecorum inter alia obtulimus, Horologium, quondam Victori Guſtapho Adolpho à Noribergenſi Republ. datum. Pyramidalis ſtructuræ erat, altitudinis tetrapedalis, artis chronometricæ perfectum exemplar, quod planetarum omnium motus & varios temporum articulos, tum ex incluſo organo in horas ſingulas concentum muſicum, gemini globuli decurſu dirigebat. At verò, quod æneum, non aureum, eſſet, nec ſummâ elegantiâ ſuâ, nec excellenti motuum artificio, nec inſolenti harmoniæ ſuavitate valuit ab exilio ſe ſervare, tantis terrarum tractibus operoſè adductum: quin poſtea obſcuro in loco humi depoſitum invenerimus, paſſim deficientibus Dædaleis ſtatuis & coronidibus, quas fortaſſe aureas putaverat violator.

De altero nævo, libidine ſcilicet, quid dicam? ſi modò nævus jure Perſico dici poteſt, quæ, nullâ Lege interdicta, univerſam occupavit nationem. Citabo tamen, quicquid in Purpurâ dedecens, non nationis ſed Chriſtiano judicio adverto. Formarum Rex, in ſexu fœmineo, nimius æſtimator eſt. Auro citiùs deſiderium, quàm formarum varietate libidinem expleas. Mittunt ceteri Provinciarum Rectores ſtrenas aureas & argenteas, merces pretioſas, equos, mulos & camelos, quibus tamen omnibus ajunt acceptiora Regi contingere annua dona *Libido.*

G. unius

unius Archiſatrapæ Sjirwanenſis, qui æris loco puellas & pueros laſciviæ Ejus transmittit, formoſiſſimos omnium, quos ex Circaſſiâ, Dageſtanâ & Georgia venales illuc ferunt venalitiarii. Nemo mortalium majori rei cujuspiam ſolertiâ agi poteſt, quàm Ille curioſitate ducitur poſſidendi variæ pulchritudinis meretrices. Mittit quocunque exploratores eunuchos, qui quicquid elegantioris formæ inveniunt, petendum, emendum, rapiendum ſuo Principi produnt & pandunt. Sed id fieri dixeris ex antiquâ Regum conſvetudine; citabo potiùs Solymannicæ luxuriæ ſingularia. Hactenus Reges Chriſtianum ſangvinem Armenorum non inceſtaverant; nuper verò (anno 1683.) non abſtinuit Solymannus: ſed filias omnino duas & viginti uno ſpectaculo rapuit, totius ſuburbii *Sjulfæ* ſpecioſiſſimas. Delator erat *Kalentaar*, ſive Proconſul, homo ſub Chriſtiano nomine atheus, qui, eas citra ſtrepitum ut ſiſteret, auctor Regi erat, ne imminenti Luſtrationis feſto (quod omnium in Eccleſiâ orientali ſplendidiſſimum eſt, Armenis *Tſjirogneek*, id eſt, benedictio aquæ, Perſis *Gaſjeh Sjiruun*, id eſt, Crucis lotio dictum) in flumine urbis celebrando, ipſe Rex pro more ſuo compareret, ſed Armenorum moniales, quibus ſacra celebrare permiſſum ſit, virginibus ſuæ nationis ſtipatas accerſeret, ad hos ritus pro ſpectaculo fœminarum ſuarum in gynæceo peragendos. Quibus ſic inſtitutis, ex centenis & ampliùs, auro cimeliisque ornatis, retinuit quas dixi, ceteras dimiſit. Eodem proditore anno 1685 victimas ſuæ libidini evocavit ex eodem ſuburbio Francorum puellas octo, ſimulans quaſi à fœmineo collegio deſiderentur veſtitûs cauſâ inſpiciendæ. Cui tamen injuriæ ſtrenuè ſe oppoſuêre demorantes in Aulâ Legati exteri, nec ſupplicando deſtitêre priùs, quàm ex Mahhammedano orco innocentes vindicaverint, octiduo ſub Regiæ Matris cuſtodiâ intactas ſervatas, ut ipſæ de ſeſe teſtabantur reduces. Generoſi

Domi-

Domini noſtri Fabritii, Legati Sveciæ, felicem zelum laudo, quo hic obex quàm maximè removebatur. Ducimur mortales noſtris erroribus: quos in vulgo rigor Legis cavet, ne ingraveſcant, vel umbræ operiunt, ut ignorentur; in ſummis viris magis luxuriant indomiti, vel leviores gravitatem hôc ipſo induunt, quod luci expoſiti ſint. Vides quàm nullam ſubeat lacera plebeji & conſpurcata veſtis cenſuram; Purpura Principi ex paucis maculis indecora ſit; & præclararum atque inimitabilium ejus virtutum gloriam unius reſtinguat criminis turpitudo.

§ IV.

Virtutes Regi plurimæ.

Enim verò ſi præterea Celſiſſimi Principis noſtri vitam & mores excutio, genium in Illo optimum, dotes animi præclaras, & congeriem invenio virtutum, quibus Ille, velut illuſtre gemmis Diadema fulgens, educationis diſpendia feliciter refundit. Jurare auſim, ſi geminam labem excludo, Aſiam noſtro ſeculo præſtantiorem in togâ Principem tuliſſe neminem. Paucas ex optimi Principis actionibus excerpo, ac primò quidem loco *Comitatem* ſiſto; quâ felix Zodiacus, ut univerſam beavit nationem, ſic inprimis eam conceſſit Sereniſſimo Principi noſtro, ſed gravem, Majeſtate dignam, & ſingulari modeſtiâ, quam Tacitus omnis virtutis promptuarium vocat, egregiè ſtipatam, ut de Eo mihi liceat, quod Ciceroni (*in Catone majori*) de Attico, referre: *EIUS COMITATEM non ſine ſeveritate eſſe, neque gravitatem ſine facilitate.* Nemo familiarium alloquii benignitatem, nemo hoſpitum blandos nutus & ſalutationes humaniſſimas non deprædicat. Civium verò amorem ſic conciliavit Comitate, ut ſtrepitus tumultusque audiantur in Civitate, ſi unico menſe, (quod raro evenit) ſanum ſe & incolumem publicè non oſtendat deſiderio populi: qui ſuo Principi benevolentiâ ſuâ adverſus invidiam aſylum, & domi, foſſis

Comitas.

 val-

vallisque nudæ reſidenti, arcem præſtat munitam, ſatellitumque turmas inſuperabiles: objicere ſe pro illo mucronibus inſidiantium paratiſſimus,& ſubſternere corpora ſua,ſi per ſtragem illi humanam iter ad ſalutem ſtruendum eſſet, ut verbis utar *Senecæ l. de Clement. c.*3.

Clementia. Subjungo laudem *Clementiæ* in delinquentes; ut antiqvum Aulæ proverbium: *Imperium Regis,mors ſubita!* ex Solymannici regiminis moderatione deleam. Non loquar ſine exemplis. Majeſtatis reus erat *Toptſji baſji*, id eſt, ſupremus armaturæ magiſter: Capitis igitur jacturam merebatur, quæ ex more patrio portendebat univerſæ familiæ, ubicunque degeret, inclementiam & bonorum, ut vulgò loquimur,confiſcationem. Verùm, abſtinens bonis & ſangvine Regia moderatio, ſolâ placata eſt Præfecti cuſtodiâ, & depoſitione patris, qui *Candaharum* gubernabat, fortalitium,cum ejus nominis Provinciâ, magno Mogoli quondam ereptum. Delictum, ut ceteros errores prætereaṁ, ex filiâ natum erat, quam Rex ſequiori matrimonio ſibi admiſſam, donabat miniſtro exiguæ dignitatis: cujus ignobilem ſocietatem deſpiciens generoſa fœmina, concubitum reſpuit, & mox importuniùs laceſſita aufugiens, à genitore recipitur; qui in Majeſtatis opprobrium multa inſolenter locutus dicitur. Nil mitiùs in ſummum rei monetariæ præfectum ſtatui debuit; in quo tamen ſceleroſa argenti adulteratio ſola luminum, quibus peccaverat, expunctione vindicata eſt, intactis bonis & ſalvâ familiâ ejus. Ut factum liqueat, addam circumſtantias, quoniam valde declarant propoſitum. Anno 1670 ex Usbeciâ Legato ſolvendi erant ter mille Tomani; Quæ enim pecunia Legatis pro alimoniâ ſolvitur menſtrua,eam accipere recuſaverat, dum univerſam penderent abeunti. Id aliquando ſolent Oratores, ut oſtentent ſe alienis ſubſidiis non indigere. Haud congruum Regni Præſidi videbatur, ut ærarium tanta argenti ſum-

ſummâ indignus hoſpes emungeret; Conſulto Rege igitur curavit monetam pro Nuntio cudi, tribus partibus adulteratam, quartâ tantùm argenti. Scytha compertam fraudem ſic deluſit, ut acceptam ſummam in coëmendis pannis aureis argenteisque collocando, vitiatos nummos mercatoribus relinqueret; A quibus toto regno divulgati, tantam brevi acceſſionem paſſi ſunt ab imitatoribus, qui cudendi jure gaudent, puta à Gubernatore *Naktſjuwani*, *Erivani*, *Tabriſii*, maximè verò ab *Arſerunenſium* Turcico, ut legitimi pene omnes infelici metamorphoſi ſuffocati fuerint. Rex menſe Februario anni 1684 theſaurum pro ſuſtentandis Nuntiis aperiens (ſic nobis referebat *Mahmandaar baſji*) inter 30000 Tomanos tantùm 300 invenit legitimos. Hæc moneta omnis, præter Civitatis *Haviſèh*, ſolam adulterii expertem, anno 1685 menſe Novembris abrogabatur, publicatione equidem ut inopinatâ, ſic nimiùm præcoci; quâ, nondum ſubſtitutâ pecuniâ aliâ, cambia negotiatorum & commutationes rerum neceſſariarum, magno ſubditorum damno & confuſione, ſubitò ſiſtebantur. In ejus locum igitur, cum nova nummorum vis aſſiduò funderetur, non veritus eſt nummariæ rei præfectus Iſphahanenſis pretioſam Lunæ puritatem denuo Veneris admixtione ſtuprare. Miratus ſum in hôc exemplo ſubitam fortunæ cataſtrophen. Nam palatium illius eodem mane præteriens, in atrio videbam phaleratos inviſentium amicorum equos, & ſervorum pro miniſterio diſcurrentem turbam, imò falconibus, quos manu geſtabant, ambulantes aucupes (quod in hoc Regno maximè ad pompam ſpectat) & ad patrium luxum omnia diſpoſita. Poſt tragœdiam reverſus, ſine cuſtode adverti fores, inane veſtibulum, & eo loco, qui paulò ante equinis ungulis magnificè reſonabat, ſilentium & ſolitudinem; quaſi cum oculorum luce amici, miniſtri & omnis fortuna occidiſſet. Sulthanus *Ekber*, magni Mo-

 golis

golis filius rebellis, ut parentis victrices manus evaderet, ad Solymannum profugii iter ingreſſus eſt: Ejus adventum in Arabiam, Perſiæ vicinam, anno ineunte 1687, ſeriùs atque debuerat, Regi indicabat Vicierius Larenſis; nam & fama quædam velocior, & bini ſervi à Sulthano miſſi, Satrapæ nuntium anteverterant. Supinum hoc negligentiæ genus, in rebus ad Majeſtatem ſpectantibus, nemo expiare, niſi capitis jacturâ poteſt. Miſſus igitur eſt, qui Satrapæ (Viri doctiſſimi & in Europæos propenſiſſimi) caput peteret. Poſtridiè Rex, ex interceſſione Præſidis, ſententiæ pœnitens, carnificem veloci equite revocavit, incaſſum, ſi ſeriùs vel unâ horâ miſſus fuiſſet.

Ne verò Regii moris quicquam ſileam, ſuperat fateor manſvetudine probitateq; omnem anteceſſorum gloriam; non tamen omni bile adeo caret, ut ne præcipiti motu aliquando ad *truculentiam* effervescat. Hoc iræ proprium eſt, ſi poteſtate ad vindicandam armetur. Ad *Divanbecum*, ex convivio temerè abeuntem, miſit è veſtigio, qui oculos effoderet, quibus in Conſeſſum allatis, dedit officium illi, qui juſſa patraverat, quo nunc tranquillus fungitur. In menianis excelſis palatioli *Tachta Sophà* conſtitutus, laudabat ſitum & amœnitatem loci; cui oblocuta una ex amaſiis: frigidioris auræ moleſtias increpabat. Quod judicium indignatus Rex, fecit eam præcipitem dari, velut indignam, quæ illo loco ſubſiſteret. Nec levem calumniam affricuit prodigentia humani ſanguinis in pœnitendâ venatione, quam cum Aulâ univerſâ celebrabat anno 1683 ab ineunte Majo ad vigeſimum Julii. Octogies mille viros ſcipionibus fuſtibusque inſtructos in hunc ludum eduxit; quorum, cum quadragies mille, aquæ inopiâ compulſi vitam fugâ ſalvaſſent, ex remanentibus quingentos omnino ſiti extingui potiùs, quàm dimitti paſſus eſt; Cervi capiebantur non ampliùs viginti quinque, capriceryæ ſeptem, leopardus unus, ſed qui &

ipſe manus deinde evaſit. Dignum voluptate Regiâ diſpendium!

Juſtitiæ ac æquitatis perquam amans & ſtrenuus Cultor eſt; nec enim putandum Clementiâ abuti Solymañum, ut maleficiis ignoſcat. Unicum inſtar omnium ſit rigoris juſtiſſimi exemplum, quod forum transgreſſo fortè fortuna inſpicere mihi contigit, die 26 Februarii anni 1684. Nobilis quidam Perſa, ex *Sjulfa* ſuburbio, ſerus beneque potus in urbem rediens, ſocium ſuum, in viâ, jurgiis, mox ſtricto acinace adortus, interficit. Traditur, more gentis, patrator familiæ interempti, ut cædem expiet. Hæc ſe argento & interceſſionibus placari paſſa, reum criminis abſolvit. Non multò poſt, de homicidâ Rex: *quali mortis genere peremtus ſit*, quærit. *Ære*, reſpondent, conciliavit offenſos, & ab iis dimiſſus eſt. Quo audito, Sereniſſimus, juſtitiæ zelo, & irâ ſimul in dimiſſores accenſus, in hæc verba erupit: *Giddi*, id eſt, ô Cornigeri, (id enim vocabuli apud ſedatam gentem bilis excandeſcentis fulmen eſt, & convitiorum omnium compendium) *vobis innocens veſtrorum ſanguis pecuniâ proſtat? Expiari occiſi hominis innocentia niſi nocentis morte poteſt!* & cataſtæ concluſum vinctumque, ubi in forum adduci curaſſet, (ſedebat enim Rex in atrio Regiæ, quod foro imminet) ad circumſtantes converſus: *Quisquis me amas*, inquit, *ad ſumendum ſupplicium deſcendito.* His dictis erumpens Senatorum corona (eunuchis à latere Regio ſubſiſtentibus) ſtrictis mucronibus miſerum jacentis corpus occupant, & in mille particulas dilaniant. Ceterum, in rebus quoque civilibus ſacram Themidem non rarò commendare judiciis dicitur. Tumultus verò, quos ſupplicum ſæpe ingens confluxus ante Regiam excitat, vel nova onera deprecaturus, vel de injuriâ Directorum querulus, tantum abeſt, ut inclementer ferat, ut potiùs deprehenſam injuſtitiæ culpam in Præfectis ſeverè vindicet.

Juſtitia.

Pa-

Pacis amor. Pacem & tranquillitatem publicam religioſè colit, iniquam etiam, ex Tullianô monitô, bello juſtiſſimo præferens; quaſi cum Regno ſimul, hanc pacis ſervandæ regulam adoptaverit, niſi glorioſam ſibi, certè Reipublicæ ſalutarem, quam ſubindè pronunciare ſuevit: *Malle ſe leviores hoſtium injurias contemnere, quàm, ad ulciſcendum, dubiam experiri belli aleam.* Hinc tot ille ex Usbeciâ Tartarorum inſultus ſuſtinet; Satiùs ducens unam *Choraſmiam* pati, quàm crabrones ulciſcendo, vel irritando, plures Provincias pari periculo exponere. Nupera *Orientalium Batavorum* tentamina idem pacifici Regis ingenium experta ſunt: *Kiſmìs*, Sinûs Perſici inſulam, hoſtili claſſe expugnabamus; majora molituri, ſi virium tuliſſet atque cœli ardentis ſtatus. Gravi injuriæ vix manſuetudo præpotentis Regis ſuccenſuit, ſed hoſpitum imprudentiæ generoſè ignoſcens, aggreſſorum deſideriis inſuper gratificata eſt, neutiquam in optimam nationem ulciſci volens errores, paucorum hominum culpâ extra patriam commiſſos.

Fœderum fideiq; cuſtodia. Fœdera cum finitimis inita religioſè tuetur; Odit violatores candor Regius cane pejùs: nullâ occaſione lucri, nullis juſtarum rationum momentis permittens, tantillum à cuſtodiâ pactæ fidei dimoveri. *Turcarum Imperator Babylonem* indictis armis Regi Perſarum *Sephi* eripuerat. Pace deinde cum jacturâ urbis redintegratâ, plures & patri Abaſſo II. & Solymanno occaſiones datæ ſunt, quibus vel eandem Provinciam, vel aliam Talionis lege dudum recuperaſſent, ſi per fœderis ſanctionem ſtetiſſet. *Baſſoram* quoque Arabiæ occupandi occaſio fuit, quam ejusdem Provinciæ Princeps dediturus erat ante effugium; ſed fruſtra violationem fœderis ſolicitabat. Ex eodem capite *Arabes, circa Tigrim* flumen habitantes, oratore miſſo, vaſallos ſe nuperâ anni 1684 Audientiâ offerebant, diſtracto Chriſtianorum armis Imperatore ſuo, oppor-

opportunè jugum excuſſuri, ſi non renuiſſet fœdifragi moris & diſcordiarum oſor Solymannus. Et quid pro *Babylonicâ* expeditione, ſolicitatores, à ſacratiſſimi *Imperatoris Romani, Sueciæ, Poloniæque* Majeſtatibus miſſi, impetravimus? quid in hoc negotio, durante noſtro cum Turcis bello, in Perſide præſtitimus? Saginavimus nos luxu Perſico, & longâ in Regno morâ Principum noſtrorum expectationes fruſtrati ſumus. Fides data, quàm *Babylonia*, & pacis religio, quàm oſtentata victoriæ occaſio, carior Solymanno fuit.

Ut plures virtutes uno faſciculo complectar, *Pius, devotus, religioſus eſt.* Legales non negligit lotiones; nec preces ad ſtatutum tempus ſolitas. Feſtis anniverſariis aſſiduus vacat; & Ipſe *cum Altiſſimo collocuti*, id eſt, *Abrahami*, feriis, quas ſolenniſſimè celebrant, publicè intereſt, camelum in victimæ memoriam non rarò ſuâ manu ſaucians. Menſtruum jejunium quotannis cum univerſâ gente ſuâ obſervat, nec aſſumtâ vel aquæ guttulâ interrumpit. Vinum non ſanitatis modò, ſed & religionis gratiâ averſatur: licet interdictum Ipſe laxare ſibi poſſit, Prophetæ tradux, & Caliphatûs quodammodo hæres. Templum cathedrale, quod Regium vocant, ut Deum invocet, ſæpè pedes ingreditur, ſed incognitò & ante lucem. In ceteris ſe *Muſulmannum*, id eſt, verum fidelem, vitâ & exemplo ſuæ genti ſatis probat; ſæpè eò pietatis procedens, ut ad ſuperſtitionis ſcopulum allidat, & in auguriis ſignisq; ſpem fiduciamque collocet. Inprimis verò Aſtrologorum prognoſticis nimium quantum credit; His inconſultis hoſtem adoriri, admittere hoſpites, celebrare convivia, venari, prodire in publicum, vel ardui quicquam ſuſcipere non audet. Et quàm ſæpè contrario eventu illuſus ſit, nec tamen opinioni ſatis renunciat. Ridicula ſed vera narrabo: *Steno Radzin*, Coſaccorum Dux, *Hyrcaniæ* littus depopulabatur anno Chriſti 1667. Ad

Pietas.

Superſtitio.

H fun-

fundendum hoſtem ingens armatorum exercitus mittebatur, inſtructus aſtrologis, qui pugnæ diem horamque deſignarent, quò feliciùs, cœlo propitio, dimicaret. Interim præſtolando tempus augurii, victoriæ negligunt occaſiones. Illucente enim poſt feſtum expectato ſigno, vatidici *hoſtem invadendum* indicant, *& in ejus perniciem aſtra tandem ipſa aciem ſtruxiſſe* promittunt. *Coſacci* id temporis morabantur in Inſulâ littoris *Lenkoraan*, â vadi præſtantiâ ita dicti; qui ineptiarum præſcii, fugam navibus ſimulabant duabus maximis, quas, velut nauclerìs deſtitutæ eſſent, fluctuare huc illuc cogebant, quaſi ad elabendum inepti. Hoc dolo perſecutores, victoriæ fiduciâ fretos, protrahunt ante militum ordines, quos in Inſulâ cum paucis tormentis in inſidiis collocaverant; & velut in lanienam delatas oves, ad internecionem delent, ne cladis nuncius eſſet, niſi qui ex firmâ terrâ aſpexerat. Vehebantur Perſæ concatenatis navigiis, eo conſilio, ne qua poſſet unita claſſis diſſipari fluctibus, nec fugax hoſtis, navium gyro includendus, exitii fatum evadere. Verùm, hoc ſibi invento interitum peperêre; quia demerſa prima navis, in quam unicè ſagittas & fulgurantes tubulos dirigebat hoſtis, vicinam ſemper in idem pertrahebat exitium gravitate ſuâ, dum telis incautè obruti nullo modo valerent eam à connexione liberare. Perſarnm decies mille, alii plures fuiſſe referunt, quos aſtrologorum vanitas æquori immolaverat. Victorum numerus certè exiguus fuit, quem millenarium neutiquam attigiſſe narraverunt mihi, qui *Stenonis* victoriæ interfuerant. Non ita pridem Aſtrologi ultrò Regi diem recreationis indicabant ſvavem, innocuum & procul omni ſiderum malitiâ naſciturum. Appetente die Rex, Penatibus relictis, rus cum amicis petit, cœlo tam propitio non niſi aperto nudoque fruiturus. Verùm, non ſtetêre ſuis vel Sophorum promiſſis ſydera; Nam ad locum recreationi dele-

delectum vix appulſum fuit, cum turbo, repente ſubortus, furere, & cœlum terrâ miſcere cœpit, ut, quia papiliones deeſſent, niſi maxima perpeſſus incommoda ad Lares reverſus ſit Sereniſſimus; pœnas minatus maleferiatis aſtrologis, quod ſuâ ignorantiâ vel temeritate eum invitaſſent. Illo non multò poſt tempore accidit, ut Rex horâ quartâ, ante diem, in cathedrali templo, orans, ſonitum in ſummo æthere, ſudoque cœlo audiret, ingentis tormenti æmulum; quem & incolæ Civitatis audiverant omnes, niſi qui ſomno nimium ſepulti. Convocatos aſtroſophos Rex de fragoris cauſâ & prænotione quærit: ſed qui recenti dolentes vulnere, hâc vice utrumque neſcire ſe confeſſi ſunt, ſatius inſcitiæ pudorem, quàm pœnas luituri temeritatis. Incredibili ſuperſtitione laborantem invenimus eodem hoc anno 1684. advenæ: Rem notabilem, quantâ brevitate poſſum, exponam. Cum paucis fœminis in ſuburbano prædio demoratus Rex, unam thori ſequioris, quam maximè omnium deperibat, pugione, jocandi animo, adoritur, & titillationem ſimulaturus, verſus præcordia ejus aciem dirigit; Poſt pauca, quærit ex ipſâ: *Diadema manubrii*, quod in globi faſtigio micabat, *an alteram extremitatem, aciem nimirum, eligeret?* Reſpondet amaſia; *Mancipium ego Tuum, quicquid dederis, eligo;* & dum hæc loquitur, nudatum manu pectus ſimulatis ictibus objiciens, improvida ſtomacho læditur, ſed exiguo ſanè & vix oculis conſpicuo vulnuſculo: ex quo tamen, an ex metu, neſcio, repentè prolapſa, dicto citiùs exſpiravit. Inopinato hôc caſu in rabiem pene converſus Princeps, modò concubinas ceteras, modò eunuchos eodem pugione tentat perforare, quaſi reos culpæ, quam præſentes non impediverant: In ipſam etiam matrem invecturus, niſi recenti ejus iræ ſe ſubduxiſſet. Accerſiti aſtrologi, evolutis ephemeridibus: *Nullâ*, judicant, *impediri malum humanâ ope potuiſſe; ita ſiderum univerſitatem in Sereniſ-*

H 2 *ſimi*

ſimi caput conſpiraſſe. Malignitatis impetum, inulto Rege, Conjugem feriiſſe. Id ſummi Numinis bonitate factum. Totum intricari pravis aſpectibus cœlum, non citò diſparituris. Ut iis igitur ſe paucis menſibus ſubducat, auctores ſe Regi eſſe; indicaturos protinus, cum influxuum malitia remiſerit. Interim haut prodire in publicum, convivari, aut quicquam ardui occipere, oportere. Inſana Regis obtemperantia exteris indigeniſque hoſpitibus aditum negavit, coactis admiſſionem expectare, ab ineunte Vere ad trigeſimum usque menſis Julii.

Tranquillitas animi.

Omitto hujus farinæ alia, & hoc ſaltem pro Relationis colophone adjicio, quod tranquillitatem (per me licet, deſidiam vocaveris) plus decoro amet. Gubernaculum Ipſe nec attingit quidem; nec turbari audet ingruentium difficultatum relatione, niſi perquam opportunè. Totum regiminis onus Primatis Regni humeris incumbit, velut univerſi Imperii Atlantis. Huic Rex Statûs publici atque dirigendi regiminis curam credidit; Ipſe interim iners & publicarum rerum ignarus: ut, qui dixerit, illum gaudere Regiæ poteſtatis exercitio; Hunc ſaltem titulo atque auctoritate decorari, à vero non multum aberraverit. Illum nunc vaſti Imperii Directorem, proximum à Rege, in ſcenam hîc ſiſtimus.

RELATIO IV.

Primas Regni, Athemaad Dauleth.

Functio primi Chani.

Titulus.

§. I.

Prodit ingentis officii miniſter, Regni Director, Curiæ Præſes, Satraparum primus, & نواب *Nawaab*, ſeu *Vicarius* Sereniſſimi; cui ex dignitate muneris, nomen اعتماد الدولة *Athemaad Eddauleh*, vel contractè, *Memaad*

maad Dauleth, id eſt, fiduciæ & fulcri Imperii, ex gravitate وزير عاظم *Waſiir adſem*, id eſt, bajulatoris maximi oneris, enatum eſt; illud in alloquio & ſermone, hoc in ſcriptis uſitatius, utrumque maximæ functionis index. Eſt enim ille Regni Perſici quaſi axis, circa quem vaſta moles regiminis, velut cœli machina circa ſtellam Polarem, convertitur. Non aliud ad dignitates iter, non medium ullum ad magna beneficia datur, niſi per hujus miniſtri favorem. Nec vota ſupplicantium Majeſtatis aures appellunt, niſi illo delatore, non exaudiuntur, niſi ſvaſore. Ille delegatos Principum oratores audit, & cum iis tranſigit: curat ſanciri fœdera & diſſolvi; dirigit rem monetariam, ceteraque Regalium exercitia; Nihil circa Majeſtatis dominia diſponi, nihil in Regno mutari vel innovari, nihil, quod Status publici intereſt, deliberari vel expediri, niſi hujus Præſidis auſpicio licet; atque hæc in Aulâ. In Provinciis verò non minus ille radios facultatis ſuæ exerit; Nec enim integrum eſt locorum urbiumque Præſulibus, ingruentes difficultates publicas proprio Marte ſolvere, aut gravioris momenti negotia quævis expedire, niſi conſentientis ſummi Directoris auſpicio. Manſionem non procul à Regiâ habet: Intervallum crebra negotia non permittunt, quæ arbitrio Regis exponenda veniunt. In Regiæ veſtibulo igitur diem tranſigit, mandata expectando, &, quæ urgent, exponendi occaſionem. Interim haud quaquam ibi otioſus degit: ſed actorum diaria, libellos ſupplices, ſchedulas memoriales & Satraparum literas legendo, tum ſcribendo quoque & meditando ſemper ſummoperè occupatus. Ita deſtitutus ille poſſeſſionum ſuarum & ſocietatis domeſticæ uſu, vitam in aulæ ergaſtulo agit; prandium excipio & nocturnam requiem, quæ ipſi inter Penates capere permiſſa ſunt. Rarò cum Majeſtate coram, frequentius per internuncios ſpa-

Cura rerum publicarũ multiplex & moleſta.

ſpadones loquitur, nunc præfectum ærarii, nunc ephorum, vel ex primatibus illos, quibus Regem adire fas eſt, latentem inter pellices. In Conviviis publicarum admiſſionum (quæ ex ſuperioribus hîc velut loco genuino repetimus) ſiniſtræ Regiæ à modico intervallo accumbit conſiliorum Princeps: explicat ſchedulas ſupplices, & his deciſis, quæ publica ſpectant in deliberationis ſcenam ingerit, quid facto opus ſit indicans, & ex Regio nutu decernens. Equitanti quoque extra aulæ pomœria ad dextram comes jungitur, & confabulator perpetuus. Eſt enim ſolenne Regi, inclinante die equitare foras, tum recreationis & ſanitatis cauſâ, tum ut populi deſiderio ſui aſpectum indulgeat. His deambulationibus id ſedulus agit Primas, ut incidentes per otium de rebus variis ſermones, in publica dirigat commoda, & quod impetrari diu à Majeſtate non potuit, adulando obtineat. Hôc prudentior habetur & callidior Regni Director, quo occaſionibus his utitur felicius. Sanè expectata diu placita ſuper cauſas graviſſimas & per plures conſultationum actus à Sereniſſimo ſuſpenſa, nunquam faciliùs, quàm in equitationis otio reſolvuntur. Atq; hæc de œconomia Regni.

Cura rei privata. Alterum curarum genus privatum eſt; ſed quod *Memaad Daulethi* animum magis atque publicum diſtinet, & anxiis cogitationibus macerat. Aciem ducit cura ſalutis ſuæ & vitæ tuendæ; cujus irreparabilis jactura à nutu Principis ſui pendet, hominis unici, affectuum æſtu ac præjudiciis quoquo verſum agitabilis & inconſtantis, de quo Perſæ proverbio ajunt: *Ira Regis, mors ſubita.* Damocles, paraſitus apud Dionyſium Syracuſanorum tyrannum, cum inter epulandum imminentem cervici gladium vidiſſet, ſetâ equinâ pendentem, nec unius convivii moram ſuſtinuiſſe ſcribitur, quin lethiferos honores deprecatus ex templo fuerit, ut refert *Cicero* 5. *Tuſcul.* Sed longè ille infelicior eſt, cui nunquam non ob oculos verſan-

ſantur pericula; & ipſa negotiorum onera, quibus gravatur, ſtricti fiunt pugiones, & levi aleâ in ſubitæ mortis occaſiones convertuntur. Habet ſanè, ex tremendâ Regiâ, ad ſuos veſperi reverſus, quod ſoſpitatori Deo ſuo ſervati capitis gratias agat, neſcius, quid fati poſterus dies laturus ſit. Feralem evitaturus ſortem, duo inprimis agit: Cavet, ne quis alius aures Regias in ſui præjudicium occupet. Quisquis ille ſit, nullum dubium eſt, quin occaſionem capturus, ac cauſarum, vel ex ſolis rerum eventibus, habiturus ſit copiam, quibus Chani ingenium & actiones denigret, & inopinantem pernici fulmine ex Fortunæ gremio excutere allaboret. Quid enim in vaſto regno non eveniat ſiniſtri indies, quod quis per calumniam rejicere in adminiſtratoris, quantumvis optimi, imprudentiam non poſſit; nec velit etiam, ſi hic, uti omnium cenſuræ expoſitus eſt, ita quoque invidiam odiumque plurimorum mereatur, datâ præſertim operâ nocendo illuſtribus viris, ac ſociis Regni Optimatibus: quibus Zodiaci ſui genius id inſtillavit, ut vitæ uſuram odiſſe malint, quàm datam prætermittere occaſionem vindicandi. Neque ab his modò cavendum ei, quibus ſe nocuiſſe conſcius ſibi eſt, ſed ab iis non raró exitium expectabit, quorum amicâ conſvetudine gaudet, & fidem multis ſibi officiis devinxerat. Infidi enim & ingrati animi vitium, dulci adulationis velo occultatum ita in hâc aulâ animos occupavit, ut juſſus à Rege filius (prout exemplis priorum Regum docemur) non recuſaverit, parenti aures, naſum, imò caput amputare; modò illius officium patranti fuerit promiſſum. Alterum tuendi conſilium eſt, ut tritam adulationis viam ingrediens, nihil eorum ſupinè agat, quæ ad firmandam, augendamque Principis gratiam fidemque ſpectant, atque adeo talem ſe præſtet alloquio, conſiliis, actionibus, qualem ſe placere intelligit, non qualem requirebat candor, pietas vel ſanctitas juſtitiæ. Modo igitur Regem

Duo modi, Regis favorẽ conſervandi: I. Alios reprimendo.

2. Adulando.

in faciem laudat, (quo maximè delectatur natio) ingenii dotes & pulchritudinem corporis admirando; modò felicitatem ejus extollit; modò magnificentiam & virtutes prædicat: nec ab indecori & vitiorum laude abſtinet, quibus indulgere Principem cognoverit. Nunc in eo occupatur, ut ſacram Genealogiam extricando, Eum è Mahhammedis ſangvine progenitum demonſtret; nunc, ut factâ cum ceteris collatione, Eum orbis totius maximum & potentiſſimum Principem oſtendat. Triſtes nuncios intrare limina palatii non permittit; ad Acheronta abire jubens Regiæ tranquillitatis turbatores. Si quid periculi vel calamitatum Reipublicæ ingruat, quod ſuarum partium ſit deferre, id larvatâ veritate ſic narrat, ut vileſcant imminutione damna, placeant jactantiâ ſucceſſus perexigui, & ſpe delectabili audientem erigant. En mei temporis exemplum: Ex *Bochariâ* prædones, factâ in *Choraſmiam* irruptione, quater mille Perſas fuderant. Haud reticendum prælium Director ſic Regi retulit, ut ſuppreſſâ clade, velitationis titulo veniret, in quâ, ſi qui conflictu ceciderint, (ita ajebat) incertum adhuc eſſe, cui parti magis fortuna faverit. Interim miſit provinciæ gubernator cæſorum amiſſa aliquot capita, velut ſpecimina fortitudinis ſuæ: quæ longis infixa haſtis, ſolenni pompâ, quâ ſub anni auſpicio munera adducuntur, Regi oblata ac publicè oſtentata vidimus. Parilis fortunæ plura adducerem, niſi unicus typus aſſentationis genium ſatis exprimeret, & doceret: oportere eum, qui ſummi gerit officium miniſtri, etiam maximi adulatoris perſonam agere, & probè noſſe, etiam ſiniſtros eventus ita interpretari, ut Regi, etiam odioſa ſi referat, ſemper ipſe placeat. Ad ceteras actiones: nihil deprehendo Præſidem ſolertiùs agere, quàm ut benefaciat amicis & conſanguineis ſuis. Hos ille non dubitat, quovis modo extollere & maximis in regno officiis præficere; ſive id quoque ſpectare ad ſuimet ſecu-

Amicos & conſanguineos extollere allaborat.

ſecuritatem, ſive etiam ad gloriam judicet, dum illuſtrem reddit fortunam & nomen familiæ ſuæ; ſive in eo ſaltem ſequatur affectus ſuos, quibus homines naturâ in ſanguinem noſtrum propendimus. Quid ſi locus non vacaverit? Expeditum ſcias conſilium eſſe, ut exturbet ſuis officiis alios. Rari enim ſunt ex miniſtris publicis, quos magnus ille corycæus non poſſit injuſtitiæ, furtorum & contra fas adminiſtrati muneris convincere, & cauſam habere, quando volet. Amicis in antiſtitio conſtitutis, nullum quod præſtare poſſit majus officium eſt, nulla patrocinii gravior teſſera, quàm ſi eos *Galatâ*, id eſt, veſte honorariâ, quotannis donari à Majeſtate curet. Lucem aſſerto dabit, ſi de Galatis quædam intercalavero. Magni res momenti eſt, à Monarchâ Perſico honorari veſte. Non donat eâ Rex alios, quàm quos bene de ſe meritos ac Gratiâ ſingulari dignos autumat. Non rarò *Chani*, *Sulthani*, *Veſirii*, & cujuscunque nominis ſint Provinciarum Urbiumque Directores, hunc habitum à ſummo Præſide auri ſummâ & occultis precibus procurant, eo fine, ut ſic decorati timeantur à ſeditioſis ſubditis; qui hoc pacto non audent accuſare injurias & vexationes ejus, quem obtinere auguſti judicii favorem perſuaſi ſunt. *Galatam* duplex toga conſtituit, una ſtolæ loco, altera pallii veniens, utraque ultra ſuras demiſſa & ad habitum gentis facta ex panno aureo, argenteo, Attalico aut pretioſo alio, floſculis diſtincto. Huic aliquando velamentum capitis (*tulibaan*) & femorale cingulum adjungitur, rariſſimè acinaces aureus. Transferendi muneris ſparta non levis eſt, quâ Præſes ornare ſuos domeſticos amat, annuæ mercedi, quam ob ſervitia debebat, hujus beneficii fructum ſubſtituens. Quâ illi ſuppoſitione maximè gaudent, quia multò majorem compenſationem ferunt à muneris Candidato, quàm ſtipendium fuiſſet à ſuo Domino. His togis donatos dimittit Rex Perſiæ Legatos exterorum

Galaa ſ. *veſtis honoraria.*

Principum; Nec enim amicis Regiis aliud Regalis Gratiæ inſigne tribui in hâc Aulâ unquam obtinuit. Solenne etiam Magnatibus eſt, ejusdem tituli pannum largiri iis, qui egregio officii actu bene de ſe meruerant. Comperi, id eos facere, non tam gratiarum & honoris, quàm oſtentationis cauſâ: Cum liberalitatis laudi, imò magnificentiæ, quisque hâc regione ſtudeat, etiam ſatis plebejus & inops. Medicis quoque, abſolutâ curatione, non rarò à divitibus *Galata*, ſoſtri vel loco, vel complemento datur. Ut de Præſide me expediam: Si fortè contingit, Habitum à Rege decerni, quibus non admodum bene cupit *Athemadaulethus*, ſi his graviùs nocere ob innocentiam vel nolit, vel non poſſit, impediet ſaltem, ne munus mittatur deſtinatum. Ita vindex tantùm levior, animos generoſos excruciabit, fruſtratâ meriti honoris expectatione: Imò, ſic Præfectos interdum optimos, velut Regiis oculis viluerint, ſubditorum contemptui & odio exponet: Nam quò favor & invidia ſummi Principis, eodem facilè & populi inclinat. Ita magnus ille Miniſter circa aliorum fata ſudans, dum ad paſſionum ſuarum lancem ea fabricare, dirigere, felicitare, peſſumdare ſatagit, ipſe fato ſatis infelici fruitur, & velut ſub Siſyphi ſaxo conſtitutus, vitam in πολυπραγμοσύνῃ inquietam agit & moleſtiſſimam.

Emolumēta functionis. Emolumentum ex graviſſimâ functione habet ſatis amplum: Satrapæ ex obligatione ſtipendia tribuunt annua, pro qualitate Provinciæ alii majora, minora alii. Iidem ex libertate inſuper, & quicunque præterea antiſtitiis gaudent illuſtrioribus, munera annuatim mittunt, pro mercando favore ejus, qui delinquentes deferre, vel illis patrocinari apud Regem, & hôc inſciô ſuis quoque viribus nocere vel prodeſſe potis eſt. His, ſi nefas addideris corruptionum, recepta annua ſummam 20000 Tomanorum, id eſt, 250000 unciarum argenti, imò pro majori

Dire-

Directoris avaritiâ 30000 Tomanorum attingere, colligunt illi, qui in redituum cameris verſantur; ſed probabiliter ſaltem. Nam cum ferè ex nefario reditu Magnates ſuſtineantur, difficile eſt, cujusque exactum aſſequi annuorum receptorum computum.

§. II.

Perſona hodierni Memaad Daulethi.

Ætas.

Habes hîc ſummi miniſtri ideam in genere; congruum eſt ut hodierni, cui nomen eſt شيخ علي خان *Sjeich Ali Chaan*, perſonam quoque ſubjiciam. Is juvenis functiones alias præclarè geſſit, & contra Usbecos quoque dux fuit militiæ; In Regni præfecturam deinde ſuffectus ab Abaſſo II; nunc (quo hæc ſcribo anno Chr. 1686.) vir canus & grandis natu, octogenario proximus, ætate tamen minimè fractus: Nam equitat alacriter, largiter cœnat, functioni publicæ excubat ſolertiſſimè, atque corporis animique actiones præſtat bene ſanus; Ingenium & mores quodammodo deſcripſiſſe videor, ſi eum natione كرد *Kurd* eſſe (ex Proſapiâ زنگنه *Sengenech*) dixero. Gentem iſtam Perſæ à ſuâ indole alienam aſſerunt, quin imò pertinacem, ſtupidam, auſteram & malitioſam. Si quibus Illum naſcendi ſors ex proprietatibus hiſce imbuerit, id tamen Virtutibus aliis compenſat. Nam pius, religioſus & abſtemius eſt; una vivit uxore contentus, ſtuprorum oſor acerrimus. Juſtitiam colit ſtrenuè, corruptionibus pro jure torquendo inexpugnabilis. Donorum cupidine ut hâc parte vacat, ita in ceteris plus decoro tenacior & avarus eſt. In civium exactione pro Regis ærario rigidus, imò ſi Judæi, Multhani, ſ. Indi, & Armeni fuerint, æquo durior eſt. Satraparum & Præfectorum audit lynceus, audax & ſtrenuus cenſor, negotiis eorum ultra ſuos circulos arbitria ſua miſcens, proinde Magnatibus ut terribi-

Patria & ingenium.

Continentia ſingularis & virtutes.

Conſangui-neorū pro-motor. ribilis, ita etiam odioſus eſt. Conſangvineos quos habet ſplendidis donavit officiis: *Fratrum primus* ميرآخور باشي *Mirachuur baſſjì*, ſive ſummus ſtabuli magiſter, *alter* بگلر بگي قندهار *Begler begì*, ſeu ſupremus Satrapa Regni ac fortalitii *Candahaar*, nunc in vitis eſſe deſierunt. *Ex duobus filiis unus* داروغا كشوين *Daroga Kaſwinì*, ſ. Judex civitatis *Caſbiin*, *alter* Gubernator كرمان شهان *Kirmaan Sjahaan*, juvenes deceſſerunt. Nepos ex fratre *Hadſji Alichan*, & eſt *Begler begì Aderbahidſjaan Tebriis*, ſive Tebriſienſium Satrapa, & ſimul سردار *Serdaar*, ſeu, ut honoris ergo vocatur, سپهسالار *Sipahſalaar*, ſive ſummus dux exercitûs viginti armatorum millium, quibuscum in Georgiæ Turciæque confinio, in utriusque nationis terrorem, otioſus commoratur. De ceteris taceo; Id ſolùm inſinuo, Regni œconomiam magnâ parte à ſuis adminiſtrari, nec magis Regem ipſum, quàm Regii Directoris familiam adorari. Luxum Perſicum nihil curat; parvo ſervorum comitatu equitat, vili ſerico, ſed mundè, indutus. Barbam gerit longiuſculam, incanam, mangonio expertem, id eſt, arte haud nigricantem, pro *Auſteritas.* more gentis. Vultu auſterus eſt; nec in moribus quicquam generoſi invenio; ex vulgari ligno ſculptum Mercurium hunc dixeris. Ceterum & *Hadſji* حاجي ipſe eſt, i. e. talis, qui devotionis cauſâ *Meccam* viſitavit, ſive locum, quô Altiſſimo collocutus eſt, filium ſacrificaturus *Abraham*, ſimul ac *Mahhammedis ſepulchrum*, quod *Medinæ* extat. Hoc Illi inſolitæ Gratiæ per ſacrum caput ſuum juravit Sereniſſimus, quòd quantopere ei ſuccenſuerit impoſterum, vitæ tamen parcere velit. Securitate

hâc

hâc fretus, Aulam liberiùs frequentat, negotia publica tractat audentiùs, affectibus vehementiùs indulget, & magis curat timeri à Satrapis. Dicitur ſecretus *Sonnì* eſſe, i. e. Sectæ Turcarum deditus. Qualiſcunque religionis ſit, certè continenter vivit, Legis ſuæ ſtrictiſſimus obſervator. Peregrinos haud amat; Aſtrologiam, vaticinia, novitates nil æſtimat; Religionum alienarum oſor eſt: non parum olim indigenas Judæos, Ethnicos quoque ex Multhaniâ, & Chriſtianos ex Armeniâ, in hac metropoli habitantes, vexavit junior, nunc vel conciliatus muneribus, vel injuriarum inferendarum pertæſus, odit eos, non premit ampliùs. Ab Europæis Principibus tot Legati, qui Regem ad ſociale bellum invitavimus contra Turcos, (qui Avo Babyloniam, fractâ pace, eripuerant) hoc ſolo diſſvaſore nihil obtinuimus, ſed ab eodem, Chriſtianis victorias invidente, cum repulſâ omnes dimiſſi ſumus. Non moror ipſiſmet verbis Relationem claudere, quia & Directoris animum, & genium Perſarum quodammodo referunt, plenum judicii & diſſimulatæ vindictæ. *Petitis veſtris ut aſſurgat Rex Iruuni* (ſic Perſiam vocant univerſam) *nec ſancitæ cum* خواند كار *Chond Kaar*, (ita Turcicum Imperatorem appellant) *pacis ſanctitas, nec conditio noſtri temporis permittit. Præterea obſunt locorum intervalla, ne, prout fœderatos decet, communicare auxilia conſiliaque, vel de alterius fortunâ & intentione reciprocari nuntia poſſint. Periculoſam hanc eſſe ſocietatem, ævum nos docuit Abaſſi Magni, qui Europæis fœderatus, armorum onus humeris ſuis retinuit, cum feciſſent Chriſtiani cum communi hoſte pacem, inſcio & nolente Perſâ!*

Religio.

Europæos parùm æſtimat.

RELATIO V.

Duces Militum & Militia Perſica.

Summi Militum Præfecti.

Dux ſummus equitum Turcicorum.

§. I.

In Suforum Aulâ, Directorem proxima dignitate excipiunt *tres militum ſummi Duces.* *Primus* eſt Præfectus militiæ nobilioris antiquæ equeſtris, quam *Kurtſji*, i. e, armatos, vocant, inde قورچي باشي *Kurtſji baſji* dictus, i. e. armatorum caput. Hi ex Turcici ſanguinis gente leguntur paſtoritiâ, antiquitus *ex Turkeſtanâ* in Perſiam advenâ, in cujus deſertis illi cum tribuum ſuarum turmis palantes, vitam paſcendis ovibus conſumunt: تورك *Turk* enim, (quod Relat. I. dixi) ſuâ linguâ paſtorem, *Turkeſtaan* paſtorum regionem ſignificat. Militia hæc conſtat equitibus, qui ſunt ſagittis, arcu & lanceâ armati, viri omnes proceri corporis, animique ſemper præſentis; Verùm, quia memores priſci meriti in ſtemma Regium, veteriſque potentiæ, quâ latè per Aſiam dominabantur, mirâ turgent arrogantiâ. Olim quippe immunes degebant ipſius imperii & potentiæ Regum Perſiæ, in quorum territorio vivebant, freti præſidio independentis, quâ pollebant, poteſtatis ſuæ, & ſociali robore ſuarum tribuum, quarum nonnullæ decies, aliæ duodecies mille hominum ſocietatem complectebantur, obſequentem unius præfecti juſſibus. Hi ſunt illi, quorum fide & auxilio Regni Perſici ſceptrum hæreditatemque adeptus eſt fundator hodierni Imperii, ſimul atque propagator Imamicæ Religionis *Iſmaël Sephi:* Pro quibus meritis eos nobilitate donavit, & inter indigenas prærogativâ illâ, ut poſthabitis Perſis, alios ad præfecturas Aulæ Regnique admitteret, alios conſtitueret Regni Regiique cor-

corporis milites præſidiarios, quos *Kurtſji* vocavimus. Hi in ſignum Nobilitatis, cum militant, *Taadſj*, ſive mitrâ teguntur rubrâ, faſtigio in planum orbem expanſo, cujus medium palmaris longitudinis oſtendit apicem; ſuperficies plicas exhibet duodecim, ad teſtandam hoc numero profeſſionem Sectæ Seficæ, cui fidem ſpoponderant; nam hæc totidem Imamorum, i. e. Mahhammedis ſucceſſorum, decretis nititur. Hæc propter Turcæ Ottomanni illos *Kiſilbaſj*, id eſt, aurea ſeu rubra capita, appellant: quo verò in opprobrium ficto nomine ipſi ſuperbiunt, & ſeſe *Kiſilbaſj*, quaſi nobiliores & aurei capitis, Perſas verò per contumeliam تاجیك *Tadſjiik*, تازیك *Taſiek*, & per vulgi abbreviationem *Tat*, i. e. Arabiculas, ſive Arabum filiolos, appellant. Ab iis initiis auctoritas eorum invaluit, adeo præpeti & valido incremento, ut ſubtimeri deinde ab ipſis Regibus rubra hæc capita cœperint; quipe eò audaciæ progreſſa, ut Regi *Mahhammedi Chodabendeh* frontem opponere, atque filiis ejus necem parare non dubitaverint. Quapropter Chodabendei filius *Schah Abas I*, incomparabilis prudentiæ Princeps, ſuo & Imperii commodo proſpecturus, arrogantiam tribuum iſtarum, & *Kurtſjorum* inſimul vires domuit; primoribus eorum, aliis è medio ſublatis, aliis ſuâ dignitate exutis, ſurrogatisque in locum mancipiis ſuis, quorum fidem auſibus reliquorum opponeret. Pro roborando ſucceſſu, præter Turcorum, duplex inſuper creavit militare corpus: ex mancipiis unum, alterum ex Perſis; cujus graviori manu tutior, *Kurtſjorum* ſusq; deq; habuit auctoritatem & potentiam, interim intaminatâ ſtirpis nobilitate & prærogativâ. Conſtituebant quondam ingentem ſagittariorum exercitum; hodie vix 15000 vel 20000 attingunt numerum.

(*Vid. Fig. pag. 37.*)

Alter Dux eſt قولر آقاسي *Kuler agaſi*, id eſt, *Dominus man-*

Summus

Dux equitum mancipiorum.

mancipiorum. Hæc maximam partem Chriſtianorum progenies ſunt, ex Georgianâ, Cyrcaſſâ, Armenâ & quâvis natione aliâ, quam haud fuſcat cœli fervor, in mancipium impubis recepta, circumciſa deinde, & ad militiam, Rege curatore, edocta. Equites quoque militant; præter acinacem, lanceâ, arcu, & gravidâ ſagittis pharetrâ, alii ſclopetis quoque inſtructi. Corpus hodie ſiſtunt priori æquale, vel non multò minus; nimirum quindecim vel 18000 circiter armatorum. Horum dexteritati Reges immunitatem ſuam credunt omnium tutiſſimè. Nihil enim de eorum inobedientiâ metuendnm eſt, qui in fide & mancipio educati ſunt; nihil de conſpiratione, qui inter ſe affinitatis vel cognationis cauſam non habent. Optimo quoque conſilio introducti, qui ſe palam opponant nobiliori Turcorum, & ex ſuperbiâ antiquitatis & innatâ Juris opinione, ſubleſtæ fidei militiæ.

Summus Dux militiæ pedeſtris.

Tertius eſt تفنكچي آقاسي *Tufenktſjì agaſì*, id eſt, Dominus ſclopetariorum. Hæc ex ruſticis & operariis ſelecta eſt militia pedeſtris, præ ceteris maſcula & robuſti femoris, enſibus & ſclopetis, & nonnunquam (pro ornatu) ſcutis inſtructa, corpus conſtituens non minus 50000 armatorum. In campum, more deſultoriorum, equites comparent, deſiliunt conſpecto hoſte, & pedites militant. Ridentur ab equitibus, pedeſtris militiæ inſvetis, qui illos *alef ſjiemſjiir*, i. e. herbam pro enſibus, per contemptum vocant. Utramque hanc militiam primus, quod dixi, ordinavit *Chodabendei* filius *Abaſſus;* Ille, cui ex utroque, tum præclari regiminis, tum belli gloria, Magni cognomen dedit.

Summus armorum præfectus.

Duces in militari ordine ſequitur توپچي باشي *Tubtſjì baſjì*, i. e. bombardarum & armorum magiſter generalis; qui ipſe & marium inſpectionem habet, & archithalaſſi munus, ſi claſſe militandum eſt. Verùm, naves mili-

lita-

litares Perſæ non habent, niſi pro commerciis factas minores, quibus Sinum & mare Caſpium trajiciunt. Functio ejus non eſt gravis momenti aut molis; unde dignitate plurimis ex togato ordine inferior eſt: eum tamen, quòd ex militari cenſu ſit, hîc ſiſtere conveniens eſt. Apparatus bellicus reſervatur in جبه خانه *Dſjebeh choneh*, ſive armamentario, quod exhibet caſtellum *Kalài berrùk;* Curules autem machinæ vix ſuppetunt: Pro ornatu atrii Regii ſerviunt, quæ à Luſitanis, olim Regno pulſis in Ormuſio, Congo & Laro urbibus relicta ſunt; pauciores pro defenſione in fortalitiis invenies, credo decem omnino in Gamronenſis ripæ propugnaculis, nec plures fortaſſe in caſtello Ormuſienſi. Quas olim Dux Holſatiæ miſerat, eæ in urbe Casbino ornant introitum horti Regii.

Omnibus illis ſuperior eſt سپاه سالار *Sipah Salaar*, ſive *Imperator generalis* Regni, Præſidem dignitate excipiens. *Generaliſſimus.* Sed ejus perennitatem ſequior ætas ſuſtulit. Collecto ſaltem triplicis militiæ corpore creari, & finito bello rurſus dimitti ſolet. Pariter, ſi expeditio ſingularis ſuſcipienda venit, novus exercitui Dux سردار *Sardaar* conſtituitur, qui & ipſe rebus compoſitis exauctoratur. Habet hoc triplex militum genus ſuos quoque Chiliarchas, Centuriones & Decuriones, quos vocabulis ex Turciâ citatis (Perſarum enim vernacula militares terminos non habet) *Min baſſi*, *Juus baſſi*, *On baſſi* appellant.

§ II.

Militia omnis, qua Perſiæ Majeſtas hoc pacis tempore decoratur, per Regni provincias, quò ſuſtentari commodiùs poſſit, diſtributa eſt; univerſa numerum ſuperans armatorum 90000; qui, ſi in armis non proſtant, in chartis tamen & catalogis rationum inveniuntur. Quandoqui-

Militiæ Perſicæ conditiones.

Numerus.

quidem multos abſorbet avaritia Satraparum, à quibus, donec eis in campo opus eſt, ſuſtentari debent, quibus interim ſubeſſe quoque & parere tenentur. Execrabile id malum eſt in hoc Regno, cui mederi Rex recenſionibus frequentioribus & improviſis incaſſum nititur. Nam Commiſſariorum vel nimiùm venales oculi, vel non ſatis lyncei, ludi ſe iiſdem, quibus in Germaniâ noſtrâ, præſtigiis patiuntur. *Bis mille* inſuper *prætoriani* pedites ſunt, جزآيري *Dſjeſairì* dicti, armis & veſtitu fulgentes; qui verò, ære Regio ſcripti, nec prædictis Tribunis, nec Gubernatori provinciæ, ſed ſoli parent ſupremo aulæ Mareſcallo. Stipendia quibus aluntur milites æqualia inter æquales non ſunt. Equitibus primi ordinis ad minimum ſtips datur novem, aliis decem pluriumve Tomanorum; Decurioni quindecim; Centurioni triginta, Chiliarcho ſeptuaginta, ipſi Duci centum & quinquaginta. Mancipiorum equitatus, penſione gaudet paulò minori, & illo rurſus militia pedeſtris. Solvuntur ſtipes, uti ceteris miniſtris, ſic militibus quoque in *Defter chonèh*, ſive Camerâ computationum (Gallicè, *la chambre des comptes*) non paratâ pecuniâ, ſed aſſignationum, ut vocant ſchedulis, quibus ſtipendium quisque ſuum jubetur petere ex locis (pagis, urbibus) diverſis, & à ſe invicem tanto ſæpè ſpatio diſtantibus, ut pro viatici expenſis aliquando non ſufficiat. Quâ iniquitate coguntur gregarii, ut aliis ſchedulas ſuas vendant pretio minori; contenti, ſi pro aſſignatis tomanis decem, parati æris ſex, vel, pro longiori locorum diſtantiâ, quinque ſaltem accipiant. Non deſunt enim, qui quæſtûs causâ ſchedulas à militibus coëmunt, gnari peregrinationis compendio & minori impenſâ abſolvendæ.

Stipendia.

Exercitia.

Ceterùm, quod exercitia, diſciplinam, armaturam atque reliqua Martis attributa concernit, nil invenio in militiâ Perſianâ, quod cum noſtris comparare audeam. Nec

Nec enim vel ipſa vocabula in idiomate Perſarum reperio, quibus ordines, motus & inceſſus militum, quibus bombardarum volubilem uſum, quibus armorum varietatem, ignium miſſilium ſtructuram, fortalitiorum partes, machinas bellicas, atque regulas artis Imperatoriæ explicaverim. Arma illis ſunt lancea, ſclopeta, arcus & acinaces; tormentorum & mortariorum nullus illis in campo uſus eſt. Color veſtium ſingulis cohortibus non eſt idem; quisque pro placito ſuo tunicatus eſt: Hic brachiale ſibi aſſuit; ille loricatus quaſi incedit, iſte mitrâ plumam gerit; alius alio ornatu oculos allicit. In campum eductis nullæ in caſtris metandis regulæ obſervantur; tendit quisque, ubi valuerit, tentorium ſuum. Tanta inde funium permiſtio, tanta confuſio turmarum oritur, ut credam, ſic obrutam linteis & ſomno multitudinem, ſuffocari ſubdolè ab hoſtium manipulo poſſe, ſi is improviſâ nocte irrumperet. De propinquo tamen hoſte ubi ſuſpicio eſt, cavere ſibi excubiis ſolent, in ſummo montium conſtitutis, quæ dato ſigno adventum prodant. Itinere & labore feſſis, panis non diſtribuitur; quisq; pro modulo ſibi ſuo de victu & amictu proſpicit. Caſtra tamen ſequuntur propolæ; qui in tabernis carnes, panem & fructus exponunt venales. Venditur, quibus nummi ſunt; creditur quibus fides eſt; qui neutro gaudent, ii divagari noctu, furari, rapere, latrocinari duro neceſſitatis telo coguntur. Muſica militaris noſtratium, quâ vel animos demulcemus ad contemptum mortis, vel ad prælia fortiter capeſſenda accendimus, apud Perſianos non auditur. Nullam illi ſonorum concordiam edere edocti ſunt. Tubis autem utuntur ænæis, longis & rectis; aliis quidem ſtrictioribus, aliis peramplis, & ſimilibus cornu acuſtico Anglorum, quô ad magnam diſtantiam loquimur: his illi edunt boatum vaſtum, inconditum & tremulum; illis ſcreatum, inſtar rudentium aſinorum. Tympana quo-

Armatura. *Caſtra.* *Victus.* *Inſtrumenta muſica.*

que variæ magnitudinis pulſantur, ſed manu indoctâ, & militares actiones, ſive juſſa ductorum, neutiquam exprimente. Hæc interſonant tintinabula magna & ampla, inſtar pelvium, ex plano ſubcava, quæ exterius in mediâ bullâ manubrium habent, cujus ope ad invicem percuſſa, aures humanas ſatiant clangore intolerabili. Accedit, dum in conflictum ruitur, brutalis omnium vociferatio: *Jerri! jerri! jerri!* i. e. vade, perge, curre; quâ & ipſa crepant æthera, ac ſi cœlo terra miſceatur. Marte aperto adoriri hoſtem, aut militum æquali vel minori robore præliari, Perſicum non eſt: Bella gerentibus inſtituta Perſis ſunt; ut deſtructis pagis, reſectis pontibus, regionibus depopulatis, hoſti ſolitudinem & deſerta objiciant, quò commeatu interclusus, ſuâmet calamitate pereat; pari modo ut in civitatibus noſtris, diruendo proxima ædificia, incendium extinguimus; præterea, ut in pylis & viarum anguſtiis latitantes, in tranſitu hoſtem obruant inſcium; tum, ut conſtituti in montium anfractibus, cacuminibusque naturâ firmatis, hoſtilem exercitum obſervent, & ſecundis occaſionibus, nil tale metuentem inſiliant ex improviſo; Verbô, ut nunquam ſuâ fortunâ vel fortitudine freti, ſed ſemper Marte ſecuro militent. Hoc modo *Schah Abaſſi Magni* ætas exercitum potentiſſimum Turcorum, qui Perſidi excidium juraverat, ſine militis jacturâ vicit: Nam deſtructo ponte fluminis *Aras*, cum adjacente urbe *Sulphâ* vicinisque pagis & oppidulis, eorumque civibus Armenis ultra 40000 cum omni ſupellectili Iſphahanum ac rura mediterranea translatis, obex hoſti ſolitudo relicta eſt; ex quâ, ſiti fameque confectus, in ſummâ confuſione terga dare coactus eſt.

Clamores. *Maxima & ſtrategemata.*

Hoſtes. Hoſtes Perſæ ſimul ac vicinos habent, ad Occidentem Turcos, ad Orientem Indianos. Cum Ruſſis ad ſeptentrionem, & Arabibus ad meridiem, profunda pax colitur. Turcis autem Perſæ fortitudine & arte bellicâ cedunt, ſuperant

perant

perant eos prudentiâ civili, ſcientiis, morum humanitate, decore veſtium & corporis elegantiâ. Indianos verò in omnibus attributis illi poſt ſe multis relinquunt paraſangis; Cœli enim intemperies calida ac humida Indorum corpora ſic diſponit, ut ad famem, ſitim, penuriam, montium aſperitates, ſolitudines deſertorum, itinera & quævis ſortis bellicæ incommoda ferenda planè inhabiles nati ſint, & mulieribus debiliores. Vicinos ad Septentrionem Tartaros *Usbecenſes*, Perſarum non hoſtes, ſed prædones nomino, etſi gentem bellioſiſſimam; nec enim illi, ſuis nunc diviſi viribus, bello provocare Perſas facilè audent, ſed turmis prædonum, ſuperatis deſertis, in *Choraſmiam* irruunt, & onuſti prædâ ad Patriæ latebras refugiunt citiùs, quàm miles provinciæ arma ad reſiſtendum capiat. A *Coſaccorum* invaſione *Hyrcania* quoque ætate noſtrâ calamitatem paſſa eſt, ſed ſocordiâ ſuâ acccerſitam. Diſſita enim & Ruſſis ſubjecta gens, juris nequicquam in Regionem, nec ullam cum ipſa natione communicationem habet, ſed ſua rabie acta, quoquo verſum excurrit, ut ſpolia à deſidibus & ſecuris reportet. Vicinam quoque Perſidem infeſtavit quandoque natio Provinciæ *Makeraan*, verſus Indi fluminis oſtium ſitæ; quæ licet exigua ſit, montium tamen freta, ac fortalitiorum quorundam præſidio, finitimos Reipublicæ ſuæ invidentes replevit turbis & latrociniis, nunc, in amicitiam recepta, hoſtilitatem omittit. Dum in his deſcribendis *Gamroni* occuparer, dicti territorii Princeps *Melèk Tankeìì* Satrapam Ormuſienſium inviſit, amicitiam & officia ſua teſtatum; ſed relictis in via à ſingulis circiter leucis Gallicis gemino milite, & à pluribus, armato cohorte, ad usque ſedem ſuam ac metropolim *Kitſj*, ut ſi fortè violata fide detentionem vel injuriam pateretur, dato diſploſionibus ſigno, ſuppetias advocare celeres poſſet. Eſt verò hinc (Gamronô) diſſita *Kitſj* 125 paraſangarum intervallo, ſive

 mil-

milliarium Germanicorum circiter 83, tridui itinere, ſive paraſangis octodecim, à mari diſſidens. Dives dactylorum & oryzæ provincia eſt, montium cingulo velut naturæ ſtudio munita, ac difficulter ſuperabilis. Deſerta finitima palmis agreſtibus luxuriant, quorum fructuum acerbitas, teſte *Q. Curtio*, *Alexandri* ſtrangulavit milites, ab Indo flumine (expeditionis termino) hâc reduces.

RELATIO VI.

Primates Aulæ togati, quibus in Regio Conſeſſu locus eſt.

Duces ſequuntur Officiales togati; quorum Primates potiſſimùm Relatione præſenti ſiſtam, eum ſervaturus ordinem, quo illos conſidentes vidi in publicæ Admiſſionis convivio. Sed is non idem ſemper ſervari dicitur; quòd priorem ſæpe occupet, non qui officii dignitate major eſt, ſed qui ex Regio affectu honoratior.

Præfectus Aulæ generalis. ناظر *Naſir* Vox Arabicè *Inſpectorem* ſignificat. Magiſter eſt, & Oeconomus Aulæ generalis. Gallicè vocaveris *Grand Maitre d'hotel*, Italicè, *Major dome*. Is præpoſitum agit کارخانه *Karchaaneh*, ſive Officinarum domûs Regiæ, ordinatorem ſtructurarum & operum mechanicorum, curatorem victûs & amictûs ad aulici corporis neceſſitatem, diſpoſitorem eorum, quæ ad vitæ Regiæ delicias luxumque pertinent, ut plura taceam. Operoſa eſt adminiſtratio & latè patens, ſed curatori ſuo ingentem reddens fructum, ex quo Perſicè poſſit, id eſt, ſplendidè & luxurioſè vivere. Emolumenti magnitudinem vel *Naſirii*, vel reliquorum officialium, non facilè quis deter-

terminaverit. Vivitur enim non ex deſtinato ſalario, ſed ex nefario & incerto quæſtu, qui pro variâ occaſione & cujusque veſanâ opum cupiditate major eſt, vel minor. Nonnullos hic Naſirii indigitabo, ut erudiamur de ceteris par ferre judicium. Scire igitur oportet Naſirii partium eſſe, ut miniſtros & opifices officinarum ſcribat & deponat, ſalaria iis decernat, eademque, Majeſtate præmonitâ, quotannis augeat vel imminuat. In Aulâ verò ac officinis cùm quaſi annua tantùm officia ſint omnia, adeoque muneris quisque ſui incertus vivat, inde fit, ut annuo appropinquante perluſtrationis termino, ſinguli ad ſoſpitatoris hujus aram, aureis manibus compareant, alii metu agitati futuræ exauctorationis, alii ſpe invitati majoris beneficii. Salaria iisdem mutila diſtribuit, retentâ à ſingulis certâ portione, ad compendium laboris ſui. Ex Aulâ, vel officinis, ad officium civicum ſi quis vocetur, non ſine jacturâ magnæ partis ſalarii dimittitur, quam Inſpector, nullo juris titulo ſibi vendicat. Omnia ſuperant munera à ſupplicantibus data, ſive beneficia ambientibus, ſive onera deprecantibus; tum ea inprimis, quæ largiuntur Provinciarum Directores & Magnates, non alio fine alii, quam ne ſibi noceat, ſi prodeſſe nolit; quippe cùm ei quotidiè loqui familiariter cum ſummo Principe liceat, multa quoque machinari in aliorum fortunam vel detrimentum poteſt, datâ quacunque laudi vel vituperio occaſione.

واقعه نویس *Wakahnuwiis* id eſt, *Scriptor occurrentium rerum.* Vocatur etiam وزیر چپ *Vaſiri tſjep*, id eſt, Vaſirius ſiniſtræ, quoniam in Senaculo ſedem in latere ad ſiniſtram Regis occupat. Nobis eum appellare liceat *Magnum Secretarium Statûs*, quoniam Sereniſſimi decreta & mandata, Principum exterorum per Legatos deſiderata & epiſtolas, nec minùs Majeſtatis ſuæ reſolutiones & reſpon- *Secretarius Statûs.*

reſponſorias; tum quæcunque in Aulâ, Regno, & Regionibus finitimis memoratu digna accidunt, Diariis conſignat.

Supremi judicii criminalis Præſes.

ديوان بكي *Diwaen begì*, id eſt, *Supremus Criminalis Judicii Dominus*. *Jus Perſiæ* ſiquidem, vel eſt *Urf*, ſive *civile*, quod conſuetudinibus cujusque loci nititur; cujus Præſules ſunt gemini Judices, *Divanbegì* & *Darogà*; vel *Sjerre* ſive *ſpirituale*, quod adminiſtrant *Sedr*, *Caſì* & *Scheig el Iſlaam*; Inde illi *Urf hakìm*, id eſt, ſeculares judices, hi *Sjérru hakim*, i. e. ſpirituales judices appellantur. *Divanbegi* de latrociniis & homicidiis, non modo in hâc Regiâ metropoli, verùm etiam in toto Regno diſponendi facultatem habet. In foro ejus præcipuè vindicantur quatuor crimina: nimirum fracti ab inimico dentis, aboliti viſûs, violatæ virginitatis, & patrati homicidii. Cetera judicat loci cujusque, ubi commiſſa ſunt, *Daroga*, ſeu Prætor, Belgicè *de Schout* dictus, lites tamen civiles remittens in forum judicis *Kaſì*. Magnates verò & miniſtri publici, pariter illi, quibus fas eſt ſe مهماني شاه *Mehmaanani ſjah*, id eſt, hoſpites Regios appellare, quales ſunt Legati, Procuratores publici, (Reſidentes) & ceteri exteri alicujus nominis, hôc gaudent privilegiô, ut comparere nullibi, niſi in *Divaan*, i. e. ſupremo Judicio, teneantur, & in eò, velut in foro illuſtriori, cauſas ſuas cum criminales, tum etiam civiles agere, ſive quid inter ſe litium, ſive contra alios habeant.

Supremus Aulæ Mareſchallus.

تشك اقاسي باشي *Teſjik agaſì baſjì*, id ſonat *ſupremum Janitorum caput*. Nimirũ ſupremus Aulæ Mareſchallus eſt, quẽ vocant *Enſiferum* Latini. Cui chilias paret atrienſium, quos vocant Jeſaulos, i. e. Janitores ſive cuſtodes liminum Domûs interioris. Parent eidem جزايري *Dſeſairi*, ſeu

ſeu milites præſidiarii, Regii corporis, quando foras equitat, & exterioris Palatii cuſtodes. Horum ſuſtentari ex Regio ærario bis mille ſolent; Parſimonia Solymanni tantùm ſeptingentos alit, totidem in defectum ſubordinatis ex militiâ Regni. Munus illi incumbit dirigendi ordinem Confeſſus Regii *Medſjlès*, &, quæ ad convivii ſplendorem attinent, procurandi. Invitatis ipſe locum aſſignat; Introductos à *Mahmandáro* Legatos, manu ulnæ ſuppoſitâ excipit, & ad deponendam reverentiam throno adducit Regio; inde, ſi convivio dignentur, locum ſedendi monſtrat. Stationem habet ante Regis faciem, modico ſpatio remotus; auro cimeliisque gravatum tenens ſcipionem; oculis ſemper Regiis intentiſſimus, ut ab eorum nutu juſſa excipiat, dicto citiùs exequenda per ſubordinatos; Hi enim, velut Mareſchalli inferiores, ſcipionibus pariter inſtructi, ſparſum ad usque fores atrii ordinem conſtituunt, ut imperata velociſſimè, vel ipſi peragant, vel, pro re natâ, de manu velut in manum referant expedienda Janitoribus, qui atrii fores limitesque catervatim eum in finem ſtipant, ſinguli clavâ etiam armati. Ampla habet Enſifer emolumenta ex functione ſuâ: Maximum eſt, quod fas ei tribuit, *Ruſſuum* dictum, id eſt, decima pars omnium munerum, tum quæ Sereniſſimus ab exteris Principibus per Legatos, vel ſtrenæ loco à Regni Magnatibus recipit; tum quæ aliis viciſſim ipſa Majeſtas largitur. Si illa arte facta, vel naturæ opera fuerint, ut ſunt veſtimenta, texturæ, animalia ſimiliaque, tum eadem æſtimari curat à gnaris, & decimam ſibi dari ex Regis ærario. Functio nunc vacat; fructum percipiente interim ipſo Rege, dum locum in convivio gratis ſubit *Divaanbegì*.

مهتر *Mehtèr*, i. e. *Major*, ſcilicet *Cubicularius;* Gallicè, *Grand Chambellan.* Hic in publico convivio *Medſjelès* *Supremus Cubicularius.*

lès prope Regem conſiſtens, ex latere pendentem gerit crumenam, ſtrophiolis, horologio, annulis ſignatoriis, opio & *mufferà*, id eſt, medicamentis exhilarantibus (qualia ſunt antidota, opiata & pilulæ roborantes) inſtructam. Triclinii quoque pro perſona Regis inſtruendi curator eſt, ſtructoris fungens officio, & dapes Regi diſpertiendas prælibans. Idem veſtimentorum, quibus Rex induitur, Inſpector vel cuſtos eſt. Functio hæc honorabilis, imò pene adorabilis eſt; quòd, qui eâ gaudet, cum Rege converſari, & pro aliis multa impetrare poſſit. Eâ donari plerumque albus eunuchus ſolet, qui organo privatus libidinis, comitari Regem ſine affectu poſſit ad interiora gynæcei. Hodie officio fungitur capularis nigrita *Aga Kafuur*, celebris trium Regum miniſter.

Archiatri duo.

حكيم باشي *Hakiim baſſì*, *Archiater*, plerumque *geminus*. Si uſpiam terrarum, certè hîc magna archiatro veneratio & eximius inter primates locus eſt. Verùm moriente Principe, hem quanta fortunæ metamorphoſis! Illico ipſe cum collega ſuo ex Regiâ relegatus, æviterno horti carcere in urbe *Com*, quamvis ſpatioſo & ſplendido, excipitur, confiſcatis utriusque bonis. Sunt Medici aulici plures alii, imò non exigua caterva eſt Medicorum, qui ſtipendiis Regiis vivunt, ac titulo utuntur Regii officii, quod tamen nunquam præſtitêrunt.

Supremi Aſtrologi duo.

منجّم باشي *Munedſjim baſſì*, *Aſtrologorum caput*, cum ſocio uno & altero. Quanta in æſtimatione eſt Aſtrologia apud Perſas, tanto honore in Aula habiti ſunt Aſtrologi. Hi plerumque Regem ſtipant aſtrolabio & ephemeridibus armati, ut horas fauſtas & infauſtas indicent. Nec enim eis inconſultis Rex ſedebit, aſſurget, equitabit, vel quicquam negotii ſuſcipiet. Ingens eorum numerus eſt, vel ſaltem eorum, qui Regiis ſtipendiis fruuntur. Annua

Regis

Regis expenſa in Medicos & Aſtrologos nuper computata, ſummam dederunt vicies mille tomanorum. Mortuo enim patre,, tres & plures ſuccedunt in officio filii, qui naturæ & cœlo dominari debeant. Unde quis appoſitè Regi: *Stellæ*, dixerat, *non creſcunt numero, quemadmodum Majeſtatis veſtræ Aſtrologi; nam moriente uno, plures ſuccedunt filii ſtipendioſi.* Verùm, auctoritas Aſtrologorum non nihil hodiè detrimenti patitur, tum ab invidiâ Primatis Regni, tum ab ipſâ artis ſuæ cognitâ vanitate; quia aliquoties contigit, ut eorum prognoſtica, ad quorum tenorem momenta gerebantur publica, contrario eventu omnem fiduciam fefellerint, cum gravi Reipublicæ detrimento, optimas negligentis rerum temporumque occaſiones, ex vanâ artis obſervantiâ.

مهماندار باشي *Mahmaandaar baſſì, Magnus hoſpitum Proviſor*, Gallicè, *Grand Maitre de Ceremonie.* Curam ſolicitè gerit, ut cum univerſo comitatu ſuſtententur, protegantur, & honeſtè habeantur hoſpites Regii, ſive Legati Principum. Deſideria eorum Curatori Regni defert; Invitatos ex hoſpitio in Curiam introducit, ac reducit; dimiſſionem, & quicquid in deſideriis habent, promovet. *Magnus hoſpitum Proviſor.*

Uterque *Muſtaufì Elmemalìk* & *Chaſèb*, i. e. *Quæſtor Regni* & *Regis*, ordine & dignitate ſequitur; quorum functiones infra dabimus, ſingulari de Cameris Relatione. *Quæſtores gemini.*

ميري شكار باشي *Miiri ſjikaar baſſì, Præfectus Venationis*, tam quæ canibus, quam quæ falconibus inſtituitur. Falcones autem non modò ad aucupia, ſed ad ſiſtendos etiam quadrupedes edocti ſunt. Utrique generi venationis mille & ampliùs miniſtri ſerviunt: nam & ſingulis falconibus (aluntur autem non minus 800) ſinguli cuſtodes ſunt. *Præfectus rei Venaticæ Supremus.*

Supremus ſtabulorum Magiſter.

مير اخور باشي *Miir achuur baſſì, Supremus ſtabulorum Magiſter,* qui præfectos ſtabulorum & omnem rei equeſtris œconomiam dirigit, & à Turcorum tribubus, quæ in Perſiâ vagantur, equos recipit, quos Regi annuatim loco tributi conferunt. Pro ſalario, telonia habet ex paſcuis & gramine.

Princeps amnium & aquæ ductuum.

مير آب *Miir aab,* i. e. *Præfectus aquarum;* nimirum ſummus fluviorum & aquæ ductuum inſpector. Impluvio hoc cœlo, ut magna agrorum eſt ſiccitas atque ſitis, ita mira quoque parcitas fluminum. Hæc ex jugis montium devoluta, quamprimum campos ſubeunt, cataractis frænata, in plures ramos, quos *Maädi* vocant, diri- muntur, ad alia atque alia territoria, oppida, pagos, artis ope delabentes: Hi rurſum in *Dſjedwel,* ſive rivos diſtributi minores, tandem in ſurculos divelluntur exiguos & innumeros, pro inſpectorum arbitrio & indulgentiâ impertiendos illis, qui uſu fluminis jureque illius gaudent reali; Aggeribus enim, quibus retinentur leviter effoſſis, quo lubet inſpectori, longiùs breviùsve defluere permittuntur. Cum igitur ægrè humore illo, à quo omnem fœcunditatem ſperamus, carere quisque poſſit, æmulis corruptionibus Inſpector ille, ejusque ſubſtituti, à colonis conciliantur, ad affluxum longius crebriùsque indulgendum. Dicuntur emolumenta Præfecti ſuperare ipſa Naſirii vel Mareſchalli. Qui locis editioribus aut nimiùm remotis habitantes fluminis beneficio deſtituuntur, illi aquâ è puteis hauſtâ agros hortosque irrigant, de Inſpectoris favore nil ſoliciti.

Summus Prætor.

داروغا *Daroga, Prætor* Regiæ civitatis; Belgis, *de Schout:* cujus officium eſt, inteſtinas compeſcere inſolentias, delinquentes punire, alios mulctâ, alios morte damnando, omnia pro ſuo commodo & arbitrio. Civilis fun-

functio potius, quàm aulica eſt, ſed magnæ auctoritatis & emolumenti; hodieque ex donatione Regis *Abas I.* hæreditaria ſtirpi *Principum Georgianorum*. Non raro tamen in aulicis conſultationibus auctoritati ejus locus eſt, ſemper ſedes vacat in Conſeſſibus publicis *Medſjlès*. Ei ſubordinatur اَخْدَاسْ *Achdaas*, vel Dominus carceris, qui cum lictoribus ſuis noctu urbem permeantibus, obvios graſſatores & inſolentiarum patratores captivos ducit.

صُحبَت يسَاوُل بَاشِي *Sohbèt Jeſauwul baſjì*, *Archi-Janitor*, ſcipionem manugerens, proximum in convivio poſt *Teſjik agaſì baſjì* ſtationem obtinet eiq; velut Aulæ Mareſcallus inferior ſubordinatur. Ei parent ſupradicti mille (hodie ſeptingenti ſaltem) atrienſes *Jeſauli*: quorum munus verſatur in cuſtodiâ conclavium Regii Palatii. Equitantem Sereniſſimum equites quoque præcedunt, ut ordines viamq; dirigant; ſexum etiam virilem abigant, ſi Rex cum gynæceo proditurus ſit; unde à vulgo vocantur *Koruchtſjìs*, i. e. Directores *Koruchi*. Pro ſalute Principis ab iisdem preces ſingulis diebus Veneris habendæ ſunt in Aſyli Regii ſacello. Cetera Regni Palatia Regia præfectos quoque cuſtodes ex Jeſaulorum ordine habent. Gubernatoribus Provinciarum Jeſaulis aliquot, Regii Vicariatûs ſigno, ſtipari indultum eſt. Armatura iis eſt clava brevis cum acinace; veſtitus popularis, tegumentum capitis *Taadſj*, velut proprium Aulæ Iſmaëliticæ, ſimul ac Imamicæ Religionis Inſigne. Sunt enim illi poſteri Turcorum, qui Iſmaëlitici Solii quondam auctores, in Aulæ ſocietatem adoptabantur; ex quo etiam *Sopi* vel *Sophi*, quaſi *Sufì*, religioſo appellari nomine conſueverunt. *Mareſchallus Aulæ.*

شَاه بَنْدَر *Sjah bandèr*, *Marini telonii Director*, Magni nominis publicanus eſt, & *Meſjles nedſin*, i. e. talis, qui *Publicanus generalis.*

invitari ad convivia Regia debet, ſi in urbe præſentem eſſe contingit. Non perpetuò hôc munere, ſed annuô fungitur, quippe quod ipſum Rex annui loco beneficii, cui volet, promiſcuè tribuit. Pro functione, non ut ſolet, telonii partem, ſed ſtatum accipit ſalarium, omnem receptæ pecuniæ maſſam, cum rationibus matriculæ inſerendis, deponens coram Præſide Camerarum *Chaſèb*, pro expenſis Domûs Regiæ.

Princeps mercatorū.

مَلِكُ التُّجَّار *Melìk Tudſjaar*, id eſt, *mercatorum Princeps;* ita dictus, quod mercatorum lites in domo ſuâ, velut in foro competenti, dirimat. In officinis Regiis idem textorum, ſartorum, tinctorum, &, qui ſerico occupantur, opificum, directorem agit, ſub inſpectione tamen *Naſirii.* Regius inſuper negotiator eſt, & commerciorum Conſiliarius, vel Director.

Inſpector nundinarum.

مُحْتَسِب *Muhteſib*, *Inſpector nundinarum* generalis. Is pretia imponit rebus venalibus, præſertim edulibus ac omni annonæ. Examinari idem curat menſuras & pondera inſtitorum; fraudatores corripit ac multat, imò, pro fraudum qualitate, fuſtigatione plantarum pedum, vinculis vel morte damnat. Taxam menſtruam ſigillo ſuo firmatam Regiæ portæ affigit, ut ad hunc valorem neceſſaria quæque comparare poſſint curatores culinæ Regiæ.

Architectus ſupremus.

مُعْمَار بَاشي *Maamaar baſjì*, *Architectus ſupremus*, qui typos fingit ſtruendorum Palatiorum, & à Majeſtate adprobatos ædificari curat. Generalis idem taxator eſt venalium ædificiorum. Contractus venditionum annihilare poteſt, niſi ſe æſtimatore facti ſint.

Inſpector jumentorū.

نَاظِرْ دَوَاب *Naſir Dawaab*, vel بنَاظِر جَهَار پَاه *Naſir tſjehaar paa*, *Inſpector eſt jumentorum Regiorum*, puta camelorum, mulorum & aſinorum, quæ per univerſum Regnum

gnum diſtracta aluntur, pro ſervitio Regis. Conſervationi eorum providet, & ut parata ſint deportandis oneribus, curat, ubi proficiſci Principi decretum eſt.

جارچي باشي *Dſjaartſjì baſjì, Caduceator ſupremus Aulæ*, qui Regia mandata per plateas vivâ voce intimat, vel proclamari per ſubordinatos curat, ne poſſit quis ignorantiæ prætextum dare. His adjicere liceat *Supremus Publicator.*

چاهجي باشي *Tſjahehtſjì baſjì*, i. e. *ſupremum Muſicum*, cui, velut Capellæ magiſtro, omnes obtemperant, qui in ſolenni Convivio, cum id Regi volupe eſt, Choro Muſico ſerviunt tubis, tympanis, cymbalis, nolis, chordis & voce humanâ modulando. Pari modo ſaltatrices, cantatrices, luſores, recitatores hiſtoriarum, actores, Poëtæ, hiſtriones, luctatores, eum in finem ſtipendiis gaudent, ut, juſſi, conviviis præſto ſint, & luſus per artem ſuam moveant. Sed qualis farinæ homines in cenſum hîc noſtrum non veniunt. *Director Muſicæ.*

Habes Magnates Aulæ ſeculares, qui intereſſe Conſeſſibus à Majeſtate inſtitutis ſolent, ac proinde nomine *Medſjelès Nedſjin*, i. e. magni convivii Aſſeſſores appellantur. Senatûs & Conſiliariorum nomina hîc exulant: *Athemadauleth* negotia quævis dirigit, pro judicio & placito ſuo, vel Regis inſimul & matris Regiæ, imò etiam ſpadonum eorum, qui primas tenent in gynæceo. Si cauſa occurrit difficilior, & dubii eventûs plena, tum & Aulæ Magiſtrum, & Secretarium Statûs, vel militum Duces quoque, præſertim ſi fori bellici fuerit; nonnunquam & ſupremum Judicem, Enſiferum & Quæſtores; aut pro variâ rei conditione etiam ceteros Præfectos in conſilium vocat, non prætermiſſis quandoque Directoribus officinarum aulicarum, ſi de rebus, quas ipſi curant, deliberatio inſtituenda veniat; In ſpiritualibus nihil ſecula-

cularis Curia, nihil ipſe ſummus Princeps diſponit, ſed omnia committit Foro Religioſo, cujus antiſtites proximè recenſebimus.

RELATIO VII.

Ærariorum curatores, reditus & expenſa.

Camerarũ Directores.

§. I.

Quæſtor Regis.

De Camerarum præſidibus ſeorſim dicimus; ut eâ occaſione nonnihil de Regiis dominiis, eorumque adminiſtratione; tum de annuis reditibus & eorundem diſpenſatione, tanquam rebus ad notitias Aulæ pertinentibus, inſerere liceat. Reditibus duo præſident *Muſtaufì* ſive *Quæſtores*: nimirum *Elmemalìk* & *Chaſèh*.

مُسْتَوْفِي الْمَمَالِك *Muſtaufì Elmemalìk* generalem directionem gerit Camerarũ, quas appellamus, Regni. In his ad rationes ducuntur reditus in ſtipendia Regii militis, & miniſtrorum quorundam collocandi; præterea in codicem referuntur proventus earum Provinciarum, quæ reguntur à Satrapis, quales vocantur *Beglerbegì*, *Chaan*, *Sultaan*; Horum autem Status, magnificentiam imitando Regiam, omnes propemodum exhaurit reditus Provinciæ, quam quisque gubernat; exceptis, qui in nonnullis Regio ærario reſervati ſunt.

Quæſtor Regni.

مُسْتَوْفِي الْخَاصَّة *Muſtaufì Chaſèh*, Inſpector eſt Camerarum, quæ rationes ſubducunt redituum ad fiſcum ſpectantibus Majeſtatis. Concatenata utriusque functio eſt, & par dignitas; videtur tamen Quæſtor *Chaſèh* priori quodammodo ſubordinatus. Plures habent, quas dirigunt *Defter Chaneh*, ſive rationum Cameras; quarum prima-

primariæ ſunt: *Tauſjeh, Cholaſàh, Leskernuwiis, Naſiir* & *Darogà.*

Defterchoneh Tauſjèh ex libris *Muſtauſì Chaſèh* commentarios format poſſeſſionum, prætenſionum & redituum Regis. Eadem indices tenet patrimonialium locorum; unius cujusque proventum notat, ac ſoluti ſolvendique rationes ſupputat: Præterea refert in Catalogum nomina locorum, qui creditoribus, & quo nomine, aſſignandi veniant, ut, ad ejus tenorem, hujus Cameræ Director *Sahebtauſjeh* formare ſuas, quas vocant, Aſſignationes poſſit; quæ ipſæ valorem deinde ſortiuntur ex ſubſcriptione Quæſtoris *Elmemalìk;* ſigillo inſuper Regni Præſidis, imò pro re natâ, ipſius interdum Majeſtatis confirmandæ. Camera *Cholaſèh* generales ducit rationes acceptorum & expenſorum in Dominiis. Camera *Leskernuwiis* albo excipit à Rege ſtipendia merentes, videlicet miniſtros, aulicos, milites, opifices & ſervos; notans proprium cujusque nomen, locum natalem, manſionem, functionem & ſalarii quantitatem, & quicquid ad rationem indies ſolvitur vel præcipitur, ad aſſem notans, & cum ſolvendorum calculo ſubducens. Præterea matriculam tenet Archi-Satraparum, quos appellant *Beglerbegì*, cum recenſione primariorum miniſtrorum, & numeri quoque militum, quos ſinguli, vel pro ſtatu ſuo, vel pro Rege & Regno ſuſtinent. Eadem exarat bullas ſtipendiales (Beſtallungs-Brieffe) pro iis, qui recipiuntur in ſervitium ſummi Principis; Unde etiam hæc Camera appellari ſolet *Defterchoneh ſerchaat.* *Naſirii* Camera ceterarum acta cenſet & redarguit, factas rationes ſolicitis articulis iterum dinumerat, & facta recenſione appoſito ſigillo approbat. Eſt hic Naſirius quatuor Camerarum Fiſcalis, ſive Cenſor, Gallicè *Controlleur.* *Daroga*, ſeu Prætor, Camerarum adminiſtratores (quales ſunt præter cujusque Directorem, Secretarii, Scribæ & famuli) in officio

Camera Tauſjèh.

Camera Cholaſeh.

Camera Stipendiatorum.

Camera Reviſoris.

Camera Prætoris.

continet; exactiones idem curat, debitores ad ſolvendum ſtringit, & de ceteris, in deliquentes arbitrario rigore utitur.

Reditus annui Majeſtatis.

§ II.

Reditus, quos ex Provinciis percipiunt Satrapæ, difficile, nec hujus loci, eſt exquirere; Si inquilinum quæris de Provinciæ proventu, abſque ſupputatione tibi ſummam 20000 vel 40000 Tomanorum definiet, numero videlicet mentientibus Perſis familiari. De Regiis ſaltem pro ratione inſtituti referam, quantum pateſcere indaganti potuit.

1. *Ex dominiorum fundis.*

Primi ſunt & potiſſimi Majeſtatis reditus, quos percipit ex *Chaſèh*, ſive propriis Dominiorum fundis: qualia ſunt, Provinciæ *Maſanderaan* & *Gilaan*; tum diſtrictus urbium *Iſphahaan*, *Kaſbiin*, *Kaſjaan*, *Jesd*, *Kom*, *Sawah*, *Laar*, *Sjiraas*, & loca quædam nominum obſcuriorum alia. Hos avita Regum conſuetudo ſacravit partim ſuſtentationi Sereniſſimæ Domûs, partim Stipendiis miniſtrorum, militum, ſervorum, partim ſolvendis creditoribus Regiis, & quod ſupereſt, cuſtodiæ ærarii. Præſident Dominiis ſic dicti وَزِيرِ *Vaſiri*, quibus, cum œconomiâ Provinciæ, cura ſimul incumbit regiminis politici; Functionis caput eſt, ut annonæ tributa exigant, rationes codicillis notent, & annuas reddant Cameræ *Tauſjeh*. Fundi eorum non elocantur conductoribus, velut noſtratibus in more poſitum eſt, ſed colendi ad vitæ dies committuntur paganis, (رعايَا *Raja* eos appellant) pacto non alio, quàm ut annonæ partem Sereniſſimo tribuant, partem retineant ipſi, laboris ſui mercedem: & hæc æviterna conceſſio optimo facta conſilio putatur, quod cultores ad ſedulitatem impigram magis obſtringat, ſcientes totâ ſe vitâ fructibus ſudoris ſui fruituros. Portio cultoris,

quæ

quæ الارض *Alare* vocatur, pro diverſo provinciarũ more, pro vario frugum fructuumque genio, pro conditionibus utrinque præſtandis, non ubique una eſt & æqualis. In aliis pagis ex hordei & frumenti proventu tertia pars colono manet, ceteræ tribuuntur Principi, eo pacto, ut gratis Rex grana concedat pro ſemente, & irrigandis agris veniam impertiatur derivationis, (minùs pluviô hoc cœlô aliis pretiô emendam) cultor verò ſuiſmet bobus & auxiliis agrum ſubigat, ſtercoretque, tum & certa præſtet angaria, ſive onera, quæ vocant عوارض ديواني *Awariſì Divanì*, id eſt, ſervitutes forenſes; Quodſi præter ſegetem Rex etiam jumenta ſuppeditet, atque inſtrumenta agriculturæ, remiſſis etiam ſervitiis *Divanì*, Villicus annonæ ſaltem parte gaudebit quartâ; Quibus inſuper, ſi operarios ſereniſſimus locator dederit, non fruenda cultori pars alia quàm octava relinquitur. Ex oryza, milio, goſſipio, lentibus, fœno græco, melonibus & citrullis, ſi nullo levatus ſubſidio omnem villicus culturam abſolverit, duas quintas partes ipſe retinebit, tres reliquas Majeſtati tribuet. Quæ cultoris portio quantumvis exigua videatur, æquitatem tamen involvit, quia oryza, prout omnia, quæ multo ſumtu & labore colenda ſunt, graviori quoque pretio veneunt; reliqua autem ut parvi conſtant, ita in culturâ quoque minus faceſſunt operæ. In ſatione papaveris pro Opio colligendo, præmium laboris ſunt quinquaginta quinque partes papaverini proventûs, in centenas & quadragenas diviſæ; ceteræ Regis. Hæ inquam dictæ conſuetudines cum in pluribus aliis, tum præcipuè in diſtrictibus Iſfahanenſibus obtinent; In aliis enim Provinciis vetera inſtituta & uſus retinentur, in eo repoſita, ut pro conditione antiquitùs æſtimatæ fundorum bonitatis, determinata reddatur vel pecuniæ, vel granorum quantitas: quæ ipſa in aliis pagis, territoriis &

provinciis levior eſt, gravior in aliis, pro diverſorum temporum æſtimatione, & pro æſtimatorum Principumve illius temporis ingenio; qui graviùs ſubditos mitiùsve taxaverunt. Omnem illam annonæ cenſuram niti volunt baſi Regiæ æquitatis & inſtituti, Principis انشروان عادل *Anuſjerwaan Adèl*, qui Perſis circa annum Chriſti 600 imperavit, Juſtitiæ nomine inter Mahhammedanos inclytus; quo regnante Mahhammed ſe natum in Corano gloriatur, unde ex ſuâ virtute *Adèl*, i.e. Juſti, exemplo Ariſtidis, cognomen nactus eſt. Is, ut in ceteris rebus & actionibus omnibus, æquitatis exactiſſimam quæſivit rationem, ita in taxandis fundorum patrimonialium colonis hanc ingreſſus eſt viam: agrorum omnium (omiſſis reſtibilibus) triplicem enotabat annonam, videlicet cariſſimam, mediocrem & uberrimam; hanc dividebat in tres portiones æquales, quarum tertiam conſtituebat cynoſuram & modulum tributi annui, partim ſibi in naturâ, partim in ære, pro taxâ illius temporis reddendi. Par ratio & cenſio habebatur animalium viviparorum atq; arborum. Si qua verò calamitas agris, vel peſtifera armentis gregibusque pernicies, aut caſus arboribus contingeret, præter ſtatuti vigorem, moderanda tributa erant Judicio Cenſorum, qui annuatim pagos & prædia luſtrabant; ut ſi quæ cenſum tertiæ non ferrent, novos illi ex præſentis temporis conditione cultoribus imponerent, atque id perpetuò agerent, ne vel Princeps fraudem, vel Colonus injuriam & detrimentum pateretur. Hodie ad eam æquitatis lancem librare omnia non licet; ſatis eſt priſcæ juſtitiæ veſtigia quædam legiſſe. Notamus, melonum, anguriarum, & id generis pomorum hortenſium, quibus hìc agros conſerunt, non ſpeciem ipſam, neque proventûs quantitatem à Camerâ curari, ſed Regiæ ſaltem portionis ad taxam ejus tempo-

ris

ris æſtimatæ pretium exigi; Idque unà cum novo auctario ſeſqui partium, ſingulis denis, vel quod idem eſt, quindecim ſingulis centenis addendarum; quam erogationem vocant هومیم *Huumiim:* Frumenti verò annonam ipſam Regiæ portionis ſpeciem tribui, ſed cum auctario pariter, æris parati, nimirum unius & quadrantis *Mamudi*, ſive argenti drachmæ, addendæ frumenti ſingulis centenis *man* من antiquis, quorum unum exhibet libras Brabanticas novem. Acceſſit & altera eaque recentior frumentis, ſimul ac leguminibus erogatio, quâ villico pro centenis ſingulis taxatæ portionis Regiæ, duæ inſuper exſolvendæ in nummis veniunt. Omnia hæc, quæ ex fundis in naturâ fiunt tributa, ad pecuniæ rationem priùs redigenda ſunt, quàm in ſyllabos rationum à Cameris collocari poſſint. Hæc de fundis Dominiorum *Sjahì* ſeu Regiis. Fundi *Erbabì* ſeu particularium dominorum, à rigore tributi illius eximuntur, tantùm leve quoddam à ſingulis jugeris penditur, ſed quod per Quæſtoris avaritiam inſolenter aliquando aggravatur.

Secundum genus redituum conſtituunt vectigalia publica, quæ partim exiguntur in portibus marium, ab inferendis exportandisque mercibus; partim in viis Regiis à jumentis, mercimoniisque pariter, quibus onerantur, transvehendis. Telonii prioris Director, quam شاه بندر *Sjah bandèr*, id eſt, *Principem portuum* appellant, muneris commiſſi ſpartam gerit annuam; quâ depoſitâ Regius favor eandem reddit, cui voluerit; eſt enim ut primariæ dignitatis, ita amplo ſtipata ſalario. Vectigalia Caſpii ſunt exigua; majoris momenti ſunt, quæ colliguntur in ſinus Perſici portibus, videlicet *Bander Abaſſì, Bander Congo* & *Bander Riik*. Europæi parum expendunt. Nam *Angli*, quod ſuppetias pro exturbandis ex Ormuſio *2. Ex Vectigalibus.*

 Luſi-

Luſitanis tulerant (hos enim Princeps Regni *Laar* ſecuritati ſuæ hoſpites adſciverat,illo tempore orientalis oceani domitores) liberè merces quasvis inferendi & educendi poteſtatem nacti ſunt, cum promiſſâ Gamronenſis telonii parte mediâ; quamvis accepto quotannis congiario mille tomanorum (vix quinta prætenſionis parte) acquieſcant. *Luſitani*, ex quo occupata deſeruêre littora, commerciorum quoque libertate gaudent, & dimidiam prætendunt *Congenſis* portorii partem, ex pacto abdicati juris in Inſulam *Bahren*, unionumque ibidem collectionem. *Batavorum* candor meruit, ut liberè merces 20000 Tomanorum pretii (connivetur ad 25000) portum vendendas invehant annuatim, & per mediterraneas transferant ſine cenſurâ; ſi quid hanc ſummam exſuperet, vectigale habetur, ita ut denis redimenda ſint centena ſingula. *Galli*, quantumvis de libertate participent, ſupplicibus munerumque nervis impetratâ, rariùs modò adveniunt; Nationes ceteræ nunquam. *Sjah bander* munere defunctus reddit Præſidi camerarum *Chaſeh* rationem, receptorum ingerendam matriculæ, pecuniamque fiſco deponit, ſacratam domûs Regiæ expenſis; Ea ex portu *Gamronenſi*, quem *Bander Abàs*, à Rege inſtructore vocant, quotannis exhibet decies circiter mille tomanos; *Congenſe* vectigal hanc ſummam non attingit; minùs *Rikenſe*, cujus vadum hodie onerarias non admittit.

Alter vectigalium fons ſunt telonia, quæ in viis publicis peregrinantes exſolvunt, mercium ſupellectiliumque nomine, quas inde, nòn rotis, (nam eas regio vix novit) ſed camelorum & mulorum tergis deducunt. Cenſus hic dicitur *Rhadarì*, quaſi viæ cuſtodibus tributus. Hos cura ſummi Principis eò fine introduxerat, ut armati in pylis excubarent, pro ſecuritate iter facientium mercatorum; Loco mercedis permiſit leve aliquod pretium de jumentis illuc tranſeuntibus exigendum. Cujus verò tàm

faci-

facile & ultro affluentis fructum ipſa deinde Majeſtas telonii nomine ſibi vindicavit atque adeò aggravavit, ut non contemnendam ærarii partem hodiè conſtituat.

Tertiam redituum claſſem conſtituunt ſtrenæ annuæ, quas in univerſo Regno inſigniores Præfecti, velut homagii vel tributi loco, mittunt ampliſſimas, & in ipſo vertentis anni auſpicio Majeſtati exhibenda curant. Magnum inde augmentum theſaurus percipit, quòd munus vel unius Archiſatrapæ (*Beglerbegì*) valere circiter bis mille tomanos debeat, partim exhibendum in ære, partim in mercibus ſuæ Provinciæ genuinis, ſed vel Rege dignis, vel uſui ſaltem domus Regiæ idoneis. Minus conferunt Chani notæ minoris; tum Sulthani, Vaſiri, & ſi qui præterea ad hujus aræ ſacrificia obſtringuntur. Nam determinatum ſingulis eſt pretium muneris ferendi, ex conditione Provinciæ ſuæ, vel ſpartæ, quam gerit. Huc refer & cetera dona, quæ paſſim, pro conciliando Principe, quovis offeruntur tempore alio. *3. Ex ſtrenis ac variis muneribus.*

Quartum genus, terræ montiumq; viſcera tribuunt. Margaritas quondam generabat Sinus maris circa Ormuſium, nunc eas circa Inſulam *Bahren* indulget pretioſiſſimas. Turcheſias, in diſtrictu *Niſjabuur*, illuſtres cedit Provincia *Choraſanum*, ſive *Choraſmia*, non omni tempore colligi à Rege indultas. Auri & argenti venas plures exhibent Provinciæ, ſed cujus eruêre medullam, noſtra ætas auſa ampliùs non eſt, de operæ pretio incerta. *Caramania* paſſim *cupri* fodinas habet ditiſſimas, cujus metallum cupro Japonico mitigari hactenus debuit, nunc ad ſui perfectionem ope exoticâ ampliùs non eget. Idem in *Choraſano* quoque inveniunt. *Jesde plumbum* offert argento gravidum: Quod & ipſum impertitur Provincia *Kirmaan*, ſive *Caramania*. *Ferrum* cedit Provincia *Choraſanum*, parciùs aliæ. *Arſindſjum*, oppidulum Iſſahanenſis diſtrictûs, *Pulaad* in confinio exhibet, i. e. *chalybem*, *4. Ex mineralibus.*

bem, quem vocant damaſcenatum, & flammis albicantibus egregiè variegatum, nil ei pretiô cedens, quod copioſum ex *Golcondâ*, Regno Indiæ, mittitur. *Salenitro* & *ſulphure* nativo abundat diſtrictus *Netenſis*, utrumque & alii copioſè ferunt. De *Mercurio* & *Antimonio* idem tenendum eſt. Sale culinari, tum petroſo, tum ſole excocto, vix ulla caret Provincia. *Naphtham*, cum inſigni lucro copioſiſſimam indulget campus, circa urbem *Backù*, pauciorem circa *Sjuſtèr*. Major pecuniæ vis redundat ex ipſis fluminibus, quorum parcus liquor, per cataractas diviſus, agricolis pretiô diſpeſcitur, quò lubet per incilia deferendus. Solam *Araxem*, dum rura perfluit Perſepolitana, ærario Regio quotannis ferre mille aliquot tomanos, aſſeverabat loci Satrapa.

5. Ex lupanaribus, hoſpitiis &c.

Quintum genus voco quæſtus venereos vel mixtos, velut 10000 tomanos annuos, quos Rex ex ſolis ducit lupanaribus. Solus Iſphahanenſium ſyllabus meretricum harum 15000 numerat, quæ tributum ſolvunt 6000 tomanorum. Cui adde locaria ex Regiis *Hoſpitiis* (*Karwanſera*) *balneis*, *domibus*, *foris*. Huc ſpectat جَجَك *Dſjedſjek*, ſive cenſus capitum, quem ex ſpirituali lege pendere debent puberes Chriſtiani ſubditi, nimirum unum auri *Muskal*, ſive ſcrupulos circiter quatuor. Refero huc & cenſum *Bonìtſj*, quem in civitatibus opifices, & *Tutliaar*, quem mercatores ſolvunt.

6. Ex bonis confiſcatis.

Poſtremam claſſem conſtituo bona confiſcata eorum, quos perdidit ira Principis. In deſpotico hoc Imperio inſolens non eſt, in hunc lapidem impingi. Levem ſæpè errorem capitis diminutio ſequitur; nec capite damnati ſolùm, ſed ſi rigorem obſervet, conſanguineorum quoque hæreditates fiſcus ſibi vendicat.

Summam omnium redituum difficile eſt definire, ex ſolis vectigalibus & fundis (ſi pro quolibet jugere fertili com-

computentur quinque *Abaſſi*, i. e. decem argenti drachmæ) probabiliter exſurgere dicuntur 400000 Tomani, i. e. 5000000 Unciales, vel ampliùs. Quid cetera ferant genera, accuratè non licet aſſequi, cumeandem quotannis menſuram non impleant.

§. III.

Reditibus expoſitis, non alienum foret de annuis quoque expenſis dicere. Sed quis ea determinabit? Prout quis ad gerenda bella, condenda opera magnifica, inſtituendos ludos publicos, & in varium luxum proclivior eſt, ita etiam menſuram redituum annuorum, atque ærarii vires exhaurit. Quod ipſum verò de continentiâ Regentis *Solymanni* nefas ſit affirmare. Ordinaria enim Regum expenſa abſumere omnem vim redituum non poſſunt: Ea autem potiſſimùm reſpiciunt ſtipendia miniſtrorum & militum; impendia officinarum Domûs Regiæ, pro veſtitu, ſupellectili & tapetibus inſtaurandis, vel noviter conficiendis; conſervationem palatiorum & hortorum; convivia publica, & gynæcei, privatique triclinii epulas. Plura ſilebo, nec enim expenſorum rationes perſequi, mihi propoſitum, vel in proclivi eſt. Saltem de ſalariis pro colophone hujus materiæ docebo; ea triplicis eſſe generis: Alia enim vocantur *Tawiil*, ſeu *Tijuul*, qualia ſunt pagi, prædia, vel fundi, qui dantur miniſtris Regiis, ut durante ſervitio, eorum poſſeſſione & annonâ gaudeant. Atque hæc omnium fructuoſiſſima habentur, quòd fundi illi uſum fructum poſſeſſori ferant, ſtipendio majorem, duplo quidem plerisque in locis, quintuplo circa Iſfahanum, ſextuplo circa Caſjanum & Sjiraſum, & in quibusdam locis octuplo. Alia dicuntur *Hamèh Salèh*, qualia ſunt fundi, qui proventum ſuo hoſpiti ſaltem reddunt ſalario æqualem. Alia appellantur *Baraat*, id eſt, aſſignationes chartaceæ, quibus inſtruuntur alii, ut ex

Expenſa Regis annua.

N diſſi-

diſſitis locis à colonis & publicanis ſummam ſtipendii ſui colligant; qualiter in Regno errabundi ſtipem potiùs videntur, quàm ſtipendium colligere. Inter hos pauci ſunt, qui à Provinciarum Directore aliquo, rariſſimi qui ex Regis ærario mercedem nonnunquam accipiant.

RELATIO VIII.

Antiſtites ſpirituales. Ædificia ſacra.

§. I.

Judices ſpirituales & bonorum ſpiritualiũ adminiſtratores.

Regii Statûs complementum conſtituunt, non tam Aulæ ipſius, quàm civitatis Regiæ Magnates; nimirum Judices ſpirituales & Præfecti templorum. Agmen ducit

Summus Juris, Religionis & bonorum Eccleſiaſticorum (ſit verbo venia) *Præfectus.*

صدر *Sedr, Juris Legumq; ter maximus interpres,* ſimulac *Religionis Sjijaitico Mahhammedanæ, quaſi centrum & vitalis facultas;* id enim indigitatur appellatione صدر, quod *pectus* proprie ſignificat. Nimirũ is eſſe ambit apud gentem ſuam, qui eſt *Mufti*, ſeu Pontifex, apud Turcos: quo tamen noſter hic magis cenſendus eſt ſecularis, qui relictâ Patriarchali cathedrâ nonnunquam tranſire ſolet ad ſeculare Antiſtitium Regni. Vulgus illum vocat *Nawàb*, i. e. ſummum (Regis) Vicarium; Cui titulo ob functionis reverentiam connivet ipſe Vicarius *Memadauleth*, nec locum ſuperiorem invidet vocato in Conſeſſum Regis. Hic juſtitiæ infallibilis, quod credunt, Apollo Delphicus, ex tripode Juris Canonici Mahhammedani, civiles quæſtiones & litigantium controverſias abſolutè dirimit, ut non à domeſtico judicii ſui decreto ulla detur ad tribunal aliud provocatio. Præcipua autem functionis Pontificalis pars in eo poſita eſt, ut diſpenſet reditus eorum bonorum, quæ ad pias cauſas legata ſunt. Sacrarum igitur ædi-

ædium, ſcholarum publicarum & ſanctorum ſepulchrorum, ut ipſe ſummi gerit Inſpectoris nomen, ita quoque eorum miniſtris, præpoſitis, cuſtodibus, profeſſoribus, ſtudioſis, alumnis & *Molis*, ſive religioſis quibusvis, ſtipendia & beneficia decernit, auget, minuit, aufert, pro affectu ſuo & unius cujusque meritis. Pari auctoritate præfecturas inter religioſos totius Regni Ipſe pro arbitratu confert, vel conferri annuit, per ſpirituales loci cujusque præſules. Opimam hanc & ab omnibus religioſis venerandæ Dignitatis ſpartam Rex nemini conferre, niſi genero vel affini, ſolet. Pendent ab Ejus juſſu, cum plures alii, tùm præcipuè Officiales duo primariæ notæ; nimirum:

مستوفي موقوفات *Muſtaufì Mokufaat*, i. e. *Superintendens Camerarum*, quæ in ſyllabos referunt bonorum ſacrorum nomina & conditiones; ſimul atque annuas ſubducunt redituum & expenſarum rationes: Et

Superintendens Camerarum Eccleſiaſticarum.

متصدی موقوفات *Muteſaddi Mokufaat.* Is eſt *Theſaurarius redituum*, quos recipit, & ad *Sedri* placitum diſtribuit; Dicuntur illi quotannis ſummam referre centies mille tomanorum, ſive uncialium 1250000. Intereſt hìc etiam meminiſſe.

Theſaurarius ſacrorum.

وزیری موقوفات *Veſìri Mokufaat*, i. e. *Quæſtoris legatorum*; quem non nunquam Reges mortuo Patriarchæ Vicarium ſubſtituêre, quo in ſeſe vacantis emolumenta officii, quàm maximè redundarent, non deficiente interim, qui adminiſtrationis curam gereret. Pontificalem, ſi ſic appellare licet, quæſturam, Rex hodiernus anno Chriſti 1670 partitus, geminos introduxit, generum & affinem, Legatorum antiſtites; unum

Quæſtor Legatorum.

صدر ممالک *Sedr memalìk*, ſeu *Diſpenſatorem bonorum*,

Præfectus Legatorum à privatis.

N 2

rum, quæ paſſim à perſonis particularibus in Regno univerſo; alterum

Quæſtor Legatorum à Rege. صدر خاصه *Sedr chaſeh*, ſive *Adminiſtratorem bonorum*, quæ ab ipſis Regibus piè legata ſunt. Uterque eorum facultatem habet domi ſuæ civiles cauſas decidendi, ad normam juris ſpiritualis, nec ab eorum ſententiâ provocari ad aliud judicium poteſt. Infelix fatum hujus Patriarchæ non poſſum hîc quin inſeram. Luit is ultra triennium invidiam Regis, qui eum anno Chriſti 1680 aſſervari in prætorio mandavit. Ibi plantas pedum, pro more regionis, ſcipionibus percuſſerunt lictores quotidiè, donec ungues digitis abſcederent, & fœda tot vibicibus crura elephantinam induerent figuram. Nuper admodum detectâ innocentiâ, modus pœnæ impoſitus eſt, & ipſi licet nondum dimiſſo, bona, quæ fiſcus vendicârat, remiſſa ſunt. Hanc Illi technam ſtruxerat *Sjeich el Iſlam* Provinciæ *Kirmaan*; qui exutus officio, ut talionis jure in perditorem ſuum Sereniſſimi inclementiam converteret, ſceleratam viam ingreditur; curans famoſas in Regem nefandæ laſciviæ imagines pingi, quas, in faſciculum aptatas, claudit inimici ſui ſigillo, aſtu neſcio per ancillam ſubrepto, ut narrant alii, an imitatione exſculpto. Faſciculum deinde Regio titulo, cum cautione, ne quis alius frangeret, inſcriptum, ita exponit, ne manum evitare alicujus poſſet, qui exhiberet. Turpi imaginum ſpecie (quas inter una referebat ſedentem in aſino Majeſtatem) Rex excandeſcens, auctorem eſſe conjicit affinem ſuum; & ex ſigillo idem perſuaſus, vindicandi criminis confeſſionem extorquere vinculis & verberibus voluit; donec patrator, ipſe ſceleris ſui ſorex, cogeretur immerentis ſubire manicas, & ſortem, quam meruerat. A tempore quo dignitatem amiſit *Sedr chaſeh*, Legatorum Regiorum curam, Rex gerit, gaviſurus ipſe amplo facillimæ admi-

adminiſtrationis fructu. Inſuper alii dantur Juris & Religionis ſummi Interpretes duo; à *Sedro*, ſed cum approbatione Regis, conſtituti: nimirum *Sjeich el Iſlaam* & *Kaſi*.

شيخ الاسلام *Sjeich el Iſlaam*, i. e. *ſenior Iſmaliſmi*, ſive *Religionis fidelium*; quæſtiones & controverſias fidei reſolvit, & ex ſpirituali Lege lites quoq; definit civiles. Nomen ab Iſmaële ducitur, modernæ Proſapiæ primo Rege, qui avitæ opinionis ſchiſma auctoritate Regiâ fundavit, atque armis propagavit. *Senior Religionis.*

قاضي *Kaſi*, *Judicem* ſignificat cauſarum civilium ſpiritualem. Hic ordine licet cedat Seniori, par tamen utriusque functio, par dignitas eſt Judicii, à quo ad aliud non datur provocatio. Cauſæ, quæ utrobique (prout etiam in Sedrorum tribunalibus) aguntur, contractus, venditiones, emptiones, matrimonia, divortia ac paris farinæ ſunt; quarum Judex, auditis utrinque rationibus, teſtibus, circumſtantiis, perbrevi temporis compendio ſententiam dicit: nullo limites ingrediente rabulâ, procuratore vel notario, qui litem poſſit & juſtitiæ tenorem protrahere. Actiones de ſanguine, homicidiis, violentiâ illatâ, rapinis, furtis, ad fora ſpectant criminalia Judicum, quos ſupra recenſui, *Divanbegì* & *Darogà*. *Judex cauſarum civilium ſpiritualis.*

Ex his, quæ induxi, Judiciis Civilibus, prævalere auctoritate ſolet, & à litigantibus maximè frequentari illius, de quo conſtiterit, quòd majorem præ ceteris Gratiam ſummi Principis obtineat. Et tanquam ad hunc modulum dignitas perſonæ menſuranda ſit, Mareſchallus in convivio Regio aſſignare tum ex Sedris, tum ex modo dictis Judicibus ſedem audet potiorem illi, quem Regiis oculis cariorem noverit. Sciendum: utriusque nominis Judicem non ſaltem in hâc Regiâ metropoli, ſed in ceteris

quoque provinciarum emporiis Juſtitiæ præſidere; quin verò in minoribus civitatibus nunquam deeſſe *Kaſì:* Inſtrumenta enim, civiles contractus, Mandata Regia, & quicquid in humanâ ſocietate ſcripto firmatur, id omne à ſpiritualis Judicis ſigillô mutuare auctoritatem debet; proinde civitates alterutrius præſentiâ carere haud poſſunt.

Papa. Omnes antiſtites illos auctoritate antecellit Legum quidam peritus, decoratus eminentiſſimæ ſanctitatis & primatum inter fideles ſignificante titulo مجتهد *Mudſjtehìd:* Quem ad faſtigium hujus dignitatis, non Gratia ſummi Principis, non Cleri, non Procerum ſuffragia, ſed lento gradu tacitus quidam elevavit conſenſus, atque publica ob excellentem tum eruditionem, tum ſanctitatem æſtimatio univerſi populi. Creditur eſſe in ingenio ejus tribunal infallibile, decidendi omnes caſus conſcientiæ, reſolvendi Religionis dubia & controverſias, exponendi القرآن *Alcoranum*, id eſt, *Biblia Mahhammedana*, & حديث *Hadies*, id eſt, *Nomina Prophetæ & Imamorum*; Et quod mireris, Theologorum concors opinio eò abſurditatis delabitur, quam & perſuaſa credit populi ſimplicitas, Ipſi in Mahhammedanos imperium tanquam vero Muſulmannorum Pontifici, jure divino competere; ſaltem Regi incumbere negotium executionis, atque obſervantiam Pontificalis arbitrii, ut illo volente acinacem ſtringat, nolente recondat, inconſultôque nihil ardui occipiat expediatve in regimine fidelium, id eſt, inter Muſulmannos ſive Mahhammedanos. Durum in Majeſtatem aſſertum! Ad quod fulciendum, ita argumentantur: Siquidem, Mahhammedani divinâ ducuntur voluntate, eam neceſſe eſt mortalium cuipiam à Deo inſpirari. Cui autem? an ſeculari Principi, mundi & corporis mancipio? Indignum

gnum commercio Divino hoſpitium! Non revelat Mens puriſſima intentiones ſuas, niſi mundiſſimi corporis animo, qui miſſo voluptatibus æviterno nuncio, ſolâ gaudeat contemplatione Dei & rerum Divinarum, qui ſe ipſum noſcens, infelices doleat carceris ſui conditiones, & in via verſetur ad ſalutem æternam. Solis itaque ſanctis revelari voluntatem Dei; quondam إِمَامْ *Imamis*, i. e. Mahhammedis in Pontificatu ſucceſſoribus, nunc eorum, qui vices ſubeunt, *Mudſjtehidis*. Ab horum ore pendens, placita intelligat Divina is, cui populum ſuum Deus ac dirigendam illius Rempublicam commiſit. *Hæc illi:*

Gravis momenti res eſt, apud populum univerſum tantæ ſanctitatis fiduciam aſſequi, quanta ad merendum decus Tituli, terq; quaterq; maximi ſufficiat; nec enim aliâ ad metam hanc viâ, niſi per opinionem faventis populi contenditur: quam qui ſuſcipiunt, ſi ſtudia inſpicas, his incedere veſtigiis comperies: Exteriora omnia ad ſanctitatis ſpeciem componunt, in vita victuque continentiſſimi, honorum abſtinentes, nugarum faſtidioſi, nullâ de re ſermocinaturi, niſi de æternis & cœleſtibus. Diſcipulos permultos ſibi Suadâ, doctrinâ & benignitate conciliant, quos domi ſuæ, ſive tardos, ſive dociles, eâdem humanitate & patientia erudiunt, nunquam vel in docendo tædium, vel in corrigendo iracundiæ prodituri indicium. Sermonis in converſatione parci ſunt, non niſi ſententias loquentes, & alloquio laceſſiti, verba reddentes plena ingenio & nectare ſanctitatis. Habitum gerunt ex pilis camelinis & caprinis textum, colore candentem; caput faſciatur tiarâ albâ, quæ faciem mentitur pallentem & macilentiorem. Equitantes directis in terram oculis lentè & meditabundi incedunt, ſervis ſtipati paucioribus, uno muli, cui inſident, ductore, altero cum libris pediſſequo. In templis, præſertim cathedralibus, crebrò com-

comparent; precationis formam pluribus quàm ceteri ceremoniis, & majori abſtractione mentis muſſitantes: quâ finitâ, ſe in ædis angulum recipiunt, & ex turbâ conſidente alios rudimentis fidei imbuunt, alios theologiæ ſublimiora docent, & piis adhortationibus aliquot horas ſuſpenſos retinent Suadæ ſuæ admiratores. Ita in hoc ſtadio pedetentim inclareſcentes, devinciunt omnium inſenſili ſucceſſu amorem & benevolentiam, tandemque Pontificalem illum Religionis primatum, muto populi ſuffragio obtinent. Ne autem putaveris in proclivi Corinthum iter eſſe; Hypocritam excellentiſſimi ingenii & doctrinæ ſingularis eſſe oportet, qui ingreditur. Vulgus Perſarum ait, laureâ illa neminem redimiri, niſi ſeptuaginta Scientiarum Magiſtrum. Quotquot autem jactitent ignari multiplicatores, certum tamen eſt, apud ipſam Majeſtatem cùm ſimulatam viri ſanctitatem, tum veram ejus & incomparabilem eruditionem, in magnâ veneratione haberi; Nam admiſſo in Convivium Regium, conſidendi locus aſſignatur eodem ordine cum ipſâ Majeſtate, ſaltem interjecto paucorum paſſuum intervallo. Si tamen de Regio affectu, quod res eſt, dicam; fucata hæc æſtimatio eſt, & fictus honor populo gratificandi cauſâ; quem adeò ſibi adhærentem habet Theologorum Primas, ne quicquam Regi integrum permittatur in cauſa Religionis mutandi, vel ſuſcipiendi in regimine politico, quod ille ſacris Legibus adverſum eſſe judicaverit.

Director precum. پیشنماز *Piiſjnamaas*, *Director publicè orantium.*

Qualis cùm in multis aliis, tum præſertim in templis baſilicis unus habetur, ut exemplo ſuo typum oſtendat ſolennes preces dicendi, ad quas diebus, præſertim Veneris, convenitur. Hic dum precationis ceremonias celebrat, phalangem hominum à tergo habet, ſatagentium orantis verba & actiones imitari: ſi genu flectit, flectunt; ſi

ſi cervicem inclinat, inclinant; ſi terram oſculatur, & ipſi oſculantur. Tot enim hæc orationis formula geſtuum varietatibus ſcatet, ut difficile plurimis ſit, eam ſine ductore ritè ſatis celebrare. Hos ſibi directores præficiunt templi cujusque cives, non votis lectos, non ritu ordinatos, nec prævio tentatos examine, ſed lento favore longoque tempore, ob devotionem, omnibus probatos. Si enim *Piiſjnamaſum* abeſſe contingat, ex præſentibus maximè zeloſus & induſtrius templi hoſpes vices abſentis ut gerat, demum & mortui locum ſubeat, multis precibus invitatur. Contingit eligi ut plurimùm *Sejid mir*, i. e. talem, qui prognatus eſt ex ſtirpe Mahhammedis, quoad parentem utrumque, vel *Charif*, i. e. qui prognatus quoad alterutrum; eſt enim uterque titulus, licet inter magnates parvi pendatur, apud multitudinem in magnâ veneratione, velut index derivati ſanguinis ab orbis totius maximo Prophetâ. Hic poſthumâ beneficentiâ proſapiam vindicaturus à calamitate, obligavit ſectatores ſuos ad ſolvendum *Sakat*, i. e. decimam partem facultatum ſuarum tribuendam *Sejidis*. Iniqua Lex obſequium non invenit, niſi quod magnatibus, & qui divitiis abundant, ſolenne ſit, unum ex *Sejidis* in ſuæ domûs ſocietatem adoptare, eo fine, ut, beneficentiam dum in uno explent, quam in totâ progenie debebant, intentioni Legis, ac ſuæ conſcientiæ quodammodo ſatisfaciant. Omnium *Piiſjnamaas* primus eſt Director orationis Regiæ, in templo fori maximi primario, quod Sereniſſimo inſcribitur. Solet functio *Mudſjtehido* deferri, ſi quis fuerit.

متولي *Mutewelli*, *Ædilis ſacrorum*, ſcilicet, qui conſervationi ſacrarum ædium, & earum reditibus præpoſitus eſt. Per ædes intelligo, cum templa, tum ſepulchra, ſive ſacella, quibus conditi ſunt *Imaam ſadeh*, i. e. Imamorum nepotes, *Pyr*, i. e. veteres doctores, tum Reges, viri illu- *Ædilis ſacrorum.*

 ſtres,

ſtres, miraculoſi ſancti, vel eruditione inclyti. Celebriora ex ſanctorum ſepulchris ſunt, quæ extant in urbibus *Meſjhed, Kom, Caſjaan* & *Ardebil.* Rex hodiernus ſua & Anteceſſorum legata ipſe curat, & *Mutewelli* generalis vices ſuſtinet. In ſpiritualium quoque Catalogo ſunt, licet aulicis haud accenſendi:

Cantores.

موزن *Muwaſin, Cantores*, qui preces publicas manè, meridiè & veſperi, vel ſoli, vel unà cum ſociis, ejulant, & quàm poſſunt voce altiſſimâ declamant, conſtituti in ſummitate turrium, quæ à veteribus eum in finem templis primariis adſtructæ ſunt. Malunt *Iſphahani* ex templorum tectis decantare; indignantibus vicinis, quod ex turribus declamator poſſit uxores illarum conſpicere.

Lectores.

حافظ *Hafìs, Sacerdotes* illi, qui in ſepulchrali ſacello Coranum legunt, in memoriam & ſalutem defuncti. Hoc ſanctorum & divitum exuviis contingit, per beneficium pro lectoribus, vel ab ipſo defuncto, dum viveret, vel à poſthumis legatum. Raro unus, plerumque plures uni ſacello ſerviunt, qui labores horarum vicibus dividunt.

Expurgator.

جاروبكش *Dſjarubkeſj*, is eſt, qui in illuſtri aliquo *Meſar*, i. e. ſepulchrali, ſive in *Meſdſjéddi Dſjamèb*, id eſt, cathedrali templo, verrendi pavimenti curam gerit. Nomen apud nos vile eſt, apud Perſas functio venerabilis & largo ſalario ornata, quam nemo non *mola* facilè reſpuet. In tranſitu notamus: ملا *Mola* vocabulum latè patere, & de omnibus prædicari doctoribus, ſacerdotibus, theologis, imò quibuscunque viris literatis, & ſcribis etiam. Unde quos proximè induximus antiſtites, *magni Molæ* appellantur.

§ II.

Structuræ ſacrarum ædium.

Templorum مسجد *Meſdſjed* lateritia ſtructura eſt, variam

riam, pro fundatoris conditione, magnitudinem & magnificentiam, nec eandem ſemper figuram referens. Sæpe circa aream quadratam elongantur, cujus unum vel duo latera claudit, reliqua murus limitat. Aliquando ſine impluvio exſtructum, ædificii molem conſtituit compreſſam, paucis columnis nixam, luminis admittentem modicum per riſcos affabrè clathratos. Nonnunquam informi loco poſitum, ſtructuræ figuram quoque informem & variè angulatam exhibet. Sæpe turri ſuperbit unâ vel geminâ, cylindraceâ, præcelſâ, anguſtâ. Frontiſpicium fornice auguſto (ايوان *Eiwaan* vocant) hoſpites admittit, cavoque lapide ſub introitum repoſito ſtagnantem exhibet, ut lotione ſe præparent, qui oratum veniunt. Oſtium non rarò intercipitur aſyli & ſanctitatis indice catenâ, transverſum pendente, quam oſculari debent ingreſſuri, relictis hîc calceamentis, niſi & pergula priùs, ſeu veſtibulum (quod aliquando ſolet) tranſeundum ſit. Aream templi ſubdialem, coctili teſſellatam laterculo, ſæpe rivulus interfluit, alicubi in ciſternam collectus, ne copia liquoris deficiat, quo abluere delicta, & ad preces fundendas præparare corpus mandat lex Religionis. Facies templi, aream quæ reſpicit, aliquando pariete orbata, columnis inſiſtit, pro uberiori admittenda luce. Pavimentum gradu uno alterove elevatur, ſupra ſolum areæ ſubdialis, ipſamque ædem uno vel gemino paſſu anticipat, in uſum deambulationis & propter ornatum; Intus verò ſtoreis tapetibusve ſternitur, vel totum, vel iis tantùm locis, ubi orari ſolet. Paries interior nonnunquam vitreo lapide, ſæpiùs candore gypſi micat; aliquando ſententiis *Corani* ornatur, magno & laborioſo charactere pictis. Exulant enim imagines cum ſimulacris & omni noſtrate pompâ. Quicquid magnificentiæ, quicquid Doricæ & Æonicæ artis intus deſideras, id parietum compen- *Templa.*

ſat decor, & ſuperba puritas. Paries *Meccæ* obverſus, ſemper refert مِحراب *Mehraab;* ita vocatur facta in muro cavernula quædam oblonga quadrata, ſemipedalis profunditatis, latitudinis pedalis, ſuperius fornicata, quæ oſtendit ſitum civitatis ſanctæ; ut ad eam, hoc ſigno eruditi, ſe convertant fundendis precibus occupati. In مسجد جامع *Meſdſeddi Dſjamaa,* ſeu *templis baſilicis,* منبر *Menber,* ſive ſuggeſtum videas, ex quo in luctu annuo auditur hiſtoria mortis & necis filiorum *Aali.* In aliis nonnunquam repoſita invenias feretrum, vexilla, haſtas & futiles quaſdam machinas, quibus utuntur in funerum deductione, & ſi quis præterea circuitus celebrandus veniat. De Cathedralibus inſuper notamus: quod in iis celebrare ſtatis diebus debeat *Gottoba*, id eſt, oratio pro ſanitate Regis. Principum Mahhammedanorum ſingulare hoc Regale eſt, quo non gaudent inter illos alii, niſi qui ſummam potentiam & majeſtatem habent. Ejusdem indolis preces (*Sikr* vocant) diebus Veneris, in hac religione nefaſtis, decantare debent mitrati Regis ſatellites *Jeſawul.* Patet huic devotioni ſacellum in *Alikapì*, ſeu aſylo publico, prope Regiam.

Mauſolea. Templorum æmula ſunt مزار *Meſaar*, id eſt, *Mauſolea,* ſive *ſacella ſepulchralia,* cum ſtructurâ, tum ſanctitate loci. Mirè his ſuperbit Perſarum devotio, præcipuè iis, quæ condunt exuvias proſapiæ Imamorum, quam vocant امام زاده *Jmaam ſadèh.* Sciendum enim Perſas numerare duodecim Imamos, i. e. ter maximos Sacerdotes & Juris-Conſultos, qui in خلافت *Chalifaat*, i. e. *in throno ſacri regiminis*, à Mahhammede inſtituti, tenore hæreditariæ ſucceſſionis regnarunt, vitam emenſi ſanctiſſimam,

mam, multisque inclytam miraculis; quibus hodienum extolli in cœlum laudibus, atque precibus invocari meruerunt. (apud Turcos *Imaam* minoris notæ vocabulum eſt, quemvis templi inſpectorem ſignificans) Series Imamorum hæc eſt, ſed Perſis calculatoribus, qui *Abubakerum, Oſmannum* & *Omerum* à Turcis præmiſſos, ex catalogo Pontificum ſuorum relegarunt: 1. *Mortuſa Aali*, 2. *Haſen*, 3. *Hoſſein*, 4. *Sein elaabediin*, 5. *Mahhamed Backiir*, 6. *Djaäfer tſadik*, 7. *Muſa kaſim*, 8. *Reſaa*, 9. *Mahhamed Takhì*, 10. *Ali nachì*, 11. *Haſen aſkerì*, & 12. *Mahhamed mehdì*. Ex his unus *Reſà* intra fines Perſicos ſepultus eſt, videlicet in metropoli Coraſanorum *Maſjhèd*. Hæc civitas florem & celebritatem ſuam quàm maximè ſacris debet exuviis, ad quas adorandas peregrinatores confluunt Muſulmanni, ſed præſertim Perſiani Sjijaitæ; qui poſt *Aali*, dilectum Mahhamedis generum, & *Dſjaferì* ſuum plus videntur ſanctitatis reponere in uno *Reſaa*, quam in ceteris Imamis omnibus: Inprimis credunt cœcos fiduciâ adorationis hîc poſſe recuperare viſum. Nam non rarò Sacerdotes, ut advenarum fidem concilient, ſupponunt, qui viſûs orbitatem ſimulet, quô ipſo, fictis precibus recuperato, turbam concitant admiratorum, qui patientem per plateas cymbalis tympaniſque comitantibus circumducunt, velut in triumphum & laudem opitulatoris ſui. In eâ circuitione quisque hoſpitum teſſeram reportaturus miraculi, particulam decerpit ex veſte falſarii, utpote, quæ contexerat corpus, in quod Myſta ſuam effundere virtutem dignatus eſt. Finito ſpectaculo actor ab ærarii præpoſitis novâ veſte & muneribus donatus, dimittitur. Hæc fabula toties luditur, ut civibus riſum ampliùs, non fidem aut devotionem pariat. Poſtremus Imamorum nullibi tumulatus creditur, ſed exemplò Enòchi à Deo ſublatus in paradiſum quendam, unde abſolutò Providentiæ termino in apricum

Heros reverſurus ſit, ut *Anti-Mahammedem* occiſione deleat, & mortales ad fidem cogat Prophetæ ſui; Inde vocatur *Jaheb el Jamoon*, i. e. dominus temporum. Imami varios fortunæ caſus & dura perſecutionum fata per omnem vitam experti ſunt, quibus plerique ſuccubuerunt. Poſt funera tandem parentum, progenies ingratam deſerere coacta patriam, in Perſiam transfugit: in qua vitam defuncta exulem, paſſim per Regni provincias tumulata eſt. Et licet poſtea Imamorum hoſtis occupatam à ſe Perſiam, vaſtatamque diu retineret, ſepulchrorum loca tamen in memoriâ hujus gentis nequaquam obliterata adeo fuerant, ne ſereniſſima Sophorum ſtirps, accepto in deditionem Regno, ſepulturas ubique requiſitas feliciter invenerit. Repertas igitur, eâ pietate, quam credebat religionis ſuæ auctoribus deberi, ſacellis magnificè ſuperſtructis decoravit, amplisque redituum beneficiis ditavit, agris, balneis, pagis eam in rem conſecratis, unde conſervetur ſtructura, foveantur lucernæ, & vivendi remedia ſuppetant eorundem ædili, *mutewellì*, & Corani lectoribus, *Hafiſeh*. Diſtrictum ſepulchralem ſæpè commendant vicina quædam monumenta publica, vel Principum legatione, vel aliorum magnatum pietate, cum pro communi bono, tum ad illuſtrandam ſepulchri famam, ſucceſſive condita, qualia ſunt templum, ſchola, aquæ ductus, viridarium, balneum, & *tekjèh*, ſeu pergula pro requie otioſi hoſpitis. Pleræque enim ſepulturæ in pagis & obſcuris locis extant; tantum *Caſjana* emporium plurium ſanctorum tumulis felicitatur; unde inſignem meruit titulum, *el muminiena*, i. e. manſionis fidelium. Structura ſacellorum lateritia eſt, figuræ quadratæ, unico operta, ſed alto & ſpectabili, fornice: Is tigillo tegitur viridante, vitrato, croceis ſurculorum flexuris picto, ſæpè in pyramidalem turris figuram faſtigiatus. Pavimentum nunc marmore tabulatur, nunc ex luto factum, aulæis ſternitur.

For-

Fornicis convexa facies multis diviſionibus affabre diſtinguitur, cavitatum, bullularum & coronidum varietate & harmoniâ inimitabile noſtratibus artificium referens, quod penicillo nec Apelles tibi expreſſerit. Eandem artem exhibent templorum frontiſpicia, & dimidiati palatiorum quorumcunque fornices illi, quos vocant *Eiwaan*. Mirè hi peregrinos oculos tenent ſuſpenſos, præſertim ſi cælatoris ſtudium auri & ultra-marini color illuſtraverit. Fornicem ſubtendit unus alterve riſcus in ſummo pariete, rariùs vitro (variegato) clauſus, ſæpiùs cancellatus, ut diurnam lucem intromittat, & perpetuo flam̃antis olei ſqualorem emittat. Parietes picturatis obtenſi velis, vel murrhino lapide (viridi colore flaventibusq; ramulis picto) teſſellati elegantiam referunt, ſigno *mehraab* verſus Meccam notati, ne in loco tam ſacro devotioni hermes deficiat. Sepulchrum in medio ſiſtitur ligneum, vel lapideum, tribus quatuorve pedibus humo elevatum; latitudinem habens quatuor, longitudinem octo circiter pedum. Holoſerico operitur violaceo, viridi vel nigro, vel panno etiam Damaſceno, Attalico, aureo argenteove. Sæpè acceſſum ſiſtunt cancelli, quibus in quadratum cingitur, ænei vel lignei, ſingulis in angulis referentes *Kobbèh;* quod eſt ornamentum quoddam argenteum, vel vilioris æris, pomi vel cordis figuram præſentans. Sepulchro ſuperjacent al Corani aliquot exemplaria viridi holoſerico involuta: quæ in aliis ſacellis in foraminibus parietum reponuntur, vel in ſubſelliis eam in rem ordine diſpoſitis; piaculum namque eſt, ſi humum attingant. Flagrant in ſepulchro lampades plerumque argenteæ, reticulatâ ſerie deſuper pendentes; lucent eædem in ſacelli aditu, ſive veſtibulo ſepulchrali. Hoc in paucas ſæpe cameras diviſum, ſervit tum manſioni inſpectoris, *mutewellì*, tum cuſtodiæ feretri, ſarcophagi, ſuggeſtûs, haſtarum, veſtimentorum, vexillorum, aliarumque machinarum, quibus anniver-

niverſarias Imamorum *Haſeni* & *Hoſſeini* exequias celebrant, & funera pariter magnificentiùs tumulanda, ad cœmeterium deducunt. Sacellum ſæpe ambiunt ſpatioſiſſimi horti, excelſo muro limitati, quorum pomæria non raro piſcinis, ciſternis, aquæ ductibus, arboreto, areolis aliisve oblectamentis, pro ſitu loci inſtruuntur. Hæc de ſepulchris dixerim Imamidum eorum, qui apud Perſas majori in veneratione ſunt: nam & plura inveneris obſoleta & ſatis neglecta; præterquam quod *Derwiiſjis*, i. e. religioſis pauperibus, pro diverticulo & hoſpitio ſerviant, qui ea ſordibus & pediculis inquinant. Sepulchralia aliorum, cùm Sanctorum, tùm virorum illuſtrium, ad eundem fere typum ædificata ſunt, nonnunquam magnificentiùs, non raro multò obſcuriùs, pro tumulati, dum viveret, meritis, & fundatoris modulo. Omnem hanc multitudinem magnitudine & Regiâ magnificentiâ ſuperant templa illa ſepulchralia, quæ exuvias tegunt *Imami Reſà*, in urbe *Maſjhèd*, *Fatumæ*, filiæ Mahhammedis, in urbe *Kom*, & *Sjeich Sefi* in urbe *Ardebil*, vel Regum etiam Perſiæ, in prædictis locis, velut ſub Sanctorum præſidio, depoſitas: De quibus ſpeciatim referemus in Hodœporico.

Tekjeh. Quoad *Tekjeh* & *Derwiiſj*, quorum nominum mentionem fecimus. تَكْيَه *Tekjèh*, (vox requiem & locum requieſcendi ſignificat) pergula eſt ſubdialis, ſive triclinium aliquod, in amœno loco poſitum, in quo quis otii & recreationis cauſa poſſit vel ſolus, vel cum paucis aliis ſedendo, fumando, ſorbillando tempus fallere. Talia exiguo impendio ſtructa paſſim in viis & areis publicis invenies, plurima fortaſſe in gratiam religioſorum pauperum, per urbes & provincias diſcurrentium, quos vocant

Pauperes religioſi. دَرْوِيش *Derwiiſj*. Alios enim mendicos immiſericors religio non alit, quòd ex Mahhammedis effato, indigentes providentiæ committendi veniant miſericordis Dei; qui, ſi ſalu-

ſalutare fuerit, paupertatis quod impoſuit jugum, facili opere allevabit. Videri autem volunt hujus nominis mendici ſpontaneam ſubiviſſe paupertatem ex devotione. Sed affirmare auſim, plurimos ex illis ſcurras & nullius frugis eſſe, qui hanc vitæ regulam aggreſſi ſunt, alii fortunæ anguſtiâ compulſi, alii amore deſidiæ & libertatis. In plures diſtinguuntur, quàm maximè veſtitu ſaltem differentes ordines, quos ſat erit nominetenus tantùm citaſſe. *Bektaſſì;* Habitu gaudent indigeno, ſaltem mitrâ tecti laneâ, quæ plicas refert duodecim, ad exprimendum Imamorum numerum; patellam gerunt ex femore pendentem, nec ſupellectilium præterea quicquam poſſident. *Maulowì;* In veſtitu nil peregrini habent, niſi mitram quatuor conſpicuam plicis, ex faſtigio ad oram decurentibus. Calice pariter ex levi ligno vel cortice cucurbitinâ inſtructi ſunt, faſciæ femorali illigato. *Haiderì*, mitrati incedunt annoſo panno, in quinque plicas diſtincto; dorſo operti vellere ovino crudo, nondum depilato; lateri affixam quoque patinam, & manu unâ ſcipionem, alterâ cornu gerunt. His maximè infenſi ſunt, haud æquè ridiculè veſtiti *Nåàmutelaï*, ita nuncupati à Sancto quodam *Nåàmet Elahì*, cujus ſepultura colitur in *Caramaniâ.* Vatiniani cauſas odii, quod utrumque ordinem intercedit, explicandi hic locus non eſt: Referimus ſaltem, non eſſe Perſiæ inquilinum, qui alterutrius partes non eligat, quibus vel favere, vel infenſus eſſe velit. Inde omnes civitates dividuntur in duas factiones, Haiderianam videlicet & Naimutelàicam, ita ut una pars civitatis auctori *Haider*, altera τῷ *Nåàmet Elahì* nomen ſuum profiteatur; cujus ratione quotannis inter pueros & civium vulgus ludicræ ſuboriuntur diſſenſiones; factâ fortunæ vel virium ſponſione, pugnis, baculis lapidumque jactu ſe invicem laceſſentes: Sæpe velitationes illæ ſcurriles in ſerios civium, quos involvunt, congreſſus, cruentaſque

P lanie-

lanienas abeunt, quibus ad internecionem ſe mutuò diſcerperent, niſi præliantes Prætor militari manu diſturbaret. Nunquam tragœdia magis metuenda venit, quàm in feſto anniverſarii luctûs; dum enim indignantes fata Aliadum, ſuamet capita ſauciant, dolore & cruoris ſigno exacerbati, nemini parcunt, cui invident. Rex hodiernus Haiderianus eſt. *Tſjetalì*, capite pedibusque nudis incedunt, ſinu femoribusque pelle circumdati. *Medarì* aperto & intonſo, præter gentis morem, incedunt capite; capillis longis, neglectiſſimis, à tergo pendulis; clunibus operiuntur velamento in balneis uſitato, quod *Longuti* vocant. *Kaderì*, veſtitum gerunt toto corpore viridem. *Muſalì*, Arabico induuntur pallio *ſuff*, quali & *molæ*; perpetuò orant; unde etiam nomen ſortiti. *Salìk*, mendici ſunt, eodem loco permanentes. *Muchtaar*; nec hi locum mutant, nec ipſi eleemoſynas petunt, ſed *Abdalos* habent, qui emendicatam à ſe ſtipem ipſis porrigunt. Gerunt humeris *puſti neſſimì*, i. e. pellem cum omnibus appendicibus, puta auribus, caudâ, pedibus. *Myfrìtt*, ſibi ipſis mendicant; humeros tecti *puſti tſjanidì*, i. e. vellere reſciſſis ungulis & capite, collo tamen adhærente adhuc, ſed inſigni crenâ diviſo. *Abdal*; ſignificat aſſeclam, qui cum ſtipem alii petat, ipſe in vitæ ſubſidium legato gaudet eccleſiaſtico. Teſſera illi eſt *puſti wakf*, i. e. vellus beneficii ſeu legati dictum, quo à pectore ad genua usque cingitur, capite pedibusque abſciſſis. *Kaſaak* ſunt, qui in foris & publico hominum confluxu, de Sanctorum ſuorum miraculis, vivis actionibus perorant, finitoque dramate, ab auditorum coronâ obulos colligunt. Inſtructi vagantur ſinguli, vel gemini, ſecuri, lanceâ & ſcipione. Plures ſunt, ſed levioris farinæ, ſarcinis, ligulis, globorum corollis, ſtigmatibus corpori inuſtis, atque aliis notis diſtincti, ſinguli obſervantes auctoris ſui & ordinis inſtituta. Habent ſinguli ordines Præfectos invicem ſubordinatos tres, quales

les vocant *Deſtinakiib*, *Nakiib* & *Pyr*. Si quis proponere quicquam, vel Ordini ſe devovere cupit, imùm appellat Præſidem *Deſtinakiib*, hic auditô deſideriô adducit ſecundo, & is ſupremo, *Pyr* dicto, quod ſenem reverendum ſignificat.

§. III.

Collegia Scholaſtica

Templis dixeram vicina eſſe مَدْرَسه *Medreſſèh*, ſive Collegia. Materiæ affinitas vetat hæc ipſa & horum cives ita habere inſuper, ne vel tantillum de iis hîc meminerimus; ſiquidem ex notitiis Aulæ eſt, noſſe, in quæ opera potiſſimùm Rex ſtudia ſua & ærarii vires collocet. Nimirum in templis, diverſoriis, balneis, aquæ ductibus, viis publicis & pontibus magnificè condendis & inſtaurandis, ærarii partem non exiguam; majorem in fundandis gymnaſiis, artiumque liberalium cultoribus fovendis, glorioſè erogat; ita publico bono, ita ſui memoriæ apud poſthumos, majorum exemplo conſulturus. Magnates, Principis pia legentes veſtigia, quotquot vigent opibus & generoſo ſpiritu, cum in ceteris pro communi commodo monumentis publicis, tum præcipuè in palæſtris ſcientiarum condendis, aurum & operam certatim collocant. Omnes igitur collegiis & ſcholis plenæ ſunt civitates. In una Regia Iſphahanenſi, ſed ſplendidâ illâ & ingenti urbe, illuſtriora collegia, excluſis trivialibus, numeravi ultra centum; quorum plenas ingenio inſcriptiones (quæ & æram & nomen fundatoris exprimunt) Lectori ſuo loco dabimus. Hîc in compendio duo tantùm collegiorum adjuncta ſiſtimus: nimirum مُدَرِّس *Muderris*, Rectorem, & طَالِبْ عِلْمْ *Thalib ilm*, ſtudioſum.

In anteceſſum ſcire oportet, Collegia Perſarum, licet ædificii ſplendore noſtra ſuperent, ſtudiis tamen literarum, claſſium diſtinctione, Profeſſorum numero, ſtuden- *Profeſſores.*

tium aliunde confluxu & frequentiâ, minimè noſtris comparari poſſe; quin potius Contubernia, quàm Academias aut Gymnaſia appellanda eſſe. Rector ſolus totius Collegii Inſpector & Profeſſor eſt; rarò ſibi adjunctum habens doctorem unum vel alium, quo cum prælectiones dividat. Linguam Arabicam, & in eâ Gramaticam & Poëſin; tum Philoſophiam Ariſtotelis, Theologiam moralem Imamorum, quandoq; & Matheſin, idem unus docet; varietatem tot lectionum nec horarum nec auditorum viciſſitudine diſtinguens; ſed iisdem diſcipulis eodem tempore diverſiſſima, quin uno die ſeptem pluresve tradens auctores vel ſcientias. Nunc Meteorologiam orditus, mox ad Poëſin, inde ad alias diverſiſſimi generis artes & ſcientias dilabitur: ita ut nuſpiam maneat, dum ubique verſatur, & nihil capiant auditores, dum tot doctoris ſui ſcientias admirantur. Methodus ergo docendi, ut nulla eſt magiſtro, ſic nulla proficiendi diſcipulis facultas. Logicam nondum eruditi, Phyſicam audiunt; & Arithmeticæ ignaris, proponitur Euclides, Almageſtus Ptolemæi, Menelai & Theodoſii Sphærica, & ex modernis *Godſja Neſſir* Bactrianus, qui ante quatuor ſecula de Matheſi & ceteris ſcientiis Commentarios ſcripſit doctiſſimos. Ritus proponendi eſt: Periodum auctoris clarâ voce prælegit auditorum unus; Hanc Profeſſor, nihil præmeditatus, longô & inani ſermone explicat; Finitâ verò unius ſcientiæ lectione, quæ horæ medium vel quadrantem durabat, in reverentiam doctoris aſſurgunt omnes diſcipuli; ſed quos rurſum conſidere, nutu rogat præceptor, & ad alia progreditur, donec duabus transactis horis auditorium dimittat. Magno in hac gente honori ducitur docere; & in magnâ celebritate verſatur, qui frequenti auditorum coronâ cingitur. Hanc laudem multi ſic ambiunt, ut etiam clam datâ pecuniâ ſibi emercari diſcipulos ſoleant, velut eruditionis ſuæ tubicines. Solidiores ſcientias,

Studia.

tias, & quæ de pane lucrando ſunt, nemo, qui noverit, publicè inculcabit, alios ne ſibi æquales pariat; ſed eas filius à parente, aut alienus magno pretio comparare à privato doctore debet: quaſi tantùm rerum fumi & contemplationes ad gymnaſia pertineant. Hæret electio Profeſſoris, in Collegio quidem à Regibus fundato, penes Sereniſſimum & ſpiritualium Directorem *Sedr;* in aliis, penes *Sedr* & ipſos, ſi in vitis fuerint, fundatores. Salarium Rectoribus annuum eſt atque amplum; in ſcholis Regiis 100 tomanorum, in aliis paulò multòve minus, plerumque tomanorum 50; ſed quod certo certiùs quoque ſtato ſolutionis die omnibus expenditur. Utinam & noſtris in Germaniâ Profeſſoribus, tot illuſtribus luminibus, par felicitas contingat!

Studioſi, Collegiorum incolæ ſunt, velut in Contuberniis Academicis noſtris Alumni. *Alumni.* Non autem menſâ communi, ſed in vitæ ſubſidium levi fruuntur ſtipendio; in Gymnaſiis Regiis quotidie uno *Abaſſo*, i. e. argenti circiter drachmis duobus; in ceteris *Mahmudì* vel *Sjahi*, i. e. Abaſſi mediâ vel quartâ parte. Cui hic modulus pro vitâ ſuſtentandâ curtior eſt, is ſuppetias ſibi quærit aliunde. Stipendia Rector qualibet hebdomadâ prænumerando diſtribuit, anteceptâ eorum annuâ, pro univerſitate, ſummâ, à *Muteſaddi*, ſive theſaurario. Idem Rector cives Contubernio recipiendi facultatem habet, neutiquam intromiſſos excludendi, niſi ob commiſſa flagitia. Profitentem diſcipuli horas quotidie duas audire, lege collegii tenentur; reliquum tempus abſentiam indulget, & negotiis aliis vacandi licentiam. Sunt qui interea deſcribendo libros, vel domi alienæ pueros inſtruendo mercedem quærunt. Sunt, qui in palatiis divitum paraſitando ventres ſuos paſcunt, ac pro ſtoreâ, quod dicunt, & armis ſcholaſticis nummos petunt ſubſidiarios. Sunt, qui ſubſecivum tempus ſtudiis impendunt, & vel publicas lectio-

lectiones audiunt in aliis Collegiis, vel ſe privatim erudiri curant à doctiori *Molâ*. Sunt denique ignobiles & perverſi, quibus Contubernium pigritiæ aſylum eſt, in quo vitam ſine multâ curâ & labore agere & conſeneſcere cupiunt: Qui tamen in diſcrimine verſantur, ne, ſi in rigorem *Raſjis* ſive cenſorum incidant, Contubernio excludantur. Hi *Raſjis*, ſ. cenſores, à Sedro conſtituti ſunt, ut vitas Academicorum, & ſtatum cujusque Gymnaſii obſervent, deſides & diſſolutos increpent, inutilia collegii pondera & improbos eliminent, diligentes & claros ingenio laudent, imò annuis ornent beneficiis, ex reditibus bonorum, quæ vocant *wakf tſjehardeh maaſuun*, i.e. bona ſpiritualia τῶν quatuordecim ſine peccatis exiſtentiū: Per quos intelligunt duodecim *Imamos*, cum Propheta *Mahammede* & filiâ ejus *Fátima*. Nimirum legata ſunt ei ſcopo ab Evergetis piè conſecrata, ut ſublevent illos, quorum virtutibus obſtat res anguſta domi. Horum diſpenſator eſt *Sedr*, qui in præſentiâ Majeſtatis, vel ejusdem commiſſarii, & illa ſalaria, & hæc beneficia quotannis diſtribuit. Computantur annui reditus quatuordecim mille tomani, qui ex diſtrictu ſolùm Iſſahanenſi proveniunt in Scholaſticorum ſuſtentationem. Ex alumnorum numero ſolent digniſſimi ad ſummos in ſpiritualibus honores & antiſtitia emergere, velut *Kaſì*, *Sjeich el Iſlaam*, *Sedr*, *Piiſjnamaas*, aliaque; præſertim ſi favore gaudeant eorum, qui officinas fortunæ dirigunt.

Structura Academiarum. Collegiorum ſtructuram adjicio. Vix ea differt à diverſoriis, niſi quod ſtabula deficiant, & adſit puritas. Ambit illa impluvium, ſive potius aream quadratam ſpatioſam, laterculis affabrè ſtratam. Murus exterior nullibi pertuſus eſt; ſaltem latus, quod plateam reſpicit, portâ amploque veſtibuli fornice pervium eſt. Interior facies, in medio ſingulorum laterum, ſingulos oſtentat fornices, quos vocant *Eiwaan*, amplos nimirum & verſus aream paten-

patentes. Hos quæ intercedunt ſpatia, intergerinis diviſa, conſtituunt muſea, ſive dormitoria ſtudioſorum. Sunt ea ut plurimùm concamerata, tantùm camino & fumario inſtructa, nonnunquam & uno ſuper oſtium riſco, qui, clauſâ januâ, nonnihil luminis intromittit. Numerantur muſea in univerſum viginti circiter, vel triginta, quin duplo plura, ſi ædificium geminam contignationem referat. Pavimentum in aliis ſupra communem aream non attollitur, in aliis pedes aliquot elevatur, camerarum ſeriem tanto ſpatio anticipans, ut ſervire pro ambulacro poſſit. Portæ ſuperſtructa eſt ædicula Rectoris, conclavibus ad commoditatem manſionis diſtincta; nonnunquam in eâ aſſervatur bibliotheca publica, cum inſtrumentis Mathematicis. Aream ſubdialem ſæpe rivulus perfluit, in medio lacum conſtituens quadratum, incruſtatum calce, cineribus & ovino ſtercore fortiter ſubacto; (quale genus calcis aquam non permittit, ſed ab eâ pene lapideſcit; à gelu autem diſſolvitur) margo ejus cæſo lapide firmatus, ex modico intervallo, raris arboribus venuſtè circumdatur. Collegio adjacere ſolet templum Academicum, quandoq; toti ædificio ita conforme, ut claudat unam areæ faciem; quandoque extra ejus pomœria poſitum. In eâ orare ſtatis horis ſtudioſi debent, & lectiones habere publicas profeſſores. Sæpe tergum collegii excipit pomarium, interdum *Kahwàh chonèh*, ſeu popina Cofè, vel balneum publicum & ſimilia, pro uſu & fœnore Academiæ. Nec enim hæc modo, ſed & diverſoria, aquæ ductus, agros pagosq; interdum legavit dives fundator, ut ubere ſatis reditu Academiam ſuam foveret.

RELA-

RELATIO IX.

Officinæ Domus Regiæ. Officiales Aulæ minores.

Conditoria & officinæ eduliorum.

§. I.

Aulæ noſtræ moles & magnificentia amplius patebunt, ſi recenſuero Officinas, quæ vel cuſtodiendis, vel fabricandis ferviunt rebus, ad œconomiam Principis noſtri ſpectantibus; ſive illæ ad vitæ neceſſitatem faciant, ſive ad pompam & delicias. Sanè, omniũ numerus, tam earum, quæ intra Aulæ pomœria, quam quæ circa eam in urbe extant, quinquagenarium longè excedit; quas tamen ego non omnes, ſed, ne modum Relationis excedam, potiores ſaltem recitabo. Venient hôc ipſo & eorundem Præpoſiti in ſcenam, velut Officiales Regii minores, quos hactenus omiſeramus. Habent enim ſingulæ Officinæ ſuos Præfectos, pro cujusque conditione vel ſingulos, vel plures ſubalternatos; habent & calculatores, ſeu ſcribas ſuos مشرف *Muſjrif*, qui ſinguli vel unius, vel plurium ſimul officinarum conſumptiones, accepta & expenſa annotant, ſubductasque eorum rationes quolibet menſe cenſendas reddunt Superintendenti *Naſiri Defterchonèh*, qui in rei memoriam eas aſſervari curat in Camera. Penſum ordine detexturus, primo loco dabo officinas, quæ alimentis, tum cuſtodiendis, tum præparandis, dicatæ ſunt.

Penarium. حاوج خانه *Hbawiidſj chonèh*, ſeu *Penarium*; Batavis, een Bottelery; Gallis, *Garde-manger*. Hoc ex diverſis conſtat granariis, fornicibus, cellis, loculis, quibus deponuntur victualia: videlicet, farina, triticum, oryza, fabæ, cicera ac varia legumina; tum quoque oleum, ſal, caſeus, butyrum, کشک *Keſjk*, ſeu oxygala coagulata; præterea ex

exſiccati fructus, velut dactyli, uvæ paſſæ, كشمش *Kiſj-miſj*, i. e. uvæ paſſæ minores albæ, acinorum expertes, piſtacia, nuces juglandes, amygdala; ex liquoribus verò, mel دوش آب *Duuſj aab*, i. e. ſyrupus ex dactylis vel uvis coctus, & id genus alia. Duo autem ſunt hujus generis promptuaria, unum, quo annona omnis reconditur, proinde انبار *Anbaar*, i. e. 't magazyn Belgicè dictum; alterum, quod culinæ Regiæ ſuppeditat, quantum indies decoquitur, ſucceſſivè id ipſum illinc, tanquam ex promptuario vel cornu copiæ repetens; inde inſignitur appellatione جلو *Dſjelaù*, i. e. parati, videlicet in præſentem uſum. Hoc nomine etiam indigitantur miniſtri, quos paratos eſſe oportet pro comitatu Regis, quando is in publicum equitaturus eſt. Singulis officinis diſpenſator unus præpoſitus eſt, quorum ille *Hawìdſj daar baſji Anbaar*; hic, *Hawidſj daar baſjì Dſjelaù*, ab officio quisque ſuo, nuncupatur. A juſſu utriusque ſtant ترازودار *Teraſudaar*, ſeu librator unus, plures verò bajuli, operarii & famuli cuſtodes.

شربت خانه *Sjerbet choneh*, i. e. Cuſtodia *Sjerbetti*, cujus præfectus inde nuncupatur شربتدار باشي *Sjerbet-daar baſji.* Quid hoc vocabuli? Liquorem denotat potabilem, qui miſcetur ex aquâ communi, ſucco limonum & pauxillo aquæ roſarum, addendo ſacchari quantum ſatis ad Julapii gratiam. Sorbilium hujus nominis datur & aliud mucilaginoſum genus, conſiſtentiâ & colore excrementis ſive ſpermati ranarum non diſſimile, temperando calori corporis & ſiti aptiſſimum, quod fit ex ſemine utriusque herbæ *Sjerbett* (crederem ab hâc nomen mutuari) cum rufo illo, tum atro-purpureo; nonnunquam etiam

Officina Julapiorũ & conditorum.

ex ſemine Pſyllii & Nigellæ, ſuperfuſâ aquâ بيدمشك *Bidmiſk*, i.e. florum Salicis odoratæ, additoque ſacchari paululo. In aulis & caulis æquè ejus uſus eſt, & ubique in tabernis, quæ æſtate proſtant ſorbitiunculæ, eodem liquoris coagulo perfuſæ ſunt. Horum inquam materia Julapiorum in hac officina aſſervatur, recentiſſimè parandorum, cum id opus eſt, Eadem, aromata exhibet; radices etiam & fructus varios, alios ſaccharo conditos, alios aceto impoſitos, quos *atſjaar* vocant; tum & alia ad varium palatum facta ſorbilia, tam conſiſtentia, quam liquida.

Conditoriū lactis. يغورت خانه *Jughurt choneh*, ſive Conditorium lactis. *Jughurt* Turcis ſignificat lac coagulatum dulce, Perſis ماست *Maaſt*, Indis Batavis Tayer dictum. Affertur cum flore lactis ex proximis pagis, ſervitque partim culinæ, partim brutis alendis, quæ in areâ ejus officinæ degunt; velut pavonibus, meleagridibus, & آهو *ahuu*, i.e. cervulis cum cornibus nigris, non ramoſis, longis, & ad cochlearum ſimilitudinem contortis.

Panarium. چورك خانه *Tſjurek choneh*, i. e. Panarium. In eo ſervatur, & pinſitur etiam panis triticeus, lacte dulci ſubactus. Materiam quamque ſuam ſubminiſtrant prædictæ officinæ.

Olerum fructuumque cuſtodia. ميوه خانه *Meiwah choneh*, vel Turcice يمش خانه *Jemiſj choneh*, i. e. domus fructuum; cujus præfecto *Jemitſji baſjì* id negotii datum eſt, ut olera fructusque pro culinâ Regiâ comparet ſervetque. Ex provinciis variis ea gratis mittuntur à Gubernatoribus, velut annonæ decima: partim etiam pecuniâ emuntur indies, foro venum à ruſticis illata.

شیره خانه *Sjireh choneh*, ſeu Cella vinaria; quæ non *Cella vina-*
modo vino, (præſertim Georgiano & Sjiraſenſi, menſæ *ria.*
Regiæ uſitatoribus) ſed & variis ſpiritibus referta eſt. Quando religioſè in Aula vivitur, deſpici ac claudi contingit hoc immundi liquoris promptuarium. Pincerna & præfectus eſt, quem vocant *Sjiratſjì baſjì.*

آبدار خانه *Abdaar choneh*, ſive Aquarum cuſtodia. *Hydrophy-*
Servatur hîc aqua potabilis, amphoris fictilibus obſignata. *lacium.*
Ubi bibenda à Majeſtate poſcitur, probè ſigillum examinat pocillator *Abdaar baſjì*, reſeratamque poſt uſum, iterum ſigillo firmat, ne toxico poſſit temerari. Cuſtodia niſi viro probatæ fidei committitur.

قهوه خانه *Kahwah choneh*; Domus à baccis Koffè *Officina de-*
(rectiùs dixeris *Kahwàh*) appellationem ducens; Has *coctionis*
etenim hîc ſervat, & recentiſſimè toſtas, pro conclavi Re- *Coffè.*
gio, quotidie decoquit officinæ magiſter *Kahwatſji baſji*. Fructus & decocti uſus ſatis apud nos innotuit, non æquè ipſa planta: quæ nullibi terrarum, quàm circa *Mocham* Arabiæ felicis colitur; unde, quos obtineo Ramuli, longi, tenues, badii coloris, atque omnes fructu ſupra fidem gravidi ſunt; Foliis conjunctim decorati Laurinis, mucrone longiori: quorum in ſinu Pediculis breviſſimis reſident Baccæ, calyculorum exſortes, ſemper geminæ, furvâ, membranulâ obductæ, ſi extricentur bifidæ.

Laniena, quam Turcicè قنّات *Kanaat*, Perſicè سلاّخ *Laniena.*
خانه *Sellah choneh*, item قصّاب خانه *Kaſſaab choneh* vocant. Præfectus in ea eſt lanionum primarius, *Kaſſaab baſjì.*

Gallinarium, Perſicè مرغ خانه *Murch choneh*, Tur- *Gallinariũ.*
cicè طوق خانه *Towuuk choneh*, in quo aluntur, & quoti-

die mactantur gallinæ & quævis plumoſa, coquinæ ſacrata. Inſpectorem appellant *Towuuktſjì baſjì.*

Coquina. *Coquina* مطبخ *Muttbach*, vel آشپاز خانه *Aſjapàs choneh.* Directorem hîc agit primus *Aſjapas*, ſive coquus, qui materiam dapum ex penariis repetit; ordinem & numerum injungente توشمال *Tuſjmaal* ſ. dapifero, utpote inſpectore rei culinariæ.

Pharmacopœia. *Pharmacopœia* عطار خانه *Atthaar choneh*, in quâ medicamenta, & præſertim variæ virtutis opiata, pro Majeſtate & aulicis præparantur à Pharmacopœo Regio, ſub directione Archiatri.

Officina pro decoctis medicatis. پرهيز خانه *Perrhii ſaneh;* Officina, in quâ pro ægrotis parantur Julapia & decocta varia, ex hordeo, oryzâ & herbis medicatis, prout idem præſcripſerit Medicus.

§ II.

Cuſtodiæ ſupellectilium. Supellectilibus cuſtodiendis, ac rebus, quarum domi ac foris uſus eſt, deſtinatæ ſunt domus ſequentes:

Xylotheca. هيمه خانه *Himeh choneh*, Turcicè عودون خانه *Uduun choneh*, i. e. Cuſtodia lignorum, cremiorum & combuſtilium; cujus primarium curatorem vocant اودوندار باشي *Uduundaar baſjì*, vel *Uduuntſjì baſjì.* Non hîc, quemadmodum in Germaniâ, fiſſos arborum truncos invenies; cara materia lignum eſt, & bilance venditur: nec videas ignem niſi fuſtibus foveri iis, quos terga aſinina & camelina, ex teſquis editorum montium deferunt. Vulgi focus ſtercore jumentorum, ericâ & fruticeſcentibus herbis fumat, quas ex deſertis petunt.

Cuſtodia facum. مشعل خانه *Meſjaal choneh*, Cuſtodia facum. Hæ faces non ex cera vel pice factæ, ſed clathra ſunt ænea, ſcipioni

pioni infixa, quibus immittuntur oleo imbuta linteola. Ipſas machinas cum fomento lucis aſſervari hîc, & paratas eſſe curat officinæ Inſpector, مشعلدار باشي *Meſjaal-daar baſji;* qui & ipſe Regi, noctu equitanti, primus facem præfert auream.

Repoſitorium lampadum & candelarū.

چراغ خانه *Tſjiraach choneh;* Repoſitorium lampadum, quæ vel oleo, vel ſebo foventur. In eodem candelabra, emunctoria, cerei, & omnis ad lucem neceſſarius apparatus conſervatur, ſub inſpectione چراغ چي باشي *Tſjiraachtſjì baſjì.*

Repoſitoriū mapparum.

سفره خانه *Sofrah choneh;* Domus, quâ ſervantur mappæ, mantilia, & linteamenta cœnaculi. Curator is eſt, qui & Regii triclinii ſtructor سفرهچي باشي *Sofrahtſjì baſjì.*

Cuſtodia vaſorum pro cœnaculo.

چين خانه *Tſjiin choneh,* vel اياق خانه *Ajaakh choneh,* i. e. Domus vaſorum murrhinorum, ſive porcellani. Verùm non ejus luti ſolùm, ſed & aurea argenteaque vaſa hîc cuſtodiuntur, lavantur, poliuntur. Ferunt, paropſides illas, quæ ex pretioſo metallo conſtant, valere decem aureorum milliones. Plures hic conſtituti ſunt miniſtri; qui quod dapes cœnaculo inferant, *Ajaaktſji* Turcicè, *Tſjimikeſj* Perſicè, i. e. portitores porcelini, ſive celeres, Germanicè Laqueyen appellantur. Inſpector domûs vocatur *Ajaaktſjì baſjì,* i. e. Capitaneus peditum.

Domus ſtratorum.

فراش خانه *Ferraaſj choneh;* Domus ſtratorum. Hæc magni apparatûs, & amplæ ſtructuræ eſt, in quâ non modo, pro ſternendis pavimentis, varii pretii & magnitudinis aulæa, diſtinctis ſervantur conclavibus, (his enim ſtragulis ſuperbiunt palatia Perſarum, quia ſubſelliis, men-

ſis, imaginibus non datur locus) ſed & omnia tentoria, cum fulcris ſuis funibusque, & quicquid ad campeſtrem hoſpitationem ſpectare poteſt. Præpoſitus vocatur *Ferraaſj baſjì*, cujus ampla eſt & præclaræ dignitatis functio. Habet præterea inſpectionem eorum, qui Regium veſtitum lavant; qui labor his regionibus viris incumbit.

Cuſtodia veſtimentorum.

كپچاچي خانه *Kiptſjatſjì choneh;* Domus veſtimentorum. Cuſtodiuntur in eâ veſtes quas Rex diſtribuendas deſtinavit pro muneribus. Præfectus ab eâ nomen habet *Kiptſjaktſjì baſjì.*

Veſtitûs Regii cuſtodia.

عقيب خانه *Akiib choneh;* Domus cuſtodiendis dicata veſtibus Regiis, quibus ipſe Sereniſſimus induitur. Cuſtos eſt *Mehtèr*, ſeu primus à cubiculo.

Cuſtodia ciſtarum vectilium.

كجوه خانه *Kadſjuwah choneh;* Domus, in quâ repoſitæ ſunt ciſtæ penſiles, quibus recluſæ vehuntur ex tergis camelorum fœminæ Principis noſtri. Adminiſtrator ab officio nomen habet.

Domus ephippiorũ.

زين خانه *Siin choneh*, & سراجي خانه *Serradſjì choneh*, i. e. Ephippiorum & ephippiariorum domus; quâ rei equeſtris inſtrumenta ſervantur, ac conficiuntur etiam. Præpoſitus ab ephippiis nomen habet *Sindaar baſjì.*

Armamentarium.

جبه خانه *Dſjebbeh choneh*, i.e. Armamentarium, quod & كار خانه *Kaar choneh*, ſeu domus utenſilium vocatur; ſiquidem in eâ non modò apparatus militares, videlicet ſclopeta, acinaces, loricæ, ſariſſæ, haſtæ, ſed & varia utenſilia, velut ſpecula, imagines, tubi optici, & paris conditionis alia; nec minùs, quæ ab exteris Principibus dono mittuntur, curioſa variæ inventionis opera, reponuntur. Eſt officina hæc una ex ampliſſimis & primariis;

riis; cujus præfectus, جبهدار باشي *Dſjebehdaar baſſi*, magnæ dignitatis officio fungitur. Ejus directioni parent plurimi چلانگران *Tſjelaangeraan*, id eſt, fabri Vulcano operantes; videlicet کارد گران *Kaard geraan*, ſeu fabri cultrarii, پیکان سازان *Peikaan ſaſaan*, ſeu poliones, بروت سازان *Baruud ſaſaan*, ſeu molitores pulveris nitrati, حقّار *Hackaar*, i. e. cælatores, آتش باز *Ateſj baas*, ſeu pyrobolorum artifices, & id genus metallarii plures, facientes ſuæ artis opera in ſingulis quique officinis.

توب خانه *Tuub choneh*, ſeu Domus tormentorum bellicorum, quorum præfectus & ſupremus magiſter eſt *Topſji baſſi*; curam quoque & cuſtodiam gerens inſtrumentorum & materiarum omnium, quæ ad uſum machinarum iſtarum pertinent. *Domus curulium machinarum.*

كتاب خانه *Kitaab choneh*, Bibliotheca; in quâ libros, non ordine & in aſſeribus repoſitos, ſed ſcriniis incluſos (ajunt novies vel decies mille) ſervat *Kitabdaar*, ſeu Bibliothecarius. Ei auſcultant صحافان *Shahafaan*, bibliopegi جدول كشان *Dſjedwel Keſjaan*, delineatores, & كاتبان *Katibaan*, librorum deſcriptores, quos Copiiſtas vocamus. *Bibliotheca*

خزانه *Chaſaaneh*, Gazophylacium; in quo non modò Majeſtatis pecunia deponitur, verùm etiam cimelia ac pretioſa quævis obſerata cuſtodiuntur à *Chaſanadaar baſſi*, ſeu theſaurario Regis. Ei adſiſtit صراف باشي *Saraaf baſſi*, i. e. ſupremus æris probator, qui nummos recipi- *Gazophylacium.*

cipiendos penſat & examinat, de bonitate fidejuſſor futurus; à ſingulis nummorum millenis in ærarium deponendis, certam pro cautione & labore portionem retinens.

Officinæ mechanicæ

§. III.

Opificibus opera mechanica pro Regiâ domo facientibus patent Officinæ plures, ex quibus potiſſimas hîc nominabo:

Textrina.

سبارباف خانه *Sjaarbaaf choneh;* Textrinæ variæ, in quibus panni ſericei, aurei argenteique texuntur. Præfectus eſt ملك التجار *Melìk Tudſjaar*, quod Principem mercatorum ſonat. Hic typum injungit, materiam cedit, & abſolutas operas in cuſtodiam recipit. Ejusdem inſpectioni commiſſæ ſunt & ceteræ officinæ, quibus indumenta corporis elaborantur: ut ſunt

Officina fullonum.

حلاجي خانه *Hhalladſjì choneh;* Officina, in quâ malleis tunduntur panni goſſypini, pro ſubdumentis veſtium, ut ſic à ſordibus purgentur, & mollitiem induant.

Domus ſartorum.

خياط خانه *Cheijaat choneh;* Domus ſartorum, qui thoraces & talares tunicas faciunt, tum pro cultu Regii corporis, tum eas, quibus honoris causâ à Majeſtate donantur hoſpites Regii. Dirigit officinam, artis magiſter استاد كار *Oſtaed Kaar*, pannos cedit inſpector *Melik tudſjaar;* quos priùs cenſet *Naſirius*, imò ipſe ſeligit Princeps, ſiquidem pro Regio corpore aptandi fuerint.

Officina pro conſuendis tibialibus.

چاك ثوردوز خانه *Tſjaak tſuurduus choneh;* Officina eorum, qui conſuunt tibialia. Ex laneo fiunt panno Europæo, qualem elaborare neſciunt in totâ Aſiâ.

Sutrina.

كفش دوز خانه *Kefs duus choneh;* Sutrina, calceamentis variis pro Rege & domeſticis ejus conſuendis dicata.

طالهدوز

طلهدوز خانه *Thalahduus choneh;* Domus acupictorum, qui Phrygio artificio venuſtiſſima opera faciunt. *Domus acupictorum.*

پوستندوز خانه *Puuſtenduus choneh;* Officina pellionum, in quâ elaborantur ſpolia ferarum; ſed ea ſaltem, quibus Religio veſtire corpus permittit. Harum inquam officinarum omnium curator eſt, quem dixi, Princeps mercatorum. *Officina pellionum.*

زرگر خانه *Serger choneh;* Officinæ auri & argentifabrorum, in quibus operas dirigit excellentior artis magiſter *Serger baſſì.* Huic parent artis encauſticæ magiſtri مینا کار *Minakaar*, Gallicè, *esmailleurs* dicti. Sunt, præter indigenas, encauſtæ, automatarii & gemmarii ſeptem Franci, quos ex Galliâ allexit Regis Abaſſi II. Comitas; ſed qui ſubalternum non ferunt Dominum, niſi *Naſirum.* In *Sjulfa* ſuburbio habitant, vitam ibidem in rerum affluxu viventes otioſam & ſplendidam; nam & *Dſjere* fruuntur, i. e. victualibus pro familiæ ſuſtentatione, & amplo præterea ſalario; unus quadraginta, alii triginta tomanorum; etſi Regiorum operum rariores ſint, ſui verò lucri & fortunæ fabri diligentiſſimi. *Officina aurifabrorũ.*

مسگر خانه *Miſger choneh;* Domus ærariorum, in quâ varia ducuntur vaſa cuprea. Sanè, callent illi artifices hâc regione omnia aurifabrorum opera exprimere; variis utentes incudibus, malleis & inſtrumentis, in Europæorum officinis nusquam viſis. *Officina ærifabrorum.*

ضرّاب خانه *Sarraab choneh;* Monetariorum domus, cudendis nummis dicata. Opus dirigit ſupremus monetarius *Sarrabì baſſì.* Ei à latere eſt معیار باشی *Maäjaar baſſì*, ſeu probator æris, qui metallum ingne purgat usque, donec typo aptari poſſit. *Officina monetariorum.*

Officina pictorum.

نقاش خانه *Nakkaaſj choneh;* Officina pictorum, cui præeſt ſupremus pictor, *Nakkaaſj baſjì.*

Fabrica.

نجار خانه *Nedſjaar choneh;* Fabrica, cujus director architectus eſt. Hîc varia fabricantur ex ligno utenſilia & opera mechanica.

Officinas pyrotechnicas, ſtannarias, tornatorum, vitriariorum, fabrorum ferrariorum & obſcuriores alias, quibus variâ manu & arte tractantur metalla ignobiliora, ſtudioſè omitto.

Theriotrophia &c.

§. IV.

Sequuntur, quæ vel maximè luxus excogitavit, theatrum Muſicum & theriotrophia quædam.

Theatrum muſicum.

(Figuram vide ſuo loco)

نقاره خانه *Nagaraan choneh ;* quod Tympanorum domum ſonat. Pergula eſt præalta & longa, ad ſeptentrionalem fori maximi faciem, non procul à Regio Palatio fabricata; ex quâ in honorem Majeſtatis quotidie cum occaſu ſolis, & duabus horis ante ortum, varia, inq; terris noſtris ignota buccinarum & tympanorum genera incondito ſtrepitu reſonant. Præterea in auſpiciis novilunii & feſtis religioſis, tum etiam in conviviis Regiis ſine intermiſſione inſtrumentis plauditur, donec feſtivitas terminaverit. Adſunt tympaniſtæ, tubicines, cymbaliſtæ, numero quadraginta, qui ſtipendia ſua recipiunt ex cenſu

قوال *Khawaal.* Hoc vocabulum ſignificat voluptuarium genus hominum, veluti ſcorta, choraulas & quoſcunque facientes quæſtum in lupanariis; iniquum enim reputant, ſi ejus generis reditus in ſeria collocentur. Chorum hunc, cum in Aulis Aſiaticis, tum in ſingulis Perſiæ civitatibus primus inſtituiſſe dicitur *Tamerlanes*, hodiernæ Monarchiæ Perſarum, ac magni Mogolis conditor. Collegii inſpectionem habet *Meſjeldaar baſjì.*

استابل *Iſtabul*, ſeu طويله *Tawilèh*, Equile, cui præeſt مهتر باشي *Mehter baſſi*, i. e. equorum tractator, ſub inſpectione ſupremi ſtabulorum Magiſtri *Mirachuur baſji.* Non eodem ſtabulo omnes equi, ſed pluribus aluntur, pro coloris & pretii varietate diſcreti. Equiſonum turba eis famulatur; majori enim cura & ſervitio, quàm ſub noſtro cœlo tractantur: ſcalpuntur, pectuntur & lavantur indies; crura foventur calidâ; pabulum non niſi ſtatis præbetur horis, & doſi exactiſſimâ; pedes expanduntur reſtibus, & corporis deformatio arte corrigitur; decor in aliis fuco augetur, ventrem, caudam ac jubam pingendo. Vernis menſibus herbâ Meliloti laxantis repurgantur, datâ in paſtum diebus quatuordecim vel viginti; & quis omnia narraverit? Paſcuntur alii paſſim in convallibus Regni quaſi ſylveſtres, quorum pulli magnis agminibus huc quotannis mittuntur coërcendi. *Equilia.*

شير خانه *Sjiir choneh;* Leonum domus, in quâ non leones modò, ſed & tygrides, pardi, lynces atque ſimiles aluntur belluæ ferocis naturæ. *Clauſtrum leonum.*

فيل خانه *Fiil choneh;* Domus, in qua ſtabulantnr elephanti: quibus belluis, æquè Perſica ac Indorum Aulæ in ſolemnibus pompis ſuis ſuperbiunt. Ibidem Rhinocerotes, aſini ſtriati ex Abyſſinâ, & alia quædam bruta mitioris ingenii aluntur, majorem partem peregrina, & ex indigenis maximè rara. Curatorem vocant فيلبان باشي *Fiilbaan baſſi.* *Stabulum elephantorum.*

سكبان خانه *Sekbaan choneh;* Domus, quâ retinentur ſagaces & venatici, pariter moloſſi & ferociores canes, quorum lanienæ damnari quoque ſolent homines malefici & mortis rei. Curam gerit *Sekbaan baſſi.* *Domus canum.*

Aviarium. طاوس خانه *Tawuus choneh;* Pavonum domus. Ornithotrophium eſt ſanè Regio nomine digniſſimum; non tantùm ſoſpitandis ſerviens pavonibus, ſed & meleagridibus, onocrotalis, pſittacis, *catſjuwariis*, *meinais*, & variis ignotæ ſtirpis alitibus, quarum nomina in Latio deficiunt. Habes hîc volucres pinnatas æquè ac pennatas; vides pumilas, grandes & mediocres; audis garrulas & canoras; admiraris deformes alias, alias inimitabili naturæ picturâ ad ſtuporem decoratas rariſſimasque, quas & fervens Zodiacus, & uterque Polus ſuo ambitu produxerint. Aream ejus deſuper & à lateribus claudit rete ferreum, ſummas quoque arbores (Pampinos, Populos, Moros) involvens, ut aviculis liberior ſit, velut in nemore, volatus, carcerem vix ſentientibus in tanto ſpatio. Ex quadrupedibus pariter nonnulla hîc certis retinaculis foventur, velut civettæ, caſtor, hyæna Plinii, ſimiæ & ſciuri rariores.

Falconum domus. كش خانه *Kuſj choneh,* Ornithotrophium ſignificat. Verùm falconibus tantùm patet alendis & erudiendis, quos generis vocabulo ob nobilitatem appellare amant. Palatio quam vivario ſimilior domus eſt, in ſpatioſo ac ſplendidiſſimo horto conſita. Præfectus idem eſt, qui & rei venaticæ.

Prætermitto habitacula ſtruthiocamelorum, cervarum & aliorum quorundam animalium, quæ paſſim in hortis Regiis aluntur, non tanti æſtimata, ut peculiari hoſpitio donarentur, vel cuſtode alio, quam loci hortulano.

Supplementum Relationis.

§ V.

Manſionibus & officinis adnumerabimus انبارِ غلمان *Anbaarik golohmaan;* Hoſpitium mancipiorum. In eo pueri Georgiani & aliunde recepta mancipia (ſed candida ſaltem) legendo ſcribendoque erudiuntur & educantur,

Hoſpitium mancipiorum alborum.

tur, ut ſervire Majeſtati poſſint, in Aulâ vel officinis alii, alii militiæ. Illorum *Naſirus*, horum curator eſt *Kuler agaſi.*

Annumeramus etiam دفتر خانه بيوتات *Defter choneh biotaat*, i. e. Cameram diſpenſationum & rationum; in quâ Regia ſupellex & omnia in prædictis officinis contenta Inventariis conſignat Camerarius *Defterdaar biotaat.* Idem rationes menſtruas ab officinarum ſcribis exhibitas in codices ſuos redigit, & inter expenſa aulica tranſcribit; ſed illas acri priùs cenſorum trutinâ perpenſas, deinde & ſigillo Superintendentis *Naſiri* approbatas. Cenſura hæc potiſſimùm conſumptiones reſpicit, utrum illæ concordent cum recepto eſculentorum pretio, quod ſtatuit ſingulis menſibus, & per caduceatorem publicari in foro curat محتسب الممالك *Mihteſib el memalìk.* *Camera conſumptionum.*

Pro colophone ſciendum eſt, neceſſaria pro officinis enumeratis parato ære haud omnia comparari. Nam res culinæ ex annonâ ſuâ quolibet menſe inſtaurare debent Provinciæ, partem etiam materiæ mechanicæ ſuppeditare Dominia Majeſtatis; quin & munera à Satrapis ultro citroque miſſa ejus conditionis ſunt pleraque, ut deſtinari pro officinis ſoleant. Verùm, quantus omnium ille apparatus ſit, Univerſitatis tamen neceſſitati adeo non ſufficit, ne pro ſupplendo defectu, præſertim in Pomonam & Cererem, facienda ſubinde ſint impendia. Ea propter ſingulis fere quadrimeſtribus Diſpenſatores officinarum ex ærario Regio certam pecuniæ ſummam recipiunt, à *Naſiro* pro cujusque officinæ neceſſitate ordinatam; Cujus deinde expenſa, ſecundum taxationem à *Mihteſib el memalìk* promulgatam, in rationes referunt, Naſiro reddendas. Penſiones annuæ, quibus gaudent Directores, ſecundum præfecturæ gravitatem & dignitatem differunt. *Materia pro officinis unde paretur?* *Penſiones officialium.*

Quibus تحويل دار *Tahwiil daar*, ſeu ut aliter vocatur صاحب جمه *Saheb dſjemmeh*, i. e. liberi directoris & diſpenſatoris facultas collata eſt, (quales plerique titulo decorantur Turcico *Baſjì*, i. e. Capitis vel Capitanei) viginti tomani, triginta aliis, aliis quadraginta tributi ſunt. Magiſtro autem obſcurioris officinæ (quales ſunt پيش خدمت *piſjchedmèt*, i. e. prior ſervus, vel ſenior opifex) decem, quindecimve tomani perſolvuntur. Salario ſingulorum accedit liberi commeatûs & cremii beneficium, quod aliis quotidie, aliis qualibet ſeptimanâ, annuatim aliis, diſtribuitur.

RELATIO X.

Provinciarum Urbiumque Præpoſiti.

§. I.

Directores Provinciarum.

Hactenus Aulæ membra atque proxima organa dedimus, quibus Regni anima Majeſtas, principes in politico ſuo corpore functiones peragit; nunc remotiora nominabimus, quibus illæ fiunt in partibus ſingulis, nimirum in Provinciis & Civitatibus. Rectores Provinciarum, ſive Satrapæ, pro magnitudine & genio terræ, cui ſinguli præficiuntur, ſubalternatæ ſunt dignitatis, adeoque nominibus à ſe invicem diſtincti; vocantur autem *Begler begì*, *Walì*, *Chaan*, *Sulthaan* & *Waſiir*; quibus addere licet, quamvis propriè civium officiales ſint, *Daroga* & *Kalantèr*: quia his ipſis præter civicam functionem, non rarò committuntur quoque rectiones territoriorum minimorum.

Perſiæ diviſio.

Præſciendum eſt, ايران *Iruun*, ſeu Imperium Perſiæ univerſum à Rege Abaſſo magno diviſum eſſe in quinque par-

partes; quarum vocavit (1) *Auſtraliorem* فارس *Faars*, i.e. Perſidem, ſive *Perſiam* ſtrictè dictam, quæ terminatur ad Sinum Perſicum; Hæc diſtincta eſt in Provincias viginti. Singularum nomina recitare nil juvat: Dabimus ea cum deſcriptionibus ſuis in Hodœporico. Sufficit in compendio ſcire, primariam in eâ eſſe, quæ à metropoli شيراز *Sjiraas* nomen ſortita eſt. (2) *Orientalem* خراسان *Choraaſaan*, i. e. *Choraſmiam*, quæ in Indiam porrigitur, & diviſa eſt in Provincias quadraginta; quarum caput eſt مشهد *Meſſhed* civitas, cum Provinciâ ita dictâ, ad quam etiam ſpectant tres aliæ. (3) *Occidentalem* آذربايجان *Aaſerbajedſjaan*, quæ Mediam auſtralem & Armeniæ partem continet, & reſpicit fines Turcicos. Abſolvitur Provinciis quinque ſupra quinquaginta, quarum princeps habetur, quæ ab emporio تبريز *Tabriis*, ſeu *Ecbatanâ*, nomen duxit; nam Provincias inſuper novem ambitu ditionis ſuæ complectitur. (4) *Septentrionalem* گيلان *Gilaan*, i. e. *Hyrcanicam*, quæ finitur mari Caſpio. Continet Provincias viginti & unam, quarum metropolis, & ab eâ ſic nuncupata Provincia, eſt استراباد *Aſterabaad*, cui & gemina alia ſubjicitur. Et (5) *Mediam* inter has, عراق *Eiraak* i.e. *Parthiam*; hujus & totius Regni metropolis eſt اصفهان *Iſphahaan*, ſeu Hecatompolis, ad quam ſpectant Provinciæ quatuor aliæ.

His tot Provinciis præfecit Rex Archiſatrapas viginti quinque, quos decoravit ſingulos titulo *Beglerbegì*, i. e. Domini Dominorum; nam iisdem & ceteri parent Provinciarum Regionumque Rectores, videlicet *Chani*, *Sul-*

Directorũ diſtinctio in Beglerbegis, Chanos, Sulthanos, &c.

thani

thani & cujusvis nominis Præpoſiti: *Vaſiros* excipio, qui quod Regiis dominiis præſint, Majeſtatis etiam juſſa immediatè reſpiciunt. Verùm Archiſatraparum tantus ille numerus hodie defecit, quòd ex terris, quæ Dominis Dominorum antea parebant, plurimæ in Dominia converſæ ſint. De ſingulis nunc dicam fuſiùs, ſub propriis titulis.

Chaan. خان *Chaan* auguſtum nomen eſt, Regum Tartariæ appellativum. Hoc in Usbecorum contemptum arrogantia Perſarum adoptavit in titulum Satraparum ſuorum, quo Regis ſui, velut Principis multorum Principum, oſtentarent magnitudinem: dum iidem Scythæ, obſervato talionis jure, non dubitant Gubernatores reciprocè ſuos appellare *Sjah*, vocabulo Regibus Perſarum ita proprio, ut quondam Pharaonis & Ptolemæi nomen erat Æpyptiæ Majeſtati. Aulam Chanus alit Regis ſui lineamentis omnino æmulam. Paris hîc officii miniſtri ſunt; ſatellitibus domus latusque ſtipatur; equitat, non niſi nobilium turbâ ſociatus; feſtiva convivia publicè magno faſtu celebrat; tympaniſtarum verò & tubicinum matutino & veſpertino fremitu (hæc Regiæ magnificentiæ nota eſt, à Tamerlane induсta) aulam urbemque perſonare, audias quotidie. In ſubditos quoque arbitrariam exercet abſoluti Principis Jurisdiсtionem, à quâ provocatio ad Aulicum tribunal ordinariè non datur. Admodum igitur Majeſtatis umbrâ ſuperbiens, Reguloque ſimilis, nullos mortalium timet, niſi fortunæ ſuæ fontem, cœlum Jovemque aulicum: Sicut enim ex levi ſæpe nobili, ſervo, ſcorto vel mancipio Principis, præter meritum eveсtus ad antiſtitii faſtigium fuerat, ita ſæpe præter opinionem contingit, ut repentino fulmine rurſus dejiciatur; non tam inſolentiâ ſua & illatâ aliis injuriâ concitato, quàm calumniis aliorum, quos ei ſors in perniciem dederat. Fortunæ enim ſuæ hîc tantò quisque incertior vivit,

vit, quantò vivit ab Aulâ remotior; nec inde quisquam diſcedit magnâ ornatus ſpartâ in Provinciam, niſi majori cumulatus invidiâ eorum, qui eosdem honores pro ſe vel pro aliis ambiverant. Cui quidem malo non aliud ſecuritatis remedium adhibere diſceſſurus poteſt, quàm ut invidos ſibi proceres Aulicos largis muneribus pronos reſtituat, vel iisdem Patronos opponat pari arte quæſitos graviores, quorum auctoritate adverſus malevolorum conatus ſeſe tueatur. Reditibus Provinciarum Satrapa quisque tanquam propriis fruitur; eos in miniſtros, milites, convivia, luxum & propria commoda expendens. Onera quibus præſtandis obligatur, ſi cum emolumentis conferuntur, exigua dicenda ſunt; & in eo conſiſtunt: ut (1) militem Regni vel alat in provinciæ ſuæ viſceribus, vel extra provinciam ſtipendio ſuſtentet; (2) ut ex annonâ ſuæ terræ levia quædam culinæ Regiæ mittat ſubſidia, ſi præfectus minoris provinciæ fuerit; ſin verò majoris, integro menſe eandem ſuſtentet, cibi materiam, (oves, legumina, fructus) quando ad illum ordo devolvitur, ſubminiſtrando; (3) ut ſtrenam determinati pretii vertente anno mittat Majeſtati, partim in ære; partim in rebus, vel arte factis, ut ſunt aulæa, ſtoreæ, vaſa, texturæ; vel crudis, ut ſericum, goſſypium, lana; partim in animalibus, velut equis, camelis, mulis, falconibus, mancipiis; aut in rebus quibuscunque aliis, pro qualitate & opulentiâ ſuæ, quam regit, Provinciæ. Pro his muneribus (quæ *barchoneh* vocant, quia jumentis deferuntur) loco remunerationis à Sereniſſimo remittitur, veſtis honoraria *Galaat* (plerumque plus minus 12 tomanorum pretii) veluti Regium vernantis Gratiæ documentum; quod Satrapis conſtat multis ceremoniarum ſolennibus, præſertim pompoſâ Nuntii introductione, convivio publico, ac muneribus pretioſis, quibus ipſe oblator magnificè cumulandus eſt. Annui cujusque Provinciæ reditus, rudi calculo ſupputati, exhibere dicuntur

tur ſummam 7000 vel 8000 tomanorum: quam verò, uti magnitudo & bonitas terræ variat, ita eandem Rectorum quoq; avaritia augere & continentia moderari ſolet. Plerique *Chani* functionis ſuæ vicarium habent, qui juſſorum executiones, & minoris momenti cauſas curat, tum abſentis quoque vicibus perfungitur; à vulgô *Janidſin* vocatur, quaſi ejusdem loco exiſtens, ab aliis *Najib*; conſtituitur ab ipſo *Chano*, annuente Directore Regni. Quantuscunque ſit Satrapæ locum tenens, *Sulthano* tamen dignitate inferior eſt. Pro anguſtia vel amplitudine Provinciarum, *Chani* alii ſunt minores, qui minorem regionem magnifico Satrapæ, ſeu *Chani*, titulo dirigunt, plerumque ſub Archiſatrapæ, ſeu majoris *Chani*, præſidio: alii magni, quales ſunt majoris Provinciæ Rectores, immediatè parentes Sereniſſimo; alii ter maximi, quales ſingulari gaudent titulo

Beglerbegì. بگلربگی *Beglerbegì*, quod Dominum dominorum ſignificat: ob amplitudinem enim Provinciæ, cui præſident, ſubordinatos habent *Chanos* minores, ac *Sulthanos*, velut remotiorum territoriorum urbiumque Rectores. Tanta hæc eſt dignitatis ſpartâ, ut eâ ornati, ſeſſum in triclinio Regio occupent inter *Naſirum* & *Miriſjikaar baſjì*; vel in latere oppoſito inter *Tofenkſji agaſì* & *Divaanbegì*. Sunt hodie ejus characteris in Perſiâ non amplius ſequentes: in tractu *Faars*: *Beglerbegì Luriſtaan*, *Arabiſtaan*, *Kurdeſtaan* & *Siſtaan*; in tractu *Chorasaan*: *Beglerbegì Meſjhed*, *Heraat*, *Choraſaan* & *Kandahaar*; in tractu *Gilaan*: *Beglerbegì Aſterabaad*; in tractu *Adſerbajedſjaan*: *Beglerbegì Tabriſì*, *Irvaan*, *Dageſtaan*, *Adſerbajedſjaan*, *Karabach*, *Gurdſiſtaan*, *Sjirwaan*; in tractu *Eiraak*: *Beglerbegì Kugilaan* & *Hamidaan*. Ex his Dominis dominorum, honore & generis antiquitate præeminent:

Waalì. والی *Waalì*, ſeu Reguli, duntaxat tres, velut *Waalì* *Gurd-*

Gurdſiſtaan, *Waalì Arabiſtaan*, & *Waalì Luriſtaan*; quibus honoris gratiâ adnumeratur *Waalì Dageſtaan*. Sunt illi ex Regiâ ſtirpe orti, ejusdem cui præſunt regionis, ſibi olim hæreditariæ, nunc in Provinciæ Perſicæ formam redactæ. Rectores igitur ſuos dictæ regiones à victore accipiunt, neutiquam tamen alios admittentes, niſi ex eô ſanguine, cui majores ſui paruerunt; in ceteris Regis Perſiæ dominatum neutiquam detrectant. Non ita pridem Luriſtanos Rex tentavit, miſſo extraneo, qui illis nomine *Chani* imperaret. Verùm indignatus injuriam populus, obtruſum Rectorem contumelioſè habuit, mox eò impatientiæ prolapſus, ut eundem, uxorem & liberos, præter camiſiam nudos, atque omni ſupellectili ſpoliatos finibus ſuis expulerit.

سلطان *Sulthaan*, eſt gubernator territorii (ac in eo, ſi quæ ſitæ ſunt, urbium) ob anguſtiam, majoris tituli præfectum non ferentis. Vox *Sulthaan* Turcica eſt, ſummum notans Imperatorem; quam Perſæ, in Turcorum contemptum, minoris notæ gubernatoribus tribuunt. Domum habet miniſtrorum frequentiâ, proprioque milite inſtructam, & pro redituum modulo Aulæ ſpeciem referentem. Ex *Sulthanis* pauci immediatè Regi, plurimi *Chanis* ſubſunt majoribus, quibus honorem & obſequia præſtant; rerum gerendarum, ſi quæ graviores fuerint, conſilia ab his petunt, iisdem geſtarum notitiam reddunt, eâdem obſervantiæ ratione, quam ipſi *Chani* præſtant primo Regni Directori *Athemaadauletho*. Onus *Sulthanis* etiam incumbit mittendi Sereniſſimo munus annuum, ac ſuum quoque erogandi ſymbolum pro ſuſtentando Regni milite. *Sulthaan.*

وزير *Vaſiri* (alii *Veſiir*, *Waſiir* vel *Weſiir* pronunciant) vocantur Gubernatores Dominiorum & Provinciarum earum, quarum reditus ſacrati ſunt in Aulæ mili- *Waſiir*,

tisque Regii ſuſtentationem. Vis vocabuli autem notat eum, cui incumbit onus negotii alicujus; unde ſecundarios in quovis officio vel dignitate, *Vaſiros* quoque appellant. Dicuntur etiam آصف *Aſef*, graviori quidem titulo, quia Vicario Regis olim Salomonis hoc ajunt proprium fuiſſe nomen. Veriùs tamen ab Hebræorum אָסַף i. e. *collegit*, deducta vox eſt, propriè collectorem ſignificans, videlicet in loco, qui eſt خاصه *Chaſèh*, ſive Regis proprius. Munus *Vaſiri* eſt, ut regiminis politici clavum in ſuâ Provinciâ, diſtrictu, urbe ad exemplum *Chani* dirigat, ſimulac exactam teneat rationem adminiſtrationemque annuorum redituum, Regis ærario ad aſſem inferendorum, retentâ ſaltem parte, quanta pro penſione ipſi determinata eſt; non exiguâ quidem illâ, quòd ex eâ etiam quotannis ſtrenam reddere Summo Principi teneatur, non contemnendam. Domi Ceres frugalior, & ſatellitii exigua pompa eſt, quia non ſibi quæſtor, ſed alii metit: pro modulo tamen, qui ex *Vaſiris* magnifici genii eſt, Chani æmulari luxum non ceſſabit. Sæpe Rex Chano defuncto *Vaſirum* ſubſtituit, quò ejus emolumenta in proprium convertat commodum. Celebris illa ac ingens Provincia *Sjiraas*, (ut plures taceam minores) non ita pridem *Chano*, nunc etiam Regio paret œconomo *Aſef*. Eandem ſortem plures incurrerent, niſi minùs Regium duceretur, ærario quàm honori Principis conſuluiſſe. Subſtitutionem iſtam pleonexiâ ductus, primus introduxit, *Sjah Sephì*.

Rectores urbium,

§ II.

Urbium caput idem eſt, qui provinciæ, ſive regionis, gubernator, *Chaan*, *Waſiir*, vel *Sulthaan*; ſive is in eâ, ſeu alibi reſideat. Eum excipit, qui in urbe maximæ dignitatis, & ſemper præſens eſt:

داروغه

داروغه *Daroga*. Is regimen civium non admodum curans, inſolentias tantùm cohibet, delinquentes mulctat & punit, pro arbitrio ſuo. Iſphahani hæc ſparta ab Abaſſo M. hæreditaria data eſt ſubjugatæ ſtirpi Principum Georgianorum; verùm eâ lege, ut Mahhammedanam fidem profiteatur, quisquis eam ambiverit. Quandoque *Daroga*, qui hujus civitatis judex eſt, ſolet alius quoque territorii *Chaan*, ſeu Gubernator eſſe, ſatis eſt abſentem in eo res ſuas curare per ſuum *Janidſin*. Longè enim ex civitate abeſſe ob incidentes turbas non audet. Nec rarò in *Kaſubtſjèh*, ſeu vico, ipſe *Daroga* politici quoque regiminis primas eſt, ſub eodem nomine. *Daroga* parentem habet *Prætor.*

احداث *Achdaats*, excubitorum & cuſtodiæ magiſtrum; qui cum apparitoribus ſuis nocturno tempore per plateas diſcurrit, ut graſſatores furesque irretiat, & in cuſtodiam abducat. *Præfectus cuſtodiæ.*

کوتوال *Kutuwàl*, Præfectus Caſtelli eſt, *Chano* parens; Is in majoribus urbium fortalitiis munere deficientis *Darogæ* fungitur: veluti *Hormuſii*, *Kandahari*, *Laræ* atque alibi; ibidem *Achdaci* officium gerens. Cum lictoribus noctu per plateas divagatur, ut inſolentiarum patratores abducat in vincula, pro delicti qualitate à ſeſe mulctandos. *Caſtellanus*

کلانتر *Kalanter*. Vox hæc ſignificat *majorem*, ſcilicet civitatis. Præfectus enim eſt, civitati datus, ut pro ſalute civium vigilet. Syndicum poſſes, vel Proconſulem, nominare. Is jura & cauſas civium defendit in judiciis, & ne ultra vires & æquitatem à Gubernatore graventur, impunè obſtat. Servitia forenſia, quæ vocant, & onera quævis, tum conſueta, tum extra ordinem civibus impoſita, pro facultate ſingulorum diſtribuit; curat cenſuum & redituum publicorum collectionem, & ſimilia. Quandoque *Syndicus.*

non uno tota civitas, ſed partes ejus ſingulæ ſingulis gaudent *majoribus*. In ſuburbiis pariter & vicis paganis *Kalentari* præfecturas habent. *Kalentaro* ſubordinantur

Vicorum præfecti.

كَدْخُداحي *Kedchudahi*, i. e. Vicorum præfecti, Belgicè **wykmeesters**/ qui id præſtant ſingulis vicis præſidiô ſuô, quod *Kalenter* univerſæ civitati: Nimirum diſtribuunt inter cives onera pro virium proportione, cenſus colligunt, & cetera juſſa *Majoris* ſui, (quisque in plateâ ſuâ) ritè exequuntur.

قَاضِي *Kaſi*, ſeu judex, in civitatibus plerisq; datur, qui civitatis controverſias ex jure ſpirituali dirimit; de quo Rel. VIII. prolixè dixi. In civitatibus inveneris quoque

Æſtimator.

مُحْتَسِب *Mihtaſib*, ſeu cenſorem eduliorum, lancium, menſurarum. Is hebdomadibus ſingulis pretia rerum in foro proſtantium determinat, aggravat, imminuit, pro annonæ & temporum conditione; mutata verò, ne quem lateant, per præconem publicari curat. Falſariorum pœna eſt, ut oneroſo capitis operculo ducantur per plateas, præcedentibus tympaniſtis, qui puerorum turbam ſonitu concitent. Operculum, quod *Tachteh Kulà* vocant, mitra eſt cuprea, ampla & profunda adeo, ut caput humerosque operiat, utrinque à lictoribus in æquilibro tenenda, in orâ ſeriem exhibens tintinabulorum, & unam caudam vulpinam.

De Prælatis Sacerdotii, templorum, collegiorum ac ſepulchralium hîc nihil refero. Ex ſuperioribus liquent.

Pagorum præpoſiti.

Pagorum directiones habent, ut majorum *Kelentari*, ita minorum *Kedchudahi*, qui nonnunquam honoris causâ ſalutantur titulo رَايِس *Rajiis*, i. e. Regentis.

Ne quis officialium recenſionem noſtram effugiat, ſubjicimus hîc

مهادار

راهداری *Rahdari*, Inſpectores ſive cuſtodes viarum. Hos pro ſecuritate peregrinantium Rex *Abas I.* inſtituit, ut in montanis viarum anguſtiis, quas occupare prædones amant, vel evitare fugitivi non poſſunt, ſeduli excubarent; inde noctu emiſſis per devia exploratoribus inſidiarum aperirent cuniculos, & nihil operæ parcerent, quò intra definitos ſibi limites tutæ eſſent viæ publicæ à ſicario & prædone. Stipendii quo gauderent ſubſidio, permiſit pro equite & jumentis aliquid obulorum poſtulare; quod ſucceſſu temporis aggraveſcens, vectigalis acquiſivit titulum, in gratiam locupletandi Regis ærarii. Idem verò vectigal, poſtquam annuatim certo pretio locari ipſis ſuevit cuſtodibus, viris vulgaribus & militaris vitæ, vices optimi inſtituti ita verterunt, ut quod ad commercii florem & viatoris commodum ſpectabat, in utriusque degeneraverit detrimentum. Nam qui antea peregrinantium patroni erant, nunc quaſi ipſi prædones facti, ſupellectilem mercesque, tanquam ex naufragio appulſas, invadunt, perquirunt avaris manibus, ac cenſurâ mulctant iniquiſſimâ, nummos ab imperito vectore minis, convitiis & verberibus extorquentes. Ceterùm adhuc primævâ ſtringuntur lege, ut tutas præſtent vias publicas, & peregrinantium jumenta, merces, ſupellectilia, ſive errore nocturno amiſſa, ſive à prædonibus erepta, quærant, donec reperta reddere ſuo poſſeſſori poſſint, ſecus eidem amiſſæ rei pretium reſtituant; Eâ interim gaudentes conditione, ut reddendi, quod reperiverant ſpolii, tertiam ſibi partem vindicent. Certo Inſpectores inſtructi ſunt vigilum numero, pro loci ſitu & neceſſitate, quorum armatâ ope muneris ſui partes exſequuntur. *Publicani.*

RELA-

RELATIO XI.

Attributa Aulæ potiora.

Lingua.

§. I.

De Aulæ linguâ, moribus & religione, ut cetera adjuncta taceam, ſcribendi ſylva fuerit; ſed quoniam carceres calamo Relationis lex ſtatuit, de ſingulis hîc pauca ſaltem & potiſſima ſubjungam.

Lingua Aulæ Turcica eſt, nimirum ſtirpi Regiæ vernacula, atque alia quam nationis; Quandoquidem *Iſmaël Sephi*, cum ſceptra capeſſeret, ſodalitio Turcicæ gentis ſuæ ſtipatus, loqui eam non deſiit. Ex Aulâ mox ad præſtantiores Perſarum familias, atque omnium deinde domus, qui ex auguſto fonte felicitates præſtolabantur, ita dimanavit, ut pene nunc turpe ſit in Perſiâ viro alicujus nominis ignorare Turcicam. Eſt hæc, ex orientalibus, linguarum omnium facillima, quia vocabulorum flexionibus & grammaticis loquendi regulis haud multùm gravatur, & terminis rerum artificialium ac ſcientiarum deſtituta eſt, & valde ſterilis: Verùm, quod gravitate oris, & ipſius quoque orationis Majeſtate quadam ſuperbiat, Regio omnino digna palatio æſtimata fuit. Haud ita ſuaviter ſonat Perſica, ſed difficillima eſt, ingenii plena, & dives vocabulorum; eâ quippe gaudens felicitate, ut Arabicis ſupplere, cum idiomatis inſigni decore, poſſit, ſi quid in exprimendis rebus ſibi deficiat: unde, in deſcribendis artibus, ac de re quâvis eleganter & philoſophicè diſſerendi, aptiſſima eſt. Meruit ejus dives elegantia, ut in Curiâ quoque magni Mogolis vigeat, Perſiæ quamvis infeſtiſſimâ. In Arabiæ Indiæque Aulis ad Gangem usque, quin in ipſa Sïamenſi inveni, cum quibus Perſicè mihi loqui & res meas exponere licuit. Ita ab exteris diligitur, quæ in ipſâ patriâ ſordet magnatibus.

خطّ *Chetti*, vel *Scriptura* Perſis eadem eſt, quæ Turcis Arabibusque, quin Hindoſtanæ quoque, tum Javæ Summatræque Inſulis cum religione induɛta eſt, ut eâdem patrios quoque ſermones exarare doceant; levis ſaltem differentia obtinet in collocatione punɛtorum, pro exprimendo ſono vocum quarundam. Varietates in litterarum duɛtibus non paucæ ſunt; omnes tamen ex duobus quaſi ſcripturæ generibus oriundæ, nimirum ثلث *Tſults*, & نستعليق *Neſtaäliik*; illo, quod plenis ereɛtisque charaɛteribus pingitur; hôc quod manu fluidâ & magis compendioſè. In illâ claſſe primas tenet نسخ *Nesk*, quæ Arabum propria eſt, charaɛteres perfeɛtos referens, additis etiam, in rebus alicujus momenti, punɛtis, ſive vocalibus: hâc ſcribi debet, & à noſtratibus excuditur *al Coraan*, eò quòd leɛtu ſit omnium facillima & clariſſima. Succedunt ياقوت *Jakuut* & ريحان *Rihaan*, ſed quæ tum à prædiɛtâ, tum inter ſeſe, pene ſolâ differunt charaɛterum elegantiâ & curioſâ parvitate. *Neſtaäliik*, vel potius ejus ſpecies communiſſima تعليق *Taäliek*, in civili uſu obtinet. Hæc omnium vocalium impedimenta repudiat, & articulatos quoque litterarum angulos inſuper habet, ſoli attenta ſcriptionis celeritati & compendio. Ab eâ non multum diſcrepat شكسته *Sjikeſteh*, nec ab hâc سياق *Sijaak*, niſi volantis temperamento arundinis, quæ plures ſæpe litteras diſparium virgularum compendio inſinuat, proinde in re ipſâ non ſatis verſato leɛtu eſt difficilima. Uſus ejusdem eſt in Judiciis, Camerisque computorum, quod ad celeriter ſcribendum ſit commodiſſima; unde vulgò appellatur *Divanì*, ſive forenſis. Plures ex hâc claſſe ludentis calami ſpecies

cies ab otioſis fictæ ſunt ſcribis, quas, quòd minus in uſu ſint, omittimus. Mixta ex utroque genere videtur ſcriptura كتّبه *Kettibèh*, quæ litteras vocesque ſubtus & ſupra fovet, & legentis oculos requirit doctos & utrobique attentos. Locus ei eſt ſaltem in monetis & operum publicorum frontiſpiciis pro Inſcriptionibus. Ad neutrum refertur ſcriptura كوفي *Kufii*, ſive quadrata, quæ ab *Aali* inventa, & modernorum Mahhammedanæ religionis Perſarum prima & antiquiſſima eſſe perhibetur. Eam niſi in antiquis turribus, & priorum ſeculorum ruderibus invenio, quod dudum ejus uſus exoleverit. Scriptura *Gabrorum*, ſive gentilium Perſarum, aulæ ignota, quamquam vernacula, nec hujus loci eſt.

Mores.

§. II.

Mores aulicorum ut compendio perſtringam, noſtratium eas perſimiles ajo, ita tamen, ut indolem ſuæ nationis retineant. Hæc ſanè (indoles) modeſta eſt & manſueta, longèque Turcorum genio ſedatior, in quo primævus Tartarorum ſanguis feritatis ſuæ ſervat veſtigia. Verùm, quod in Perſianis vituperes & caveas maximè, Theoninam voco invidiam, quam melle adulationis & byſſini ſermonis lenocinio artificioſè condunt, diſſimulandi pariter & fallendi doctiores, quàm vel Turcorum, vel ulla gens mortalium. Acerbiſſimè oderunt honorum, quos ipſimet ambiunt, competitores; nec aliorum, ſi per ſe ſteterit, fortunæ parcituri, niſi ab iisdem graviſſimis muneribus devincti fuerint. Vindictæ modum non tenent; lapſu atque deplorabili miſeriâ inimici ſatiatus oſor, ſanguinem præterea ſitit, haud priùs livorem exterſurus animo, quàm ad incitas redactum, & exſtirpatum viderit; irâ ſanè humanæ mentis deteſtandâ, & ferociori leonis, qui & vitæ parcit ſuccumbentis hoſtis, & ſubmiſſione ejus

ejus, quem devicerat, generoſè acquieſcit. In voluptates immoderatè effuſi ſunt; corporis ſaginam, delicias fœmineas, & nequiſſimam libidinis varietatem ad ſenium usque ſectantes. Magnificentiam omnem maximè reponunt in veſtitu, equis generoſis eleganter phaleratis, & in ſervorum multitudine. Aurum ſummoperè ſitiunt; Fruſtra fueris, ſi quicquam ex gratuito amici favore ſperaveris, aut in cauſâ etiam juſtiſſimâ absque largitionibus in curiâ impetratum laboraveris. Maximè colunt, ſubmiſſèque venerantur eos, à quibus lucra expectant; tum quos plenilunio vident gaudere Regii favoris: quicquid his contigerit fortunæ & dignitatis ex Gratiâ ſummi Principis, id eorum virtutibus, id meritis deberi jactitant, artis & naturæ perfectiſſima eos exemplaria vocant, & multis elogiis certatim celebrant. At vice fortunæ verſâ, omnis in tantum evaneſcit labaſcentis exiſtimatio, ne vereatur eundem turpiſſimis nominibus, (canis, cornigeri, leonis,) conviciari is ipſe, qui ejus curâ & pane enutritus eſt. Quo ipſo inducor, ut Turcorum indolem grati animi notâ Perſis meis plurimùm anteponam. *Abneri* ſunt, mihi crede, Aulæ ac cœli hujus magnates, & maximè tibi cavendi, cum amiciſſimè fidem promittunt, imò per Imamos jurant; usque adeo fucata eſt omnis in hâc Aulâ civilitas, amicitia, fides, gratia.

§. III.

Religio.

Religionem Aula cum populo communem habet Mahhammedanam eam, quam vocant *Sjiaì*, vel, ut vulgo pronunciant, *Sjijâì*. Hanc Regiæ ſtirpis fundator *Iſmael*, proſcriptâ Turcorum Sectâ سنّي *Sonnì*, Regno fecit familiarem, acceptam à Patre ſuo *Haidare;* qui eandem à majoribus ſuis, Sjeichis ſeu theologis celeberrimis, ex Mahhammedis ſanguine ortis, ſibi quaſi hæreditate traditam, vitæ exemplo & indefeſſâ doctrinâ, Medorum & Perſarum animis ingere-

gerere, jam pridem, nec infeliciter, laboraverat. Secta hæc الشيعه *Sjiai* dicitur, quaſi veſtigiis Prophetæ inhærens. Arabes eam vocant اثنى عشر *Iſn Aſſjèr*, i. e. duodecim Imamorum, quod eorum veſtigia ſectari quàm maximè ſtudeant. Perſarum Manuſcripta eam ex M. Abaſſi inſtituto appellant *Dſjaferì*, ab ejus nominis Imamo. De inductione hujus Sectæ & ab Iſmaële facta Perſarum converſione, ita lepidè ſcribunt: Remiſerat inter arma ſtudium & propagatio dogmatis patrii, cum illud ſubditis ingerere Rex, ad otium pacis reverſus, animum intendit. *Sonnì* autem (quod vocabulum derivant Perſæ à *Sonnèt*, i. e. oratione ſuperflua, à Mahhammede haud imperatâ) in quatuor Sectas à famoſis Interpretibus, quorum ſingulæ nomen referunt, diſtracta fuerat; videlicet حنبلي *Hhanbalì*, cujus ſunt Turci, Arabes, Tartari Crimmenſes, plerique Usbecenſes, & diverſi alii; الشافعي *Sjafàì*, cujus hodie ſunt Javani, ac ceteri nigritæ Inſulares Indiæ; مالكي *Malikì*, cujus ſunt Africani, & حنيفه *Hhaniſì*, cujus eſt Orengſeef, ſive magnus Mogol, cum parte ſubditorum, & nonnullis Usbeciæ populis. Hhanniſitas Rex inveniebat ſubditos; in auſtrali Perſide etiam Sjafaïtas. Quorum ille tum diſcrepantes à ſuis opiniones ſubditorum animis expungere proponens, Molas, ſive Sacerdotes totius Regni arceſſivit, ut quot Doctores *Sjiaïtæ* ſupereſſent, inquireret. Inveniſſe autem paucos admodum dicitur; qui ab *Hhanniſitis* multitudine convicti, opinioni ſuæ facilè renunciarunt. Tandem Mola nullius nominis, pauper & pro fanatico à ceteris habitus, atrium diſputandi quoq; animo ingreditur; qui, cùm calceos foris, pro nationis more, non reliquiſſet, ſed ſub ulnis aſportaſſet in Concilium, ab Hhanniſitarum coronâ, eum protinus expellendum ratâ, penè exploſus fuit,

dum:

dum: *Vides,* ajunt, *Sereniſſime, ſtultum eum eſſe?* A Rege ergò quæſitus; *cur id faceret?* reſpondit: *Propterea, Rex, id facio, quia Mahhammed monuit, cavendum nobis eſſe ab Hanniſitis; quòd fures ſint, calceosque rapiant.* Quibus dictis, acriùs ridens turba Hanniſitarum, quærit: *Amabo, ubi tum erant Hanniſitæ? utpote, qui quingentis annis poſt Mahhammedem orti ſunt!* Tum ille: *Bene, dixiſtis; nam dum Mahhammede vivente adhuc pura eſſet lex noſtra, & neutiquam adulterata, qualem ego colo Sjiaiticam, ubi eratis vos Hhanniſitæ?* Quo argumento ab ipſis adverſariis ſuppeditato, cùm argutè convicti eſſent, à Rege, concilii Præſide, & in paternum dogma prono, hanc quoque Religionem juſſi ſunt inpoſterum colere, atque publicè docere. Admiratione dignum eſt, reſtitutionem legis Mahhammedanæ in hemiſphærio Aſiæ eodem tempore factam fuiſſe, quo vindicavit B. Lutherus religionem Chriſtianam à ſtatutis Papalibus. Nec in extimo Oriente tum defuit Gentiliſmo innovatio; quaſi aſtra & cœli influxus ad ſchiſmata mortales inclinaverint.

Perſarum in Turcas odium religioſum.

Ut eſt leve inter *Sonnitas* & *Sjiaïtas* fidei diſcrimen: ita odium prægrande eſt & implacabile. Certè illos Perſæ Omerianâ maledictione indies, etiam in precibus publicis execrantur, conſtanter credentes, tantam fidei Turcicæ perverſitatem eſſe, ut cum ceteræ infidelium animæ non ante tempus extremi judicii damnentur, interea *dèr alem erva*, i. e. in animarum mundo retentæ; Sonnitarum ſeu Turcorum animæ, eo quo exſpirant momento, plumbi inſtar ad Tartara, velut per aquam ad centrum ſuum, maledictæ demergantur. Narrant jocoſè: ſi caro Perſæ ac Turci in eâdem ollâ ſimùl coquatur, frigeſcente juſculo, pinguedinem ad ultimum à ſe invicem diſceſſuram. Maxima eorum lis verſatur in quæſtione: *Omerone* an *Mortuſæ Aali* poſt Mahhammedem in *Caliphatu* (ita vocant Pontificatum ſuum) jus ſucceſſionis convenerit?

 nerit?

nerit ? Stant Perſæ pro *Aali:* qui tamen dira ab Omerianis paſſus, ad Principatum Religionis difficulter eluctatus eſt. Pro rei illuſtratione ſciendum eſt, *Mahhammedem*, cum ope *Sergii*, Monachi Græci, *al Coranum*, i. e. Biblia aniliter, ſed inimitabili ſtyli Arabici elegantiâ compoſuiſſet, & ex Camelario fieret Propheta, inter alios adhærentes ſibi inveniſſe tres viros potentiores, nimirum *Abubekerum*, *Oſmannum* & *Omerum;* prioris ille filiam, *Cadiſjè* appellatam, præter octo alias, uxorem duxerat. Socer genero morienti præſens, in Caliphatum per nefas irrepſit; mortuo jam *Abdulla*, filio Mahhammedis, ante pubertatem; alioqui futuro ſucceſſore, ſi fuiſſet in vitis. *Abubekerum* excepit *Oſman* admodum ſenex; quo defuncto pulpitum vi occupavit pelagus maledictionum *Omer;* cùm ſucceſſio *Mortuſæ Aali*, velut cognato & genero primi Pontificis, tum jure ſanguinis, tum ſoceri voluntate debebatur. Unde *Omer* pro ſtabiliendo ſibi Caliphatu exſtirpandam Aaliticam progeniem armis adortus eſt, in eos ſimul omnes ſæviter graſſatus, qui partibus & opinionibus Aaliticis adhærebant; donec perſecutor nefarius à molitore quodam, dum rogatu ejus, ad benedicendum molendino, manum rotæ imponeret, ſoluto repagulo, raptu machinæ fraudulenter extinctus fuit: magno Aalitarum gaudio, qui occiſoris facinus anniverſario feſto celebrant; Turcorum verò atque omninm eorum luctu, qui Omero nomen profeſſi ſunt. Ab ejus nece primus Imaam, ſive legitimus ſucceſſor Aali, Arabum auxilio, ſummas tandem in Religione obtinuit, factus Sjiaïticæ Sectæ anteſignanus, & nationis Perſicæ Patronus adorabilis, cujus nomen ſuſpirant perpetuò, ſive equum conſcendant Perſæ, ſive quicquam operis ſuſcipiant. Imamum عَلِي *Aali*, in catalogo Pontificum ſequitur uterque filius حَسَن *Haſèn*, & حُسَيْن *Hoſſein;* hos rectâ lineâ deſcendentes Imami

mi reliqui novem; ex quibus præ ceteris colitur à Sjiaï-tis *Imaam* ordine ſextus جعفر *Dſjafèr*, cujus librum in tanto habent pretio, ut eum oraculo comparare, & de rebus futuris dubiisque in eo ſciſcitari non dubitent; textum pro effato habentes, quem fortuitò inveniunt: Inde & nomine جعفري *Dſjaferì*, i. e. *Dſjaferiani* appellari ſolent.

Alterum, quod acerbè mordet Perſianos, eſt caſtigata ab Omero carnalis concupiſcentia. *Aali* enim præter quatuor *Nekah*, ſeu uxores deſponſatas, Muſulmanno ſuo innumeras, pro cujusque deſiderio & facultatibus, permittebat *Kaniſe*, i. e. ancillas, ad concubitum emptas; quas inſuper & *Amutha*, ſeu conductitias ad placitum tempus alere, integrum eſſe atque liberum voluit. Hanc Omerianus rigor libertatem ita reſtrinxit, ut ſequiori thoro non ampliùs duas permitteret *Kaniſes*, *Amuthas* autem penitus interdiceret. Iniquitatem Omerianæ legis ſic demonſtrant Sjiaïtæ: *Titio* non ſuppetit facultas ducendi uxorem legitimam, nec pecunia emendi corporis ancillam, ergone paucos, quos habet, obulos carni impendere conductitiæ audeat, vel prorſus abſtineat, contra legem naturæ? Plauſibile vides argumentum! Ceteras controverſias ſuo loco dabimus. Illæ autem leves ſunt, ut plurimæ ex prædictis fluentes, vel in odio fundatæ politico.

Perſarum averſa magis eſt à Chriſtianis quàm Turcorum Religio, licet utraque maximum inter Prophetas Chriſtum eſſe, ſi Mahhammedem excipias, pariter fateatur; illi dona ſtyli & eloquentiæ, huic mirabiliter medendi divinitus data credens; ex puriſſimâ verò natum virgine, *Molæ* ſeu Theologi ſtatuant; Etiam *al Coranus* Jeſum prædicet Dei Apoſtolum, Dei verbum, à Deo Mariæ immiſſum, Dei ſpiritu confirmatum, *Surata de mulieribus*, item *de vaccâ*; & Chriſtianos, ſi rectè agant, in die Judi- *Perſæ averſantur Chriſtianos.*

cii

cii ſalvari doceat, idem auctor *Corani Surata de vaccâ*, & connubia proinde Muſulmannorum cum fœminis Chriſtianis permittat, *capite de menſâ*. His tamen nihil attentis, illi cum Chriſtianis, quin cum cujusvis ſectæ cultoribus, accumbere refugiunt, manum illico lavantes, ſi fortè eorum veſtes contrectaverint, velut à re immundâ polluti. Cum enim ſibi lex ſacra haberi res decem immundas velit (quas vocant نجاسات عشره *Nedſjaſaat Aſjereh*, ut ſunt: *urina, ſtercus, ſperma, ſanguis, cadaver, vinum, ſpiritus, ſus, canis*, & *infidelis*) has omnes compendio, ajunt, reperiri in Chriſtiano, veluti & ipſo infideli, & à nulla impuritatum abſtinente. Turcis ut nefas eſt ratiocinari de Religione, ita idem permiſſum eſt Perſianis; qui diſputandi cum Chriſtianis mirâ prurientes libidine, omnium primò ac frequentiſſimè impugnant incarnationem Filii Deitatis, & Chriſtum Dei filium eſſe cum ceteris Mahhammedanis negant; perſuaſi, hôc in puncto Chriſtianos inextricabilibus conſtringi vinculis abſurditatum. Ut innoteſcat Lectori, quomodo illi, & quibus freti argumentis militent, inſeram, quid mihi evenerit in coronâ nobilium Curiæ Larenſis. Solverat Sjiraſenſe vinum archiatri linguam, ut me provocaret in aciem diſputandi de hoc articulo, indignante licet, & torvum vidente Principe, cui aſſidebam. *Tune*, infit, *Frengi*, (ſic omnis nos Chriſtianos compellat Aſia ad Gangem usque) *Chriſtum Dei filium eſſe ſtatuis?* Affirmo. Tum ille: *Convincam te*, inquit, *omnibus audientibus, & ad abſurditatis ſcopulum allidam, nullo negotio. Deum*, pergit, *Ens perfectum, ſimplex & incompoſitum eſſe fateris?* Affirmo. *Ergo*, inquit, *vides ſole meridiano clariùs, Deum non poſſe generare filium, ſed blaſphemos eſſe Chriſtianos, qui ſic Deum imperfectionis arguunt; quia in Ens ſimplex & perfectiſſimum non cadit generatio, corruptio, vel ulla mutatio.* Silebant interea cete-

ceteri, & ſuſpenſis expectabant auribus nodi plusquam Gordiani ſolutionem; Eſt enim Perſarum gravis hæc in conviviis & colloquiis modeſtia, ut taciti ſedeant, nec interloquendo unquam verba alterius intercipiant. Sanè animum eo tempore non ſatis præſentem habens ad inopinatam de re tanti momenti objectionem, extimui; quippe haud ſatis conſcius, quid, in cauſâ tam arduâ, reſponderem ei, qui forum revelationis & fidei Chriſtianæ exciperet. Ex iisdem igitur, ex quibus me oppugnaverat fontibus, arma animumque defendendi, neſcio, quo vigore recolligens, de attributis Divinis quæro reciprocè: *Tune præterea credis, Deum eſſe Ens infinitum? ſcis adeoque, eſſe incomprehenſibile? credis etiam eſſe omnipotens?* Affirmavit omnia. *Ergone,* pergo, *tu negares, incomprehenſibilem & omnipotentem Deum, poſſe etiam facere res homini incomprehenſibiles?* Auditorio ita placuit reſponſio, ut vix finito ſermone meo Princeps, & ad ejus exemplum totus Conſeſſus, manibus colliſis, *Barik allàh!* (hic applaudentium vox & ritus eſt,) iterato exclamaverit, & duello, provocantis cum pudore, finem impoſuerit. Nihil porrò ſceleſtius eſt inter Perſas, quàm quòd ex Chriſtianis Armenis (quibus regio abundat) Neoſjiaïtæ facti, vindicare ſibi rigore Legis debeant, ſuum patrimonium, (cui tamen renunciare oportet defectores in Turciâ) & omnia ſimul bona familiæ ſuæ, usque ad ſeptuageſimam ſecundam generationem. Infinitæ hinc trahuntur lites in judiciis, ſed inanes ferè; quoniam tenore ejusdem Legis etiam probare actor conſanguinitatis gradus debet teſtibus omnino quinquaginta; talibus verò, qui nunquam mentiti, & in mendacio deprehenſi ſunt. Quam verò rariſſimarum hôc cœlo avium catervam, cùm accuſanti difficile ſit ſiſtere; Judex inſuper (præſertim primo Perſarum mobili i. e. ære corruptus) iniquiſſimæ oppreſſioni propitias non præſtet manus, mirum non eſt, ſi plerumque apo-

ſtatæ ſpe irritâ jubentur foro excedere, à conſanguineis & judicio illuſi. Armenorum ditioribus conſuetudo eſt, hæredes ſuos, ne poſthumi litigiis deplumentur, præſervare ingenioſâ illuſione iniquiſſimæ Legis. Nimirum levi pretio, v. g. groſſis aliquot, omnes ſuas facultates, ſaltem factâ earum generali deſignatione, ex compacto vendunt, vel potiùs quaſi vendunt, alicui Perſæ Mahhammedano; ea deſuper cedente inſtrumentum Judice, illuſionis bene conſcio. Paulo poſt, bona eadem filiis, alioqui hæredibus, vendit reciprocè momentarius poſſeſſor, venditionemque novam, à Muſulmanno factam, rurſus idem Judex alio confirmat inſtrumento. Empta igitur à Mahhammedano cùm vindicare tertius non poſſit, mortuo patre, ad prædam, ſi accurrat ignarus transactionis defector, inſtrumenti hujus pondere, velut baculo canis eſuriens, importunè abigitur.

Peregrinationes religioſæ tres:

1. Meccam Arabiæ, pro feſto ſacrificii.

Peregrinationes Sjiaïtæ meritorias (**Wallfarten**) inſtituunt potiſſimùm tres; geminam ex devotione liberâ, tertiam ex obligatione Legis Mahhammedanæ. Princeps harum poſtrema eſt, quæ ad urbem Arabiæ *Meccam* ſuſcipitur, ad celebrandum ter maximum ſacrificii anniverſarii feſtum in honorem Patriarchæ Abrahami; qui pro filio Iſmaële (non Iſaaco) camelum (non arietem) Deo immolaverit. Locus facti ſacrificii templum refert, quod primitùs Abrahami memoriæ exſtructum; ab Ethnicis deinde ſacratum idolo Jovis Ammonis; hôc verò à Mahhammede exturbato, memoriæ ſacrificii *Kalil Alla*, i. e. collocuti cum Deo, (ita patriarcham vocant) reſtitutum fuit. Hanc Mahhammed peregrinationem fidelibus imperavit omnibus, ſemel in vitâ ſuſcipiendam; nullis exemptis, niſi quibus curta rerum poſſeſſio itineris faciendi expenſa, vel familiæ relinquendam unius anni alimoniam non præſtat. A ſacrificio reduces ſingularis reverentiæ titulo حاجي *Hadſji* ſalutantur; inpoſterum albâ faſciâ puri-

rita-

ritatis indice mitrati, ſique res illorum permittat, paris coloris pallio veſtiti. Adeſſe peregrinantes Meccæ oportet die decimâ Menſis *Sul hadſjèh;* poſtridie qui comparuerit, fortè in itinere retardatus, poſt feſtum venire dicitur, obligatione ſuâ neutiquam abſolvendus, niſi poſthac redeat ad ſacrificii ſpectaculum, irritis hâc vice itineris labore & expenſis. Legi etiam putantur morem gerere, qui ad Meccenſe feſtum (quod ſaltem in ſolenni ambitu, & lanienâ cameli conſiſtit) mittunt ſuo nomine alium. Si quis haud expletâ lege diem ſuum obeat, *Caſi*, i. e. Judex ſpiritualis, ex bonis relictis præcipit hæredibus & creditoribus, quantum ſufficit ad conducendum nuncium, qui pro defuncto ſatisfaciat. Veniunt in Perſiam quotannis Arabes pauperes, qui legationis munus à divitibus petunt, certâ mercede conducendi. Non poſſunt autem ſinguli, niſi pro ſingulis vadere; quibus reduces perſoluti officii teſtimonium Meccâ deferunt, in animam conductoris directum. Qui pro ſuomet merito ſemel profectus eſt, ei, ſi denuo adire placeat, integrum eſt, peregrinationem priorem vendere alii, cui eodem proficiſci volupe non eſt. Perſæ proficiſcentes *Sjafaïtas* ſe falſò profitentur; Hôc nomine tuti redeunt, alioqui à Turcis vitæ luituri diſcrimen, ſi ſe *Sjiaïtas* faterentur. Finitô ſacrificiô, & abſolutâ hôc ipſo obligatione Legis, receptum uſu Turcis atque Perſis eſt, *Medinam* quoque pergere, advidendum ſepulcrum *Mahhammedis.* Iter ſi camelis fiat, undecim dierum eſt; atque in libero cujusque arbitrio poſitum, ſive eodem velit pergere, vel lares repetere; quòd ſepulcro non conſpecto, nihilominus tamen *Hadſjì* redeant.

Præterea *Sjiaïtæ* ad *Kerbela*, locum tribus Babylone milliaribus ſitum, peregrinationes inſtituunt, ut inviſent *Mortuſæ Aali*, Imamorum Principis, tumulum, in tantâ ſibi veneratione habitum, ut per illum jurare ſoleant. Hæc non procul extra fines ſuos profectio, minus tuta habetur,

2. Babyloniam, ad viſendum tumulum Aali.

tur, quàm operoſa; quia ſepulchrum in Turcorum poteſtate eſt, qui vicinos Aalitas, ſive Perſas, adverſarios ſuos acerrimos, plusquam capitali perſequuntur odio. Laterculi inde referuntur, pro ceremoniis precationum; Behtſteine; cùm enim oſculari ſubinde terram inter orandum conveniat; immunda autem omnis terra ſit, niſi in quâ ſanctorum cuſtodiuntur exuviæ; hinc ex ſolo tumuli Aalitici petitam præferunt ceteris omnibus. Compacta autem mittitur in orbiculos, ducatone craſſiores, ſole ad duritiem coctos, & in rei fidem ſigillatos, inde مُهر *Möhhr*, i. e, ſigilla, dictos. Ajunt venditores Turcos ſæpè urinâ ſuâ eosdem conglutinare, ut adverſariis ſuis imponant.

3. Maſjhedum, ad ſepulchrum Imami Reſà.

Ad ſepulchrum verò *Imami Reſà*, quod extat in urbe *Meſjhèd*, provinciæ *Choraſaan*, peregrinationes diriguntur omnium frequentiſſimæ. Hujus perpetuò in ægrotorum ore nomen volvitur, ſperantium Medicamentoſa virtute ejus ſe convalituros, ſi id crebrò invocent. Ex quo *Sjah Abas I.* Usbecis Tartaris locum eripuit, mirum, quantum curationibus inclaruerit miraculoſis, præſertim cœcorum hominum, qui precibus, ante tumulum fuſis, venditantur lumen recepiſſe. Multi nunc peregrè adveniunt, alii devotionis cauſâ, alii ſpe inducti recuperandæ ſanitatis. Hanc qui ſimulant recepiſſe, id honoris & præmii conſequuntur, ut per urbis plateas circumducantur, ambitu ſolenni & populoſo; deinde, quia laceri redeunt, ab admiratoribus depilati, (quod ſuperiori Relatione dixi) ut ex ærario ejusdem templi novo donentur veſtitu, & viatico inſuper ad remeandum in patriam ſuam. Sunt enim plerique pauperes & ſcurræ ignoti nominis, in quos inclytus ille Sanctus miraculi gratiam collocat. Nimirum, res compoſitò agitur, actorem ſubſtituentibus templi Sacerdotibus pretiô conductum, qui fabulam ludat, & ſubinde nova miraculi editione famam

Ima-

Imami foveat, ſaltem ut peregrè hoſpites alliciant. Circumductiones, ajunt, interdum quater vel quinquies Menſe unico contingere, easque à prudentioribus ſatis jam fraudem edoctis, ampliùs non attendi; Primus fabularum autor Rex laudatus eſſe dicitur; qui ut popularium nummos in patriâ retineret, quos devotionis cauſa exportabant in Turciam, celebritatem ſtuduit Sancto conciliare indigenæ; ac de ipſo miraculoſæ virtutis opinionem facilè in animis excitavit mobilis ad ſuperſtitionem vulgi. Curant magnates Perſici exuvias ſuas poſt mortem ad cœmeteriũ hujus Sancti transportari, ut ſub ejus præſidio beatiùs requieſcant. Religionis hîc puncta omnia perſequi vetat prolixitas. Inſulſa ſunt, & in ceremoniis ac purificationibus ut plurima conſiſtunt. Sæpe citatus Rex Abaſſus in gratiam ſubditorum ſumma Religionis capita, per *Sjeich Bahadiin Mahhammed*, concin̄ari fecit Compendiô, quod appellatur جامع عباسی *Dſjamaa Abaſi*, & in manibus populi teritur: ad quod lectorem remitto, Latinè propediem à me evulgandum; hîc pro colophone ſaltem additurus Perſarum feſta, ſecundum ſeriem Menſium & dierum, quibus incidunt, collocata.

Sciendum verò, Perſas pro feſtorum determinatione ſimul cum Religione Mahhammedana adoptaſſe menſes Lunares Arabum, ab uno incipientes novilunio in cœlo viſibili, ad ſpectabile aliud. (fidem enim oculis malunt, quàm calculis tribuere aſtronomorum.) Quales verò menſes, cum diebus abſolvantur aliquando triginta, aliquando viginti novem, adeoq; Solares noſtros uno circiter die, ex lunæ citiori motu, anticipent; conſequens quoq; eſt, dies illorum feriatos citiùs quotannis redire, & quæ nunc mediâ brumâ incidunt, abhinc annis octodecim mediâ ingruere æſtate, donec duodenario menſium periodo tricies ſepties abſoluto (ſpatio annorum noſtrorum triginta ſex) *Feſta Perſarum.*

in idem tempus, diemq; Calendarii Juliani recidant. Exemplo res liquebit. Dies, quo hæc ſcribo, decimus nonus Septembris, anni 1684 æræ Chriſtianæ, Perſarum calculo dies primus eſt Menſis *Sjawwàl*, anni *Hedſjiræ* 1095, ſacratus beneficentiæ, liberali manu exercendæ in egenos. Hæc, ſacrâ lege, feriata lux anno futuro 1685 in nonum Septembris, anno 1686 in trigeſimum Auguſti, anno 1687 in vigeſimum ejuſdem, & ſic porrò decendio ſemper citiùs ingruet, donec revolutione abſolutâ, anno 1720 in hunc rurſus diem recidat. Ex his patet, feſta omnia Mahhammedanorum fixa dici, dum interea maximè ſunt mobilia.

Series feriarum hæc eſt:

Primus Menſis, محرم *Muhharrèm*, dies primores denos eſſe lugubres & nefaſtos jubet, ob *Hoſſeinii*, filii Aali, trucidationem, factam hujus Menſis die decimo. Heros ille à civitate *Kofì*, ſitâ in Arabia deſertâ, quòd partibus inviderei Omerianis, per miſſum nuncium in ſubſidium vocabatur contra *Jeſid*, regnantem in Damaſco Principem. Ad ferendas igitur ſuppetias dum iter cum ſeptuaginta omnino viris ingreditur, commonitus eâ de re *Jeſidus*, emiſſâ 700 armatorum manu, approperantem, ab urbe, auxiliis, aquâ & omni commeatu intercludit. Siti igitur & fame confectus *Hoſſeinius*, tandem in medios hoſtes dum ſe deſperato auſu præcipitat, cum ſociis ad unum omnibus trucidatur, & in eſcam belluarum projicitur. Præcipitem Perſæ tanti ſideris occaſum anniverſariis proſequuntur juſtis. Nimirum ante meridiem in plateis & locis publicis concurrentes, magnâ devotione audiunt *Molam* aliquem, prælegentem quotidie caput unicum ex *Ruſehtuſj Sehhdì*, ſive Hiſtoriâ Martyrum, qui pro fide occubuerunt: ea enim ad numerum dierum lugubrium diviſa eſt in decem capita, quorum ultimum continet Relationem de morte Hoſſeinii. Sub veſperam denuo in diverſoria, compita

pita & areas publicas tumultuoſè confluunt, & congeſtis cremiis ac lucis materiâ, ignes conſtruunt, quos circa choreas inſtituant parentales. Nec morâ, tripudiare incipiunt, ſubinde *Hoſſeinii* nomen, voce non triſti aut ejulante, ſed indignantium ſimili, exclamant, alternè & quaſi per choros: dum ad numerum hujus ſoni in gyrum velut metro acti, pectus pugnô, terramque pede importunè quatiunt. Credat rei inſcius, ſe audire latratus canini agminis, vel cominus etiam videre ſalientes furias; adeo in vindictam vultibus geſtibusque ferociunt. Durat ſcena pluribus horis, donec laſſatos adulta nox ad requiem invitet. Tandem lugubre decendium exequiis claudunt, civibus vicatim comparentibus, & occiſi ſarcophagum (qui omiſſo operculo contuendum exhibet ſaucium quaſi & cruentatum pueri cadaver) populoſo ambitu ducentibus per urbem, dum ubique adgemiſcit mobilis fœminarum ac vulgi turba. Comites funeris in aliis urbibus curant ſibi novaculâ ſauciari raſam recenter calvariam, uno quidem orbiculari vulnere per ambitum capitis, & duobus in vertice per transverſum ductis, ut necem nefariam vivo & dolente ſpectaculo referant. Juſtitii hujus decendium vocatur *Aſjuur*.

Secundi Menſis صفر *Sephèr*, dies vigeſimus memoriæ dicatus eſt mirandæ combinationis capitis cum corpore *Hoſſeinii*, quæ hoſtili acinace disjuncta, poſtquam quadraginta diebus à feris intacta, atque ab aëre incorrupta jacuiſſent, iſthoc die mirificè coaluiſſe creduntur; exemplo S. Stanislai, primi Polonorum Epiſcopi, cum à Rege Boleslao Audace dilaniatus eſſet. Feſtum hoc appellatur سر و تن *ſer u ten*, i.e. capitis & corporis. Die octavo & vigeſimo ſolenni luctu deploratur infelix fatum *Haſenii*, fratris prædicti Hoſſeinii, qui per inimicorum inſidias venenato induſio è medio ſublatus eſt. Ultimus in hoc Menſe dies

dies Mercurii mortalibus infeſtus creditur, ex antiqua Mahhammedis traditione, qui eo die cœlum parturire dixit millenas infelicitates. Proinde uſu receptum eſt, ut ollas veteres & vaſa teſtacea deſuper in plateas projiciant domeſtici, peſſundaturi eâ clade, vel expleturi etiam influxus, qui alioqui in homines ruerent.

Tertii Menſis, ربيع اول *Rebia awèl,* die nono celebranda venit memoria veterani, quem vocant, Legis, i. e. Molitoris Perſæ; qui *Omerum*, Aalitici nominis peſtem, è medio, quanquam ſceleſtè, ſuſtulit in molendino ſuo, vitamque ſalvavit fugâ, ſtupendi plenâ miraculi. Patrato namque facinore, panni complicati inſtar Arabia Perſiæ contracta ac coarctata repente fuit, ut brevi progreſſu Arabiam aſſecutus, feliciter hoſtibus elaberetur; quandoquidem ubi patratorem excepiſſet, in ſitum illico naturalem ſuum explicata eſt. *Caſi*, ſive judex loci, in compenſam egregii facinoris, nuptui dediſſe dicitur reduci filiam ſuam, quanquam homini ſaltem molitori. Die decimo ſeptimo celebratur ortus Draconis, cujus cauda tertiam partem ſtellarum è ſuperis deduxit ad inferos. Natales ſic voco *Mahhammedis.*

Menſes quartus, ربيع آخر *Rebia achìr, quintus,* جمادى اول *Dſjemmadi awèl, ſextus,* جمادى آخر *Dſjemmadi achìr, & ſeptimus,* رجب *Redſjèb,* feſtis diebus carent.

Octavi Menſis, شعبان *Sjaaboon,* die decimo quinto creduntur in cœlo evolvi ab Angelo codices, quibus inſcripta extant nomina viventium. Vocatur dies روز برات *Rûſe beraat.*

Nonus Menſis, رمضان *Rameſaan*, totus jejunio diurno ſacratus eſt; quod ita obſervant religioſè, ne vel aquæ guttula palatum pertranſeat. Rigoris eò procedunt alii, ut ſtro-

ſtrophiolum ori ſuo circumligent, ne cum aëre intrare poſſit pulvis, qui jejunium violet. Durare debebat abſtinentia, à ſtellis manè viſis, ad reviſas veſperi. Verum ſuperſtitioſus rigor utrumque terminum latiùs hodie disjungens, eſuriendum imperat, à diluculo primùm appetente, ad crepuſculum eò adultum, ut filum nigrum ab albo (ut loqui amant) diſcerni oculis non poſſit. Noctibus è contra genio indulgendi pro lubitu, & maceratum ineдiâ corpus quovis deliciarum & voluptatis genere recreandi, ſumma libertas eſt. Cadente igitur ſole, fora & plateas Regias irruunt comœdi, muſici, coqui, caupones, cupedinarii; facum lampadumq; accenſis ordinibus æmulus diei nitor producitur; exponuntur venales ſenſibus deliciæ atq; irritamenta varia, quibus diurnam pœnitentiæ moleſtiam quisque pro genio ſuo vindicet. Diebus decimo nono, vigeſimo primo, & tertio ſupra vigeſimum Deum precantes credunt certo certius exaudiri. Quamobrem in templa his diebus frequentes confluunt, in precibus etiam domi fundendis aſſidui.

Decimi Menſis, شوّال *Sjawwàl*, primus dies dandis eleëmoſynis ſacratur. Lege verò definita eſt una tritici menſura, pro ſingulis eroganda domeſticis; quam qui in naturâ nolit dare, pretio redimat quinque ſolidorum, ſive groſſorum Marianorum circiter trium.

Undecimus Menſis, ذو القعدة *Sülkaadèh* dies religioſos non habet.

Duodecimi Menſis, ذو الحجة *Sülhadſjèh*, die decimo univerſitas Mahhammedana imitatur ſacrificium Patriarchæ *Abrahami*, cameli in publico mactatu. Quo major civitas, eò pompoſior feſtivitas eſt; nec ullum ex feſtis omnibus majori plauſu & lætitiâ celebratur. Publica non ſatis eſt laniena; domi quoque paterfamilias quisque, ſi ſolvendo ſit, ovem jugulat, ut in memoriam ſacrificii

comedatur. Feſtum vocatur بيرام *Beiraam*, i. e. Paſchatos, vel قربان *Kurbaan*, i. e. ſacrificii. Die decimo octavo accidit, ut Mahhammed & Aali ſeſe invicem amplexi, in unum corpus & animam ſtupendo miraculo coaluerint: cujus memoriam devotiſſimè hac die venerandam religio imperat. Servit Perſis unio hæc, pro ratione apodicticâ, qua Turcis probant legitimam, & ex voluntate Mahhammedis factam ſucceſſionem *Mortuſæ Aali*, ſocero ſuo, ut inde colligitur, præ ceteris dilecti; unde conſequens ſit, merum maledictumq; Pontificiæ poteſtatis uſurpatorem fuiſſe Omerum. Feſtum vocatur قم قادير *Kom Kadiir*.

Reſtat نوروز *Nauruus*, i. e. vertentis anni initium, incidens in diem æquinoctii verni. Non legalis eſt, ſed ab antiquis Perſis hæreditate accepta feſtivitas, omnium ceterarum maxima & ſolenniſſima. Quisque novis veſtibus hodie induitur, inviſuntur amici, convivia fiunt & deambulationes: nec lætitiæ ac feriarum modus eſt ante diem decimum quintum, multis etiam non ante vigeſimum.

Feſtorum cultus in eo reponitur, ut ex foris publicis tympana, tubæ, cymbala, à nocte media ad usq; meridiem perſonantia, diem ceteris reddant illuſtriorem; populus verò ab opere ceſſans, in templis, foris & areis publicis magno ſtrepitu & frequentiâ conveniat, invicem gratuletur, propalam lætetur, ludat, nugetur, catervatimque accumbens Nicotianam ſugat, cum alternatis ſorbilium exiguis hauſtibus: Poëtas idem, & dramatum actores audiat, concionum religioſarum & ambituum, ſi qui habendi veniunt, ſedulus adſit comes vel ſpectator; & diem denique in publico emenſus, intra parietes quoque lætus quisque cum ſuis partem noctis exigat.

RELA-


ISPHAHANUM
A. Mons Sophá
B. Prædiolum Solymum
C. Hortus Hadſar dſernb
D. Tachta Ruſtàm
E. Mons Gerdegå
F. Mons Haſarderch
A
B
C
D
E
F
O W
F. W. Brandshagen fecit.


NUM
E

RELATIO XII.

Externus Aulæ ſplendor: ac primò Magnificentia Civitatis Regiæ.

§. I.

Externum Aulæ ſplendorem, quàm maximè in Sede Regiâ, hortorum multitudine, pompâ equitationis & ſumtuoſis conviviis collocamus. In quibus verò deſcribendis, quantum rerum dignitas permiſerit, brevitati ſtudebimus.

Iſphahani, metropolis Regni, & Sedis Regiæ conditio.

Reſidet Rex in ampliſſimâ Parthiæ urbe & totius Regni metropoli, quam اصفهان *Iſphahaan*, & صفهان *Sefahuun* promiſcuè appellant; ſita ad elevationem Poli 32, 40; differentiam temporis exhibens ab urbe Româ 3½ horarum; acûs magneticæ errorem, verſus occidentem, 16 graduum. Ingens urbis moles eſt, quam appellare audeas totius Aſiæ citra Gangem maximam: ita à tempore Regis Abaſſi I. ultra ſua mœnia accrevit, & per vaſtos campos producta eſt; quin hodienum augeri non deſinit, quod ex aliis Provinciis numeroſos recipiat transfugas, qui Gubernatorum injurias pertæſi, Lares hîc quærunt clementiores, ſub Regis præſentiâ. Dicitur unà cum ſuburbiorum & pagorum nexu, quibuscum coaluit, ambitum habere 16 paraſangarum. Certè ego illam obequitare uno die fruſtra tentavi; ſed ob varios hortorum anfractus, & vias à rivis foſſisque impeditas vix omnem molem biduo quis circumiverit. Situm ſortita eſt in ſummâ lætiſſimæque fœcunditatis planitie; ſaltem auſtralior ſuburbiorum finis ad ſabuloſam & ſterilem *Sophà* montis radicem extenditur. Aërem haurit ſudo perpetuo felicem, æqualis temperiei, ſiccum & ſaluberrimum. Videbis cadavera hîc exareſcere priùs, quàm putreſcant; ferrum, quamvis humore

Magnitudo

Aër.

 more

more aſperſum, rubiginem non contrahere; intentasque teſtudinis chordas puritatem toni diutiſſimè ſervare: quod tamen de parte urbis orientali non æquè affirmaverim. Salubritatem induiſſe ajunt Abaſſi I. tempore, eamque debere Platanorum multitudini, quâ Rex vias publicas, & coloni hortos certatim conſeverint; cum antea Iſphahanenſis aura ſqualido terræ halitu (quem nunc arbores pro nutrimento abſumant) inquinata fuerit. Sit fides penes philoſophantes! Certum eſt, ſolum civibus hîc ſuis aquam exhibere puriſſimam, & nullius expertem bonitatis notæ; ut fluentem ei ne quisquam præferat. Ex ſuburbiis, quibus in tantam molem accrevit civitas, præ ceteris memoranda ſunt, ad occidentem *Abasabaad*, ita à conditore ſuo dictum; ad auſtrum, (intercedente flumine) *Sulpha*, ſive *Sjulfa*, ita à patriâ urbe Armeniæ, unde cives idem Rex eduxit, nomen ſortitum; utrumque magnitudine ſuâ & plateis amplis longiſſimisque conſpicuum. De *Sulphâ* addo, illud ſaltem habitari à Chriſtianis Armeniani Schiſmatis, animabus (uti ſupputant) ditatum 30000, templis tredecim, & Sacerdotibus plusquam centenis: quibus nuper Regni Præſes onus impoſuit 200 tomanorum, pro Religionis libertate quotannis redimendâ. Ad auſtrum connexum habet vicum *Gaberorum*, i. e. antiquorum Perſarum, qui ignem colunt, verſùs Solem adorant, & cum ritibus antiquiſſimæ Religionis (Zoroaſtris nimirum, ſed quam Abrahamitanam vocant) etiam antiquum corporis cultum retinent. Familias numerat pene 600, meros agricolas. Mœnia antiquæ urbis, flexuoſè & in orbem quodammodo circumducta, ubique conſpicua non ſunt; ita noviſſimâ ædificiorum connexione abſorbentur. Materia lateres ſunt (ex quibus civicæ quoque domus conſtant) non in furnis cocti, ſed ſolis ardore ſaltem exſiccati. Octo exhibet portas; nona مرگی *Mergi*,

vel mortis dicitur, quam ſuperſtitio abolevit, eo conſilio, ut peſtem graſſantem ſiſteret: pervia tamen mœnia & perforata foriolis nonnullibi inveni, in quibus baſin metitus, decem paſſuum deprehendi craſſitiem, ex quâ ſenſim graciliora, in incredibilem exſurgunt altitudinem. Nullis mœnia ornantur ſuggeſtibus, propugnaculis, aut operibus militaris artificii; tantùm aliquibus in locis foſſa conſpicitur, aliquibus etiam vallaris agger antiquitate dirutus & inutilis.

Meridionale urbis latus flumine clauditur زنده رود *Sendeh ruud*, i. e. *flumine vitæ* dicto, cujus rapida unda tridui intervallo inde à jugo occidentali montium exorta, ripis haud profundis quidem, ſed latiſſimè disjunctis profluit. Hæc omne civitati ad commoditatem vitæ momentum tribuit. Cataractis enim longè ante urbem intercepta, varièque diviſa, tum per campos ſuburbanos irrigandi cauſâ circumducitur, tum in ipſam urbem multis diſtinctionibus diffluens, ædificiorum impluvia atque intima civium gynæcea penetrat, in aliis ad voluptatem tubis hydraulicis ſaliens, in plurimis ad neceſſitatem ſtagnans, ciſternis excepta; quia his pro eluendâ corporis illuvie in Legis obſervantiam opus eſt quotidie. Dicunt, hîc vix annum elabi, quin tantum non centeni infantes incautè in iis ſuffocentur. Derivationes fluminum certis gaudent, quibus dignoſcantur, nominibus. Prima namque diviſionis crura, quotquot fuerint, appellativo nomine *Maadì*, horum ramuli *Dſjedwèl* dicuntur: quarum demum ſurculi variè multiplicati agros domusque civium privatorum communi canalium, vel aquæ ductuum, vocabulo ſubeunt. Singuli verò, cum primæ, tum ſecundæ diviſionis rami, ſuis inſuper notantur nominibus propriis, ex locorum, quos perfluunt, appellatione, vel quavis aliâ conditione petitis. Ex quo Præfectis amnium operoſum non eſt diſtinctam


Flumen Sendeh ruud.


tenere omnium aquæ ductuum notitiam, & aquæ diſtributionem, (quæ perpetuus jurgiorum inter vicinos fomes eſt) promptiùs dirigere. Non enim venas unda jugiter influit, ſed certis diei, vel ſeptimanæ, horis in eas parcâ ſaltem manu dirigitur. Depauperantur derivationibus pleraque Perſidis flumina, adeo, ut quæ meridiem verſùs labuntur, mare, ſi dulcia ſint, neutiquam contingant, ſed paucorum dierum tractu exareſcant.

Pontes. Tribus flumen ſuperbit pontibus: *Primus*, ad occidentem extra ſuburbium poſitus, antiquior eſt & ſimplicioris ſtructuræ, ex latere partim, & rudi lapide tempore *Regis Thamaſì* conditus. Septendecim pandit arcus grandiores, & duodecim quaſi intermedios minores, factos ſaltem in pedamentis ad elegantiam, & ad fundum usque non demiſſos. Structorem ferunt habuiſſe viperarum quendam inveſtigatorem; à quo & ipſe *pyli Marbuun*, & pagus etiam vicinus, qui modo cum ſuburbio coaluit, nomen obtinuiſſe dicitur. Veritatem ex Inſcriptione non ſatis aſſecutus ſum, quia leviter ſculpta & exeſa erat. *Alter* pons, inde 760 decempedarum intervallo diſſitus, ab *Aali werdi chaan* (heros erat, inclyti ex Lari occupatione nominis) ex ſciſſo lapide coctisque laterculis, uno ab hinc ſeculo exſtructus eſt; viam Regiam *Tſjahar baach*, quæ ab Aula ducit ad hortum Regium *Hadſar Dſjerib*, magnificè connectens. Opus eſt eximiæ artis, triginta tribus ſubtentum arcubus latiſſimis, paucis eorum anguſtioribus. Pavimentum rudibus ſtruitur fracturis lapidum; cujus latera muris limitantur trium orgyiarum altitudinis artificioſè fabricatis, & anguſtâ porticu in longitudinem perviis, quâ pedeſtres ire & recedere, tuti ab equitum occurſu poſſimus, oſtiolis eum in finem numeroſiſſimis patulâ. Raris iidem muri pertunduntur oſtiis foras ſpectantibus, quibus gradatim per fulcimenta pontis deſcenditur in ipſum flumen; quod per æſtatem ferè inane eſt, & equis, neglecto ponte,

per-

pag 166




P. Maxanbuun
pag 166
Pons Ali Werdi Chan
Pons Haſſen abaad

pervadari ſolet, nonnunquam ſicco etiam pede tranſiri. Externa facies muri ejusdem lateralis, fictas arcuum figuras pro ornatu exhibet, eo numero, ut ſingulis, ſubtus pontem, arcubus geminæ, interſtitiis verò, ſive pedamentis, ſingulæ reſpondeant. Podia quædam, præſertim in fine, habet, in quibus pro otio & recreatione conſidere liceat. Latitudo pontis duodecim paſſus, longitudo quadringentos refert; vel potius 490, ſi appendicem addas, quousq; duobus clauditur columnis cono ſimilibus. Utroque hoc ponte ad *Sulpham* itur, Chriſtianorum, quod dixi, ſuburbium, quod ultra flumen urbi oppoſitum, tantam pene exhibet in ripâ fluminis longitudinem, quanta utriusque pontis intercapedo eſt. *Tertius* à priori bis mille paſſibus diſſidens, *Pyli Haſſenabaad* à loco urbis dicitur, conditus à Rege Abaſſo II. Opus eſt rarioris elegantiæ, eò quod parietum ſuperficies ex porcellano obducta egregiè niteat, ut cetera taceam ornamenta. Ducit is viatorem ex orientali urbis parte, per ampliſſimam plateam *Kadſju beſörg*, cùm ad hortos quosdam Regios, tùm in viam, quâ itur *Sjiraſum*, & ad mare Perſicum Indicumque. Structuram ceteros artificio ſuperare judices, ſi coronidum, ſi laterales utrinque porticus, ſi oſtiorum arcuumque varietates reſpexeris; tum, quibus ſingulariter ſuperbit, menianorum elegantiam in medio & utroque fine poſitorum. Arcus habet viginti quatuor, ex lapide quadrato politoque factos, in medio valvis ligneis interceptos, quibus ſiſti flumen poteſt, ut in horto adjacente Regio, *bági Sehadèt abaad*, i. e. horto beatitudinis, in altitudinem lacûs extumeſcat. Non minorem profluens unda aſpicientibus voluptatem parit, dum per arcus elapſa, mox, per ſaxea graduum ſuperbiſſimorum impedimenta, in profundum præceps cum gravi murmure devolvitur, velut ex annexâ *icone* ad oculum pateſcit.

§. II.

Interiora Urbis.

Plateæ.

§ II.

Plateæ in mole urbanâ, aliæ latiores ſunt, rectæ & longiſſimæ, ſparſis arboribus rivisque in medio defluentibus non raro venuſtæ; quales ut plurimæ ſunt noviſſimi ſuburbii *Abaſſabaad*, paucæ in *Sjulfâ*, pauciſſimæ in ipſâ *urbe antiquâ*; aliæ verò ſunt anguſtiores, tortæ, incurvæ, non raro deſuper magno ambulantium commodo fornicatæ: Harum rurſus aliæ in incredibilem longitudinem, quamvis flexuoſè, extenduntur; aliæ implicata angiportuum multitudine labyrinthorum ſpeciem referunt; adeo, ut difficilè mihi fuerit, acu magneticâ indies obambulanti, omnium adumbrationem, ſive planographiam urbis, trimeſtri ſpatio aſſequi. Solum ubique planum & æquale eſt, niſi fortè flumen verſùs paulò declivius; nec lapidibus ſtratum, ſed genuinam retinens fundi limoſi ſuperficiem, unde impluvio hoc cœlo valdè pulverulentum, niſi (quod in uſu eſt civibus) crebrò irrigetur. Ex ædificiis publicis unum cives admirantur, judicio ſuo, inexpugnabile caſtellum, in orientali urbis parte ſitum, quod vocant قلعه بروك *Kalâhi berùk*, i. e. arcem benedictionis, aſſervando theſauro deſtinatum, ut & varii generis utenſilibus, imprimisque apparatui bellico: ex quo etiam appellari gaudet جبه خانه *Dſjébbe choneh*, id eſt, armamentarium. Europæorum oculis peregrina & rudis ingenii ſtructura eſt; quippe robur ejus muris abſolvitur duobus parallelis, ex luto in miram altitudinem aggeſtis, & in figuras lunares, quibus aggerum quaſi & ſuggeſtuum vices exprimerent, crebro inflexis. Faſtigium utriusque (interior enim longè prominet) coronamenta habet fiſſuris diviſa, per quas hoſtis eminus peti ſagittis poſſit; Sub iis rara ſpectatur ſeries foraminum figuræ triquetræ, per quæ fervens arena, vel aqua, demitti, & pronus arceri hoſtis valeat. Hæc ne jaculis pateant, ſuggrundiis ſupernè claudun-

Caſtellum Beruk.

duntur ſingulis, formam naſi humani referentibus: ea enim ubique muniendi ratio eſt, quæ armis & hoſtibus reſpondet. Noſocomium habet unum; Templa & Colle- *Ædificia* gia publica amplius centena; Balnea & Xenodochia penè *publica.* innumera: quorum Lector præcipuorum in Hodœporico meo deſcriptiones inveniet: Hæc ipſa verò, & ſi quæ præterea extant opera publica, plus referunt nitoris, quàm artis & magnificentiæ. Saltem quæ utrinque Principis manſionem claudunt, forum maximum, & platea *Tſjaarbach* ſuperbam faciem & Regii ſumptûs ſpecimina exhibent, quibus totâ Perſiâ nihil ſpectatur pulchrius, nihil inſolentius.

Plura urbs oſtentat *Fora*, inter hæc illuſtriora duo: *Forum an-* antiquum in media urbe veteri, & novum, ſive maxi- *tiquum.* mum, in ejusdem auſtro occidentali fine. میدان کهنه *Meidaan Kohoneh*, ſeu forum antiquum, quadratum eſt, paſſus longum trecentos, latum centenos, ambientibus variorum operum, artium, & mercium expoſitorum officinis, pandochiis, ruderibus palatii olim Regii, & vicinis quoque tribus templis illuſtribus, conſpicuum. Horum *primum* جمعه *Dſjumaa*, vel cathedrale eſt, *Templa.* quod ex fornicis amplitudine &, quibus innititur, columnarum pluralitate (inſolenti in templis ſpectaculo) per ænigma طاقی معلّق *Tagi maallèk*, ſive fornix ſuſpenſus, dicitur. *Alterum* murrhinis laterculis, ex cœruleo pictis, in ſuperficie obductum, extus intusque micat; ex quo unius quaſi faciem lapidis referens, ænigmatis non minus præconium meruit سنگی واسلدار *Sengi waſiladaar*, ſive lapidis accuratiſſimè commiſſi. Hæc *Aaronis*, ſummi Iſraëlitarum Sacerdotis, mauſoleum eſſe creditur, vel ex eo ſaltem, quòd illius nomen referat, & ſepulchrale (præter tria

alia in veſtibulo) ignoti Sancti foveat, quod à Chriſtianis æquè ac Muſulmannis, ſive Mahhammedanis, ab omni memoriâ colitur. Unde ſedens in aditu ædilis cuſtos, ingredi me humaniter permiſit, velut in ædem ſymbolicæ devotionis. *Tertium* ei oppoſitum nomine *Aali* inſcribitur, decantatum ex lateritiâ turri, quam exhibet, urbis totius altiſſimâ; tum ex tribus, molis haud contemnendæ, lapidibus molaribus, in veſtibulo ex ſummo lacunari ingredientium vertici imminentibus; qui admirabili non minùs arte, quàm robore infixi, ſignare dicuntur hiſtoriam alicujus facinoris.

Forum Regium.

میدان بزرگ *Meidaan beſorg*, ſive forum majus, ab Abaſſo I, unà cum adſitâ Domo Regiâ, & productione urbis *Abas abaad* (alia taceo) nondum uno abhinc ſeculo conditum eſt; ſplendore, magnitudine, ac mercantium frequentiâ priori antecellens, imprimis verò illuſtri ſitu ſuo, quo Regiæ Sedis quaſi veſtibulum conſtituit, adeoq; non ſine uberiori inſpectione prætermittendum. Figura areæ quadrata eſt, paſſuum in longitudine (quæ à ſeptentrione in meridiem extenditur) 660, in latitudine 212. Porticu circumducitur excelſâ lateritiâ, duplicis contignationis, utriusque concameratæ. Superior in cellulas diſtincta eſt, pro cubiculis vario hoſpiti elocatas, etiam meretricibus. Inferior, tum pro pergulâ ſervit deambulantibus, tum imprimis quod valde ſpatioſa ſit, inſtitores & opifices fovet omnis generis, qui ibi varia fabricantur, & venum exponunt opera; non confuſè & pro arbitrio ſedentes, ſed pro cujusque profeſſionis ſocietate ordinatim, & quaſi per claſſes, diſtincti. Mirum foro decus hæc pergularum ſeries tribuit, circumquaque uniformis, præalta, candida, & arcuatis cubilium frontiſpiciis, nitidèque cancellatis, inſolenter ornata. Hanc ædificia quædam excelſiora magnificè interrumpunt: ad latus occidentale frons Palatii




Frons Palatii Regii
cum parte
Fori maximi

latii Regii, quod vocant *Aali Kapì*, i. e. *portam Aali;* & non procul inde, porta ambulacri, per quod itur ad Gynæceum: Ex oppoſito, elegantis ſtructuræ templum, myrrhinâ nitens ſuperficie; tum promicans extra ſeriem baſilica, cujus parietes curioſo ſpectatori exhibent picturas bellicas, cum figuris automatis, dato aliquot obulorum pretio, vitam imitantibus. Lateris auſtralis medium, ſuperbo cathedralis templi Regii, quod *Imamo Mehhdì* ſacrum eſt, frontiſpicio intercipitur præalto, ſplendido, & inimitabili artificis manu fornicato: cui ad ſeptentrionem non minus illuſtre opponitur veſtibulum, domûs mercatoriæ *Kaiſerieh,* ſic dictæ, à *Cæſareâ,* urbe antiqua Palæſtinæ; eò, quod ad normam fori, quod habebat, nundinarii condita ſit. Eſt hæc lacunata quædam ædificii moles, ambulacris aucta longiſſimis, in quibus panni lanei, aurei, argentei, holoſerici, bombycini, & quicquid inſuper exoticarum mercium deſiderare poſſis, venalia exponuntur. Eadem ambitu ſuo claudit officinam صَرّاب خَانَه *Serraab choneh*, quæ cudendis monetis & aurifabrorum laboribus inſervit. Gaudent & cetera emporia ſuis *Cæſareis*, ex quarum inſpectione in proclivi eſt viatori, mercaturæ florem & loci cujusque opulentiam colligere. Fori aream *Foſſa* cingit, à pergulâ tanto remota ſpatio, quantum pro ſubdiali ambulacro inſervire turbæ civium poſſit. Ipſa ex lapide quadrato non invenuſtè fabricata, unius exhibet decempedæ latitudinem, profunditatem dimidiæ, aquæ excipiendæ, cum in flumine abundat, idoneam. Ripa exterior arboribus *Tſjinar*, i. e. Platanis, & *Narbond*, i. e. Ulnis, (Buxos appellavit *Olearius*) raro ordine alternisque vicibus conſerta eſt: quas verò in *Icone*, ſtudio omiſimus, ne demonſtrandum opus obumbrarent. Interior area in meridionali parte geminam habet columnam, pro metâ ſervientem in globorum luſu & equeſtri

decurſione; media, malum ſiſtit immanis altitudinis, cujus apici patella aurea, cum volet Rex, imponitur, præmium futura, unà cum 100 tomanis illi, qui telo eam veloci ungulâ equitans dejecerit. Solymannus aurô parcens, hoc exercitii genus non amat. Cetera pars Cæſaream verſus, concionibus hominum dicata eſt. In eâ inſtitores, ſcrutorum venditores, cupedinarii, fartores & levioris armaturæ opifices, præſertim fabri ærarii & ſtannarii, tum hiſtriones, comœdi, luctatores, poëtæ, oratores & quodcunque ludicrum genus hominum in regione alitur, lucrandi cauſâ conveniunt quotidie, factisque circulis & tabernis, totius quaſi Perſiæ artes & facetias exponunt. Pro locario ſola area fert indies unum tomanum, & ſimul cum pergulis tomanos quatuor; ſed quam pecuniam Regis devotio ſcholarum uſui ſacravit. Si quid publici actûs ſpectandum ingruit, exeſſe turba cum papilionibus & impedimentis omnibus jubetur, ut vacua omnino & nuda ſit intra foſſam area.

Via Regia Tſjahaar baach.

چهار باغ *Tſjahaar baach*, i. e. quatuor horti. Hoc nomine Regia hæc inſignitur via, eò quod transverſo intercisa flumine, quatuor quaſi hortorum, quibus utrinque clauditur, tractus ſive latera conſtituat. Incipit à tergo Sedis Regiæ, & in auſtro occidentem (S. S. W.) recto auguſtoque tractu decurrit, ad frontiſpicium domûs & viridarii Regii *Haſar dſjerìb*. Ex primis, quæ ſplendorem viæ tribuunt, elegans ex quadrato lapide aquæ ductus eſt, per mediam ejus longitudinem demiſſus, latitudinis quinque pedum, profunditatis ſaltem unius, in quo lympha lucidiſſima ab utroque viæ termino ad medium usque fluminis prædicti pontem, perenni tractu defluit; nunc per gradus ſaxeos grato delabens murmure, nunc ciſternis lacubusque ampliſſimis excepta, tacitè ſe diffundens, donec ponti tandem propinqua, latentibus in alveo cuniculis abſor-

ſorbeatur. Ciſternæ, velut ipſe ductus, ex polito lapide conſtructæ ſunt, & in variam figuram artificioſè coactæ; quarum littora paſſim ſtoreis tapetibusque à cauponibus contecta, cives recipiunt otioſos; qui ibi, vel ſi calidior dies obſit, in æſtivis utrinque oppoſitis, gregatim conſidentes, fumigando, ſorbillando, declamatores, poëtas & nugatores publicos audiendo, diem cum voluptate tranſigunt. *Alterum* eſt denſa Platanorum altiſſimarum ſeries ab utroque latere conſita, ſub quâ velut ſub طَاقِ سَبز *thagi ſebs*, i. e. viridi porticu, (ita viam per ænigma vocant) immunem à ſole hoſpitem ambulare, ipſe meridies permittit; pavimento eum in finem lapidibus æqualiter ſtrato, rudibus partim, partim ſcalprum normamque paſſis. Sanè, quod de *Cupreſſo* ſuâ gloriatur urbs *Sjiraſum*, idem de *Platanis* audeam affirmare, nullibi terrarum eas proceriore ſtemmate aut lætiori fronde adoleſcere, atque hîc *Iſphahani*. *Tertiam*, nec poſtremam, maceries utrinque rectiſſima & æqualis venuſtatem tribuit, ſed ædiculis potiſſimùm, ſibi modica per intervalla incumbentibus, quæ peregrinam referunt frontiſpiciorum ſtructuram, multis hemiſphæriis, podiis, clathris, & pigmentis exornatam. Addo pontis, qui flumen ſternit, inſolentem magnitudinem & magnificentiam; tum ſuperbam præalti palatii faciem, quæ utramque viæ extremitatem, viſumque intuentis eleganter terminat. Magnitudinem viæ, largo crure dimenſus, inveni trium & ſexaginta paſſuum latitudinem; longitudinem citra pontem 1620, ultra eundem 2200: cui etiam accedit ipſius pontis ad 490 paſſus extenſio.

Plaga terræ, quam via cum transverſo flumine quadripartitam reddit, in triginta per intergerinos parietes diviſa eſt viridaria, partim Aulæ primorum, partim ſuo & publico civium uſui à Sereniſſimo dicata; quæ ipſa, uti Regiæ viæ exteriori quodam veſtibulo, ſive palatio, ſymbolum

lum publicæ elegantiæ (quod modo dixi) ſingula contribuunt, ita verò intus, parvis domiciliis varium in modum ornatis, ambulacris ſpatioſis & puriſſimis, areolis arbuſcularum & florum lectiſſimorum copiâ luxuriantibus, undâ limpidiſſimâ in ciſternis ſtagnante, inde irrigationis & voluptatis cauſâ in omnem partem diffluente, & ut brevis ſim, omnis generis amœnitatibus magno ſtudio exornantur.

Domûs, Cives.

§. III.

Privatas domus civium non intrabimus; ſaltem per tranſennam indigitabo, eas ex limo in figuram laterum coacto & exſiccato conſtructas, deſuper fornicatas & unius contignationis eſſe. Pauperum manſiones uti anguſtæ, obſcuræ & impluviis deſtitutæ ſunt; ita ditiorum, illuſtres, ſpatioſæ & circa mediam aream quadratam per amplam expanſæ ſunt. Exterius nihil oſtentant elegantiæ, ſed maceriem ſaltem plateæ objiciunt. Omnis ſplendor intus reconditur, maximèque impluvio obverſus eſt, ita ut media facies ædium fornice hiet prægrandi hemiſphærico, quem *Eiwaan* vocant: in quo hoſpites conſidentes Floram areæ atque fontis oppoſiti amœnitates jucundo aſpectu capiant. Cetera feneſtris patent, ad imum pavimentum lege oſtiorum demiſſis, non teſſerulis quidem vitreis, plumbo junctis, ſed clathris chartâ luci perviâ obductis. Interiora conclavium gypſo candidiſſimo obducta, & talci pulvere, ut niteant, aſperſa ſunt. Lacunaria artificioſè cælata, virgulis ultra marini coloris diſtinguuntur. Pavimentum aulæa operiunt, paucis pulvinaribus parieti acclinantibus. Menſæ, ſcamna, ſubſellia & ſupellectilium impedimenta quævis (præterquam quæ in equili & culinâ inveneris) ab ædibus omnino exulant. Officinæ urbis mechanicæ, ſi textrinas excipio, patulæ ſunt verſus plateas, & inſpectioni prætereuntium expoſitæ. Nihil hîc de ipſis civibus, eorum numero, ordinibus, factionibus,

Habitus varii Perſarum et civium Iſfahanenſium



Habitus utriusq; ſexus Extraneorum Iſfahani viventium




1
2
3
4
5
8

H


1
2
J.F.W. Brandshagen. fecit

nibus, negotiis atque aliis attributis referam, eò quòd prolixum id fuerit, & à præſenti inſtituto alienum; tantùm dicam, abundare metropolim, non indigenarum modò incredibili multitudine, ſed exterorum quoque hoſpitum confluxu, *Tartarorum*, *Indorum*, *Ruſſorum*, *Arabum*, *Turcorum*, & aliorum, ſuis quorumlibet hîc viventium moribus, veſtitu, linguâ, religione. Ferunt ſolos in urbe ex mercaturâ vivere ampliùs *decies mille* Indos ex *Multhaniâ;* ſuſtentari ex vario vitæ genere *Georgianos* cum *Cyrcaſſis* & *Dageſtanis* circiter *vicies mille.* Quin nec *Europæi* deſunt: *Septem ex Gallia* hoſpites, aurifabri, encauſtæ & horologiorum fabricatores ab *Abaſſo II.* invitati, lares hîc locarunt ſuos in *Sulfa* ſuburbio, familias ſuas Regio ſtipendio ſuſtentantes lautiſſimè. *Angli*, *Bataviq;* ſuos negotiorum præfectos hîc alunt; illos palatio reſidentes, Regiâ liberalitate conceſſo, hos nummis comparato propriis. Veniunt mercatum etiam *Luſitani*, rarenter & *Galli.* Conventus verò religioſorum etiam habes noſtratium, nimirum *Capucinorum*, *Carmelitanorum diſcalceatorum*, *Auguſtinianorum*, *Jeſuitarum* & *Dominicanorum*, ſingulis ſocietatem tribus tantum perſonis abſolventibus; quod operari ipſis in vindemiâ Chriſti inter Mahhammedanos Perſas non liceat, ex quo anno 1622 bini *Ebraim* & *Joſeph*, à PP. *Carmelitanis* religionem edocti, publicè lapidati & combuſti ſunt; *Sjiraſi* verò unus ab iisdem converſus, anno 1621 aſininæ pelli inſutus, paloq; infixus fuit.

Icon adjecta præcipuos habitus exhibet, *in ſerie ſuperiori* Indigenarum; *in inferiori* Exterorum in urbe habitantium.

In ſerie ſuperiori notatur numero

1. Nobilis, Aulicus, Princeps.
2. Sophi, ſive atrienſis Regii palatii.
3. Juvenis.
4. Civis.

4. Mo-

5. Mola, ſive Sacerdos.
6. Curſores; quorum primus clunibus & cruribus incedit nudis; perperam ea contexit chalcographus.
7. Ruſticus.
8. Miles.
9. Virgines & conjuges, prout domi veſtitæ ſunt.
10. Fœmina velata, prout in publico incedit.
11. & 12. *Gabr*, ſive antiquus Perſa, cum conjuge domi & foras aperto vultu incedente.

In ſerie inferiori notatur numero

1. Armenus, cum conjuge, foras velato ore incedente.
2. Turcus Anatolienſis, cum gemina conjuge.
3. Duo Multhani, ſeu Benjani, cum virgine ſuæ nationis.
4. Tartarus Usbecienſis cum uxore.
5. Georgianus (qualis & Cyrcaſſus eſt) cum fœminâ.

RELATIO XIII.
Regiæ Sedis Palatia & Horti.

§. I.

Ædium in duas partes diſtinctio.

Satis eſt prima dediſſe Regiæ Urbis lineamenta: nunc pariter ipſam Sedem & loca manſionis indicabo. Pleraſque civium domus invenio geminam ad amuſſim conditas: Voluptatis & zelotypiæ. Illa in contingentiâ viridariorum, aquis, umbris, floribus, & nullo non amico ſenſibus apparatu luxuriantium, ſedem locare domicilii voluit; Hæc eandem præterea in duas diſtinguendum docuit partes, intergerino pariete diviſas: quarum prior ديوان *Diwaan* dicta, admittendis dicata eſt hoſpitibus, conſeſſibusque amicorum; poſterior حرام *Haraam* appellata amicos omnes reſpuit, etiam intimæ, quos vocant admiſſionis; ſolis ſacra polygami patris familias conjugibus, concubi-

cubinis, ancillis & ſpadonibus. Ad gemini igitur inſtituti normam, aptatum ab Abaſſo I. locum, Perſarum quoque Rex inhabitat: in quo pro *Diwanì* habemus Palatia minora quædam nitidiſſima, cellulis tricliniisque inſtructa pluribus, tum inprimis uno prægrandi, pro conviviis celebrandis, atrio (تَلاَرْ *talaar* vocant) ad formam theatri ſcenici, tribus ut plurimum lateribus patente, quò ambientis horti amœnitates liberiùs haurire Regii conſeſſores poſſint. Pro *Haraam*, ſeu conjugali carcere, inſervit polygona & latebroſa quædam, &, commorantium ſi ſpectas multitudinem, anguſta loci ſpecus, muro circumquaque vallata luteo, tredecim orgyiarum altitudinis, ſita in amplexu hortorum, quos dixi, jucundiſſimorum, in quos inde per oſtiola, ſolertiſſimè obfirmata, intrare Regi, quando volet, integrum eſt. De utrâque parte nunc ſigillatim dicturi, pro meliori explicandorum intelligentiâ præmittimus *Schema Planographicum*, ex quo appareat ſitus Hortorum, Domiciliorum & locorum omnium, quæ proximè ſpectant ad Sedem Regiam. In eo notantur litteris

A. Forum maximum, velut Regiorum Domiciliorum veſtibulum.

B. Porta & Palatium, per quod proximè ad *Ali Kapì*, ſeu Aſylum I.; & ultra ad *Diwanì*, ſive Regis domicilia & hortos, pergitur.

C. Porta, domus & ambulacrum, per quæ ad Gynæceum Regium itur, forti militum manu cuſtodita.

a. Porta Gynæcei altera, extus Janitorum *Sophì*, intus caſtratorum nigritarum excubiis munita.

b.b. Porta Gynæcei tertia & quarta, ab eunuchis albis cuſtodita.

c.c. Caſtratorum domicilia & hortuli.

d. Regis & Regiarum conjugum ac fœminarum manſio primaria.

e.e. Varii horti, domicilia & claſſes concubinarum.

f. Domicilium & ſubterraneæ manſiones prolis Regiæ excœcatæ.

g. Domicilium Matris Regiæ.

h.h. Variæ domus, areolæ & promptuaria, pro aſſervandis ſorbilibus, libris & id genus ſupellectilibus.

i. *Mudbach*, ſeu culina Regia.

k. *Karchoneh*, ſeu officina gemmariorum, aurifabrorum & horologiorum Regiorum.

l. *Ali Kapì*, ſeu Aſylum Regni.

m. *Bagi Tauleh*, ſeu Hortus ſtabuli.

n. *Bagi Mehtèr*, ſeu Hortus magni cubicularii.

o. *Bagi Tſjihil ſetuun*, ſ. Hortus quadraginta columnarum.

p. *Bagi Chilwet*, ſeu Hortus ſecretæ admiſſionis.

q. *Bagi Engeriſtuun*, ſeu vinea.

r. *Bagi Guldiſtuun*, ſeu Roſetum, cum annexo horto & domo *Uutſj Mertebèh*.

s. *Bagi Gargàh*, ſeu Hortus papilionis.

t. *Bagi Bulbul*, i. e. Hortus alaudæ, vel *heſte behèſt*, i.e. octavi paradiſi.

u. Via clauſa, olim pomœrium paliopolitanum.

w. Quadraginta equorum, pro equitatione Regia paratorum, locus.


x. Hypparchorum manſiones.

y. Stabulum & ſtabulariorum manſio.

z. Machina hydraulica pro aquis ſilientibus in Gynæceo.

1. *Defter choneh*, ſeu domus rationum. 2. *Karwanſera* Regia. 3. Introitus ad *Kaiſarì* ſ. Cæſaream, vaſtam mercium expoſitarū domum, in cujus veſtibulo gemmariis locus eſt; in faſtigio theatrum muſicum; utrinque ſorbilium tabernæ, intus rei monetariæ officina. 4. Porta templi cathedralis *Imami Mehhdì*, vulgo Regii dicti. 5. Templum ex latere incruaſtto. 6. Domus ſpectaculi automatorum. 7. Quatuor Fori portæ. 8. Viæ Regiæ *Tſjaharbaach* principium. 9. *Karwanſera Aga Salmuun*. 10. Pars horti *Muſamèn*. 11. Angi portûs. 12. Viæ publicæ, cum ſubdiales, tum fornicatæ.

§. II.


Planographia ſedis Regiæ

Diwanî.

§. II.

Palatium porta Regia.

Princeps Palatiorum eſt, quod foro maximo imminens, Portæ incumbit Regiæ, & ab inclyto aſylo ejus nominis vicino تالار علي قاپي *Talári Ali Kapì*, i. e. *atrium portæ Aali*, appellatur. Hæc porta limen exhibet marmoreum, venerationi Regiæ Majeſtatis dicatum, quod ingredientium vulgus, atque etiam hoſpites Mahhammedani Regem veneraturi, ſi id coram non liceat, proſtratis corporibus oſculari ſolent, & probè cavere tranſeuntes, calcaneo in illud ne impingant; ſecus fuſte plagas clunibus percepturi paratas, à proximo, qui adſtiterit, excubitore. Limine ſuperato, ambulacrum ingredimur ſubdiale ducentorum paſſuum, ſciſſo lapide ſtratum, utrinque clauſum parietibus, ex albicante laterculo factis, decenterq; eum in modum fornicatis, ut ad conſidendum ſcamnorum ſeriem exhibeat. Dextrum ambulacri latus faciem Aſyli, ſiniſtrum, horti *Tawilèh* conſtituit; finis portam objicit, quâ, per domus quaſdam minutulas, & connexas gynæceo pergulas, inimus viridaria Regia, ex quibus primarii nominis ſunt, *Tſjihìlſetuun*, *Chilwet* & *Engeriſtuun*. De præſenti autem palatio ut dicamus, duo introitum decorant curules formidandæ magnitudinis machinæ bellicæ, ex orichalco fuſæ, una mortarium, altera tubus octangulus, octo cum dimidio paſſuum longitudinis; quem tubi excipiunt diverſi generis minores viginti tres ſupra centenos; alii in occupatione Ormuſii Luſitanis, alii Turcis in expugnatione Babylonicâ erepti, & longâ hîc ſerie usque *Harami* ante ingreſſum, ad oſtentationem expoſiti, quamvis plurimi negligenter jacentes humi, ſine ſcapis & curulibus. Ipſum ædificium quadratæ figuræ eſt, ex laterculo ſtructum, cancellis undique feneſtrarum vice nitidiſſimis decoratum. Ima ejus pars, amplis pervia fornicibus, populo concedit tranſitum, portam ſimul oſtentans, quam dixi

(Figuram vide p. 170.)

Re-

Regio honori ſacram; quod ſupereſt ſpatii, conclavia refert pro conventibus Senatorum & judiciis exercendis. Media pars in plures cameras diviſa eſt, quarum aliæ Regiis quibusdam ſupellectilibus reponendis, aliæ pro diurnâ quorundam officialium commoratione ſerviunt, quos aulæ & excubiis præſentes eſſe oportebat. Summæ contignationis pars anterior, quaſi in theatri formam aptata, & per totius palatii, quà forum reſpicit, latitudinem expanſa, atrium exhibet planè auguſtum atque magnificum, quod publicæ hoſpitum admiſſioni ſacratum eſt, ei præſertim, quæ ſub novi anni auſpicium ingruit, omnium ſolenniſſimæ; prærerea conſeſſibus patet aulicis, ſive quid Regi cum Proceribus deliberandum, ſive feſtiva in foro ſpectacula celebranda incidant: Hoc fine tribus omnino lateribus nudum eſt patulumque, cancellis ſaltem tripedalibus limine tenus circumductum, ut immunis à caſu eſſet accubitus, quem ſuperbiſſimè opacant roſei coloris vela holoſerica, ſupernè pendentia. Lacunar planum eſt, nitidè tabulatum, columellis nixum octodecim, in triplicem ſeriem diſpoſitis, longis, tenuibus, ligneis, non quidem ad Græca architectonicæ præcepta, ingenioſè tamen ſculptis, & unà cum lacunari ac parietibus auro & ultramarino variegatis. Ciſternam in medio habet aquâ limpidiſſimâ bullientem, marmoream, quadratam, amplitudinis tantæ, quantam capiebat intercolumnium. Cetera omnia ſuperbè ex genio artis Perſicæ elaborata atque diſpoſita ſunt. Poſterior contignationis pars duplicem refert ſeriem conclavium, ſed quæ ſoli ſerviunt Regi & ſpadonibus, quòd ex iis proſpectus pateat in aream Gynæcei. Supremitas domûs pavimento tegitur plano, in cujus medio ædicula prominet; quam ajunt hydraulicam eſſe.

باغ طويله *Bagi Tawileh*, i. e. Hortus ſtabulationis; ſpatium duobus ambulacris, uni, quod à foro ad gynæceum, *Palatium & hortus Tawileh.*

 alte-

alteri, quod ad hortos ducit, intercalare occupat, adeoque ſatis anguſtum & paucis areolis inſtructum. Ita verò dicitur, quod illo loco quondam ſtabulabantur equi illi, quos ſemper præſto eſſe pro Regio aſcenſu oportet. His nunc ad alterum gynæcei latus collocatis, acquiſivit nitidiſſimi ſpeciem viridarii, duplici præſertim opere ſuperbientis: palatio nimirum & lacu hydraulico. Palatium pene majorem horti latitudinem ad finem occidentalem claudit. Anterius ejus atrium, ſive *Talaar*, lacunari operitur tabulato, quatuor innitente columnis octangulis; marginem pavimenti, tribus ab areâ gradibus elevati, (ſicut in omnibus hujus nominis & ſtructuræ atriis) cancelli limitant tripedalis altitudinis lignei; mediam ejus ciſternam, quadratam, amplam, marmoream, multis in medio radiolis ſalientem, coronat candelabrum deſuper pendens criſtallinum, quondam *Venetiis* dono miſſum. Dorſum atrii fornicem elegantiſſimum, (*Eiwaan*) & in eo Regiæ ſedis locum exhibet, cum admiſſio celebratur. Omnia hîc, columnæ, parietes, lacunaria, aureis floſculis, ſtellis, flexuris decorantur, quorum interſtitia, vitreis ſpeculis obducta, oculos intuentium mirificè capiunt. In hoc palatio, cum Admiſſio haberetur, reſtituebat atrii anguſtiam præliminare ſolum; quod eo fine aulæis magnificè tegebatur, & conſidentes expanſo ſupernè velo, à radiis ſolaribus vindicabat. Palatio lacus opponitur ſpatioſus, ex candidiſſimo marmore artificioſè ſtructus, & per horti longitudinem tantùm non omnem extenſus, cujus mediam, qua portam reſpicit, longitudinem diæta dividit ſubdialis, marmorea, in margine clathrata, & paucis à ſolo gradibus eo fine elevata, ut ſalientium murmur & ſuavitates conſidentium ſenſus utrinque afficiat. Terni in lacu ſpectantur aurei tubulorum ordines, lympham vario luſu ejaculantium: quorum medius ex ipſa undæ ſuperficie emicans, vim humoris modò in præceps unico ejaculatur radio majo-

(*Figuram vide p. 35.*)

majori, modò radiis undique in orbem ſpargit innumeris ac ſubtiliſſimis: dum uterque marginalis denſiori tubulorum acie aquam obliquo arcu in ſublime evibrat, nihil lapſu turbantem medios luſus, ſed ante hos ſuavi ſtrepitu depluentem.

Aſyli, quod Turcico aulæ idiomate علی قاپی *Aalì Kapì*, i. e. *Aali portam*, alii الله قاپی *Allah Kapì*, i. e. *Dei portam*, honoris cauſâ appellant, paucis quoque meminiſſe topographiæ intereſt, quam hîc damus. Domûs Regiæ locus eſt, in quem cujuſcunque criminis inſimulati, (homicidium excipio) refugere, & à manu judicii poſſunt deliteſcere, quàm diu ibidem vivendi remedia ipſis ſuppetunt. Area ejus licet anguſtior ſit, paſſus nedum centenos in latitudine, ducentos in longitudine referens, profugorum tamen in uſum, neceſſaria complectitur dormitoria ad ſiniſtram, ad dextram verò hortulum paucis pulvillis ornatum, & pro abluendo corpore ciſternam debitæ menſuræ, aquæ recentis plenam, qualem & ante introitum in veſtibulo exhibet. Media verò, ſacellum habet octogonæ figuræ, alto fornice faſtigiatum, cujus alterna latera patent ingredientibus, aſcenſu ſine gradibus & ſatis moleſto, quia pavimentum tribus à ſolo pedibus elevatur. Latera ſingula decem paſſuum exhibent latitudinem, ex quo in proclivi eſt amplitudinem colligere. Servit devotioni cùm ibidem deliteſcentium hoſpitum, tùm atrienſium *Sopì;* qui ex majorum inſtituto diebus Veneris in eo conveniunt, preces pro incolumitate Regiæ Domûs declamatum, voce cantantium non abſimili. Aſylum intrare nemo armatus permittitur; ego tamen gladio inſtructus in eo tertiâ vice ſpectatum comparens, non aliud audivi indignantis verbum, niſi: *inſuetum ſibi eſſe, gladio accinctum videre hoſpitem.* *Aſylum.*

Ambulacri finem pergulæ & fornicatæ quædam domun- *Palatium*

& hortus Tſjihilſetuun.

munculæ librariæ, vinariæ, penuariæ utrinque excipiunt. Quibus relictis devenimus in ſpatioſiſſimum viridarium, quod à pluralitate columnarum, quibus palatium ejus innititur, nomen ſortitum eſt چهل ستون *Tſjihil ſetuun*, i. e. quadraginta columnarum; licet octodecim ſaltem invenias: pluralitatem enim incerti numeri genius linguæ *quadragenariô* exprimit. Hortus ampliùs trecentos paſſus habet in longitudine, pauciores in latitudine. Maximum ei decus eſt multitudo Platanorum procerrimarum, in totidem ordines per horti longitudinem directa, ut tria conſtituant ſpatioſiſſima ambulacra, & æquali ramorum extenſione magnificè obumbrent; præterquam quòd ad horti quoque limites, ut in plerisque ceteris, umbroſâ ſerie decurrant. Gemina hîc ſpectas palatia inſigniora: Unum atque maximum in horti medio ſitum, quod *Tſjihil ſetuun* vocant, Regiæ magnificentiæ opus eſt, lateritium partim, partim ex cæſo lapide fabricatum: Areæ inſiſtit amplæ, ſaxo polito ſtratæ, cinctæ in quadratum alveolo, multis fonticulis hic ibi ſalientibus gratioſo; Figuram habet quadratam oblongiorem; ſtructuram multis concamerationibus, pergulis, oſtiis, cancellis, fornicibus intus extrinſecusque decoratam, planè ad indolem architecturæ Perſicæ, noſtris oculis peregrinæ. Frons Orienti ampliſſimum opponit *Talaar*, ſive atrium apertum, triplici columnarum octangularium ſeriei inſiſtens, in latitudine quadraginta quinque paſſus complectens. Pavimentum aulæis, Phrygiâ arte textis, conſtratum, triplicem præbet ratione altitudinis diſtinctionem: prior enim pars à communi ſolo ad gemini pedis altitudinem elevata, inſtar majoris proſcenii eſt, in Regiis conviviis receptioni dicata hoſpitum. In hâc vides ciſternam octo paſſuum quadraturæ, duplici gradatam limine marmoreo, candido, pellucido, cujus in medio unda luxurioſè bullit, viis haud

con-

conſpicuis rurſum evaneſcens: Altera pars ab illâ quatuor gradibus eminentior, tricliniis ſternitur Senatorum, ſive Regni Procerum: Inde pavimentum uno gradu celſius, in ipſum quaſi ſinum ædificii protenditur; craterem exhibens aquæ ſalientis elegantiſſimum, ut ut pro loci conditione anguſtum; ac paulò remotiùs, *Eiwaan*, ſeu fornicem medium, artificioſè ſtructum, & in eo ſedem diſcumbentis in convivio Majeſtatis. Lacunar, columnas, parietes, feneſtrarum clathras, & in alto conſpicuos tot cancellos, pergulas, fornices, ſtudioſa manus colore pinxit vario, præſertim ultramarino, interſperſis ubiq; aureis floſculorum ductibus. Magnificentiam auget lacus viginti paſſuum latitudinis, puriſſimus, palatii tum dorſo, tum frontiſpicio oppoſitus, & utrinque ad viridarii usque finem protenſus; in quo permultas humoris limpidiſſimi ſcaturigines, innatantium volucrium cohortes, ludentesque arborum imagines, trunco fuerit & ſtipite quovis durior, qui ſine voluptate aſpiciat. Alterum ad meridiem habes ſtructuræ quidem minoris palatium, muro interpoſitum vicini horti *Chilwèt*, utriq; ut decus alterâ ſui parte tribuat. Pars huc prominens figuram præfert pentagoni, & aptatum eidem figuræ atrium: in cujus tum aditu, tum ipſo pavimento, hydraulici ſpectantur crateres formâ & ornatu multiplici: parietes, ut cetera taceam, duas referunt ingentes mappas, in quibus quædam belli Perſici hiſtoriæ maximo ac inimitabili, non arte quidem, ſed ſtudio & patientiâ depictæ ſunt. Reliquas horti domunculas, muri ambientis ornatum, aquæ ductus, opera topiaria, puvillorum denique nitorem, & in iis varios Floræ luſus omittimus.

Hortus hunc excipit خلوت *Chilwèt*, i. e. *ſecretæ admiſſionis*, ducentorum non ampliùs paſſuum longitudinis, quam latitudo menſuram non attingit. Muri hunc *Hortus Chilwèt.*

cingentes, ornatûs gratiâ fictas referunt fornicum ſpecies, excepto auſtrali, qui gynæceum ut muniat Regium, in miram altitudinem educitur. Murus occidentalis mediâ ſui parte ædificio intercipitur, & in fine, ubi gynæceum attingit, validâ munitur turri, oſtiolo pertuſâ, per quod ſoli fas eſt prodire Principi; ubi horto *Tſjibil ſetuun* connectitur, ejusdem figuræ & roboris columbarium reperitur. Areolæ & pulvilli lectiſſimis varii generis floribus nitent. Ambulacra lapide polito ſcitè ſunt teſſellata; ornatum iis cancelli conferunt tetrapedalis altitudinis, ad margines poſiti, quia Platanorum decus ubique, exceptis duobus horti lateribus, exoleverat. *Duo* hortus *palatia* complectitur; *primum* & potioris notæ eſt, quod cum ſuperiori horto commune habet; majori enim ſui parte prominendo, *talaar*, ſive atrium, pandit Regio conſeſſu non indignum. Hujus tria patent latera, ſummum lacunar columnis octo ſuſtinentia, nullis earum in medio poſitis. Pavimentum, ex quadrato lapide ſtratum, quaternis à terrâ gradibus elevatur, more gentis, quæ humi conſidet, aulæis culcitrisque magnificè opertum. Medium, ciſternam exhibet marmoream quadratam, ex quâ humor latiori exitu in ſolum horti devolvitur. Dorſum atrii, multis oſtiis conclavibusque diſtinctum, medio hiat intervallo, deſignante locum ſedis Regiæ. In ſupernâ ipſius parte pergulam vides transverſam, & ſecundæ contignationis conclavia quædam, cum fornice uno medio, omnia picta, ſculpta, & floſculorum bullis concinnè incruſtata. *Alterum* habet *palatium* ad murum occidentalem, qui hortum limitat, *Enguriſtuun*. Structura ejus, à priori diverſa, ſpatioſo decoratur arcuati operis conclavi medio, ad quaternam ædificii faciem protenſo, ſingulos ad angulos ſecludens triclinium pulchrè concameratum. Ciſterna in medio pavimenti, paucis à ſolo paſſibus elevati, marmorea, quadrata, limpidiſſimam eructat, & ductu haud

con-

conſpicuo reſorbet aquam, in crateribus, ante palatium poſitis, redivivam; Ex his inſignioris elegantiæ eſt, qui ante frontem ædificii meridionalem poſitus, gynæcei oſtiolo proximè opponitur, quadratum primò oſtentans marginem, inde duplici gradu profundior, pulcherrimo flexu circumductus, qualis ſtructuræ & alterum habet ante faciem, explicatam in horto *Enguriſtuun.* Parietes aureis & ultra marinis decorantur lineis floſculisque, & mappis aliquot ingentibus, patrio penicillo pictis. Utriusque palatii frontiſpicio ad elegantiam opponitur areola quædam, in horti, &, qui eum dividit, ambulacri medio poſita, rotunda, peripheriæ triginta paſſuum, quatuor à tellure pedibus elevata, margine cancellato. تَكِيَه *Tekjeh* talia vocantur loca, eum in finem etiam in publicis viis exſtructa, ut ſerviant confeſſoribus ad otiandum, cum voluptate, dum & aurâ fruuntur liberâ, & eminus proſpiciunt. Superficies venuſtè teſſellata bullientem in medio craterem exhibet octagonum; baſin à modico intervallo rivulus circumfluit, ab utroque palatio adductus; hinc porrò per ambulacri longitudinem decurrens, ſub horti exordium abſorbendus.

اَنْكُورِسْتَان *Enguriſtuun*, id eſt, *vinetum*, ita dicitur hortulus à vite, quâ pro uſu adjacentis gynæcei conſeritur, longis perticis in ſeriem alligata. Ad utilitatem igitur magis, quàm ad voluptatem adornatus, exteriorem nitorem ubique non refert; domuncularum tamen, arborum & ambulacrorum gratiâ, præſertim liquoris præſentiâ & aquæductibus, per interordinia decurrentibus, non deſtituitur. *Hortus Enguriſtuun.*

Auſtro-occidentalem gynæcei faciem mœnia limitant decuſſatim exporrecta, & his adſociata quædam platea, quondam publica, nunc in formam equilis redacta, in quo equi ſtabulantur quadraginta, parati pro Regiâ deambu- *Equile Regium.*

ambulatione. Ceteri diverſis in locis aluntur, ratione pretii, coloris & ætatis diſcreti. Ultra hæc mœnia poſiti ſunt horti terni, Regiæ frequentationi patentes, proclivi per gynæcei poſticum ingreſſu: quorum nomina ſunt *Guldiſtèh, Gargà* & *Bulbùl.* Proximus eorum eſt:

Hortus Guldiſtuun

كُلْدِسْتَان *Güldiſtuun*, i. e. *Roſetum*, ita dictus à Roſarum copiâ. Area ejus, ex loci poſitu, figuram ſortita octagoni; ſpatioſa quidem non eſt, anguſtiam verò compenſat nitore ſuo, & operum, quæ exhibet, pulchritudine. Ambulacra in eo ad figuræ totius normam circumjacent gemina: quorum exterior, conſitos in utroque margine Platanorum ordines, & in medio aquam, incili lapideo manantem, belle circumducit. Medium horti *palatio* decoratur ſedecim laterum & contignationis geminæ elegantiſſimo, ex laterculo partim albicante, partim incruſtato & variegati coloris, intra ambientium Platanorum umbras exſtructo. Cujus ſitum præcipuè commendant ambulacra octo, undiquaque ab horti peripheriâ in illud, velut in horti axem, directa. Utriusque contignationis fornices ſunt & triclinia, in tantillo compendio plurima, lepidè diſtincta & exornata, quorum ordines & ſtructuram exteriorem vide ſis in icone. Speculam in faſtigio, velut tertiæ contignationis ſtructuram, gerit octogonam, ex lapide murrhino, quâ arborum ad altitudinem aſpirat. Hypogea quoque habet ipſo ædificio patentiora, in quæ alternis lateribus per gradus duodecim deſcenditur, variè diviſa, fornicata, pavimentata marmore, & parietibus elegantiſſimis decorata, quorum ima ſuperficies encauſto cruſtatis laterculis contecta, reliqua aurô ultramarinôque picta nitet. Ciſternâ donantur duplici; unâ, quæ aquam deſuper ex horti ſuperficie irruentem, altera, quæ ex ſinu proprio ad lacunar usque ſcaturientem recipit, & latente gurgite abſorbet. *Alterum* habet ad mu-

murum horti *Bulbul* ex eodem cæmento *ædificium* quadratum, intus murrhino latere obductum: cui decus primarium tribuit ex alabaſtrite octangularis medii pavimenti ciſterna, ex quâ ebulliens luculentus humor per quaternas ædificii partes myrrhinis ductibus dimiſſa, ante limina abſorbetur; in crateribus, aliquot inde paſſibus extra ædificium collocatis, reſiliens. Latus horti orientale appendicem habet aream paulò depreſſiorem, quàm *Utſj mertebèh* Turcico vocabulo appellabat hortulanus, velut ſingularis hortuli appellatione. Plura compendio exhibet opera impendiis facta non exiguis; quorum inter prima ſunt ambulacra, tellure altiora, ſaxo polito elegantiſſimè tabulata, quæ alveolis in medio haud profundè quidem, ſed ad amuſſim pulcherrimè exſculptis, limpham placidè fluentem circumducunt, emenſiſque viis omnibus, ad labra vicini balnei delegant. Media illius areola politè teſſellata, *tertium* omniumque maximum ſiſtit *ædificium*, præaltum, quadratum & cinctum rivulo, marmoreis crateribus ad angulos quosque & medias palatii facies ſubindè reſtagnante. Ipſum tribus ſuperbit contignationibus, quarum ut interiora multis tricliniis & concamerationibus, ita frontiſpicia partim clauſis, partim apertis decorantur fornicibus, artificioſè ſtructis, pictis, ſculptis. Faſtigii ora clatrato ſaxo circumdata accumbendi ſecuritatem præſtat in ſummo pavimento; latendi quoque ſpeculam præbens ad faciem lateris auſtralis. Omitto utriusque vireti *Tekjeh* ſeu recubandi loca, areolarum gratiam, & ceteras Veneres. Ante horti pomœria, ſuperato veſtibulo, machinam vides hydraulicam, in quâ equi rotantis ope, aqua ex profundo terræ ſubvehitur, in vicinam turrim ligneam, ut inde per tubos dilapſa in gynæcei domuumque adjacentium ciſternis relabatur. Limpidior enim eſt (& ſola in urbe potabilis) quæ ex ſinu terræ depromitur, quàm quæ alveis provehitur.

Hortus & Palatium Utſj mertebèh.

Palatium & hortus Bulbul, ſive Heſte beheeſt.

Guldeſtano ad occidentem junguntur horti بلبل و خرگاه *Bulbul* & *Chargà*, indicandi potiùs, quàm deſcribendi; Structuras quippe conſpicuorum in iis operum, veluti ſtagnantes, fluentes, ſcaturientes aquas, ciſternarum ſpeciem & numerum, ambulacra, ſpatio, longitudine, cancellis & Platanorum ordinibus illuſtria, equeſtris ſtadii magnitudinem & ornatum, areolarum diſtinctiones, & in illis gratioſa Pomonæ Floræque certamina, omnium denique ædificiorum formam & peregrinum decus expoſituro, ſingulari Relatione opus eſſet. Poſitum uterque habet ad principium viæ Regiæ *Tſjaharbaach*, cujus topographiam ſuperiori Relatione tradidimus. Via hæc boreale horti utriusque latus claudit, paſſibus ſexcentis & amplius. Conſcenſurus equum Rex ſolenne id habet, ut per portam horti *Chargà* (ita dicti ab ejus documuncula, in tentorii formam ſtructâ) egrediatur in publicum, ante eam à militibus & coronà comitum, dum prodeat, expectandus. Uterque preſſè copulatur, ita ut magnificentiam alter alteri impertiri videatur, præſertim arboreorum ordinum, ambulacrorum, aquæductuum, & qui per utrumque dirigitur, *Hippodromi* harmoniâ & productione. Obiter dicam: ingreſſum hujus ſtadii, præter geminam columnam, duas referre curules machinas, ex ære fuſas, quanquàm molis non admodum magnæ, quarum alter fabri ſui nomen Europæum, cum anno æræ Mahhammedanæ, his profitetur: *Johannes Burgherus me fecit* 862. Sanè hortus *Bulbul*, qui nomen quondam ſortitus à vivario, vel luſciniis videtur, à Regibus *Sefi*, *Abaſſo II*, & *Solymanno* noſtro, ambulacrorum conſeptorum, palatiorum, operumque topiariorum & hydraulicorum multitudine ita auctus & exornatus eſt, ut par ei venuſtate nullus reperiri in toto regno dicatur; præſertim poſtquam medio ejus palatio, (cui nullum ex omnibus Regiis pre-

pretio & pulchritudine comparandum) ultima denique artificum manus, atque hôc ipſo incomparabilis operis nomen هشت بهشت *Héſte beheſt*, i. e. *octavi paradiſi*, magnificè impoſita ſunt; ex quo & ipſe nunc hortus *Bagi heſte beheſt* nuncupari promiſcuè ſolet. Paradiſium illud ædificium, ut non nihil de hoc ſolo dicamus, in medio exiſtit areæ ſubdialis ampliſſimæ, ſaxis quadrangulis teſſellatæ; à modico intervallo ſedilium marmoreorum ſerie, mox rivulo etiam fluente cinctum. Situm commendant ambulacra, ab horti limitibus in omnem palatii faciem directa, ſpatioſa, Platanorum ſeriebus, & cancellis inſuper in utroque margine decorata. Ex his, quæ à Septentrione vergunt in meridiem, intercapedine ſuâ areolas complectuntur floſculis pulchrè conſertas; quæ ab occidente in orientem decurrunt, aquam, ſubterraneis faucibus in horti ad *Tſjarbachum* exordio pullulantem, protendunt, lacu exceptam latitudinis undecim paſſuum, ex quadratis ſaxis fabricato, in cujus ſuperficie ludentes aurei coloris anates, cygnosque plurimos cum voluptate videris. Ipſum palatium quadratam obtinet, vel ob compreſſos angulos, octogonam quodammodo figuram: quacunque ingrederis, atrium habes obvium, magnificè adornatum, reductis ad latera cellulis, ac uno ad centrum ædificii præalto conclavi, quod pro corporis refrigeratione adornatum, aquam ingenti ciſternâ fovet bullientem, & auram foris undiquaque ſpirantem ex ſummo pavimento per ſtructuram pnevmaticam allicit; ut lepidiſſimas taceam partitiones contignationis ſecundæ, ſingulas ſtructoris ſui ſtudium atque ingenium ſingulariter teſtantes. Habes, quod in hoc palatio admireris peregrinas marmorum, & lapidum ex Hetruriâ delatorum ſpecies; ciſternas varii cæmenti & moduli, operoſè fabricatas; ſpecula artis Venetæ majora, teſtudine marginata;

ima-

imagines penicillo inclytorum artificum pictas, vitroque obductas Veneto; habes ſpecioſiſſimos pergularum receſſuumque ordines, pulcherrimo hiatu deſuper in conclavia incumbentes, habes fornices inimitabili arte, auro, varioque ornatu conſpicuos. Ex ornamentis conclavium, maximè placebant Regis moderni, tum aliquot Reginarum ſuperioris, quod dicebant, ſeculi effigies, ſtaturâ integrâ pictæ, manu nequaquam indoctâ, quamvis Perſicâ; perennis aquæ in auguſto conclavi tumultus, per decuſſatum marmor ex ſuperiori lacunari magnâ copiâ delabentis, gratiſſimus adeo, ut difficile ſit ad ejus ſpectaculum conſidenti, non obdormiſcere; Januæ ex ligno ſingularis texturæ, in quibus veſtigia fibrarum auro tincta, verniceque, quâ totæ nitebant, obducta erant, ut naturæ ſtudium artificii venuſtas conſervaret non modo, verùm etiam commendaret; Ciſterna modicæ capacitatis, ex puriſſimo argento fuſa, magni ponderis & pretii; manuſcripta pictaque inſolentioris exempli, convoluta ac intra receptaculi cancellos aſſervata. Et quis omnia enotaverit? Argus fuerit centum inſtructus luminibus, adeo ſe ubique oculis offerunt, quæ admiratione hoſpitem perfundunt, tantò omnia rariora, quantò minori contenta compendio ædificii, non ultra triginta paſſus in utramque dimenſionem extenſi.

Horti ſuburbani.

§. III.

Præter vicina gynæceo, plura Regi viridaria patent extra urbem, Palatiis, pro admittendo hoſpite, magnificè decorata, quædam & cryptis inſtructa pro fœminis, ſi quas comites adduxerit, abſcondendis. Illuſtriora ſunt باغ قوش خانه توکچی *Bagi Kuſj choneh Toktſjì*, id eſt, *hortus & domus falconum* (extra portam) *Toktſjì; Baagi Komèk*, i. e. *hortus ſubſidii; Dſijaruun*, ſive *angeli amicorum; Kuli padiſjah*, i. e. *mancipiorum Regis*, quali nomine

&

& totus venit ſuburbanus, in quo extat tractus; *Sabadaat abàd*, i. e. *habitatio beatitudinis; Chali Arak*, i. e. *nævus*, ſive *centrum* (quod credunt) *Parthiæ*, habitatus olim à Principe *Uſum Chan;* & denique contiguus *Tſjaarbachi* finibus

باغ هزار جريب *Bagi haſar dſjeriib*, i. e. *hortus centum jugerum*, ita dictus ab areæ magnitudine. Is creberrimè omnium à Rege viſitatur, unde topographiam paucis dabo. Obtinet ſitum acclivem, figuram quadratam æquilateram, magnitudinem amplius mille trecentos paſſus in longum latumque pariter extenſam. In duas autem partes æquales, quaſi in geminum hortum, transverſo muro diviſus eſt, eum fortaſſe in finem, ut dum in anteriori Sereniſſimus cum conſortio verſatur, poſterior ſequiori ſexui manſionem præbere poſſit, ſi hôc comite advenerit. Sed hodiernus Rex intervalli tam longi impatiens, gynæcei caveam poſuit in receſſu horti prioris. Totus autem hortus, vel uterque, ſi ita loqui malumus, in areolas diſtinguitur quadratas, eam in rem ambulacris ad octoginta paſſuum diſtantias in longum latumque diſtinctus. Solum illi ut plurimum arenoſum eſt & ſterile; fœcunditatem conciliat rivus *Tſjubuſja*, à tribus inde paraſangis ex flumine *Senderuut* adductus, (cum duobus aliis *Biſtupenſjè* & *Abiniil*, in *Sjulfam* directis) qui dum intra horti pomœria receptus, juxta murum auſtralem, adeoq; in parte extimâ & altiore profluit, rivulos minores liberali undâ gravidos per alterna ambulacra effundit; qui rurſum per omnes areolas diffluentes, ſæpe etiam ciſternis minoribus retenti, arboreos circa viam ordines, ac pulvillorum alumnas quaſq; plantas irrigant fœcundantque. Areolarum aliæ herbis conſitæ ſunt & oleribus; aliæ arbores fructiferas alunt, in quincuncem quodammodo diſpoſitas, veluti Cydonias, Punicas, Apricotias, Perſicas,

Hortus centum jugerum Haſar dſjeriib.

cas, Armeniacas, Berberes; aliæ floriferis decorantur arbuſculis, quales ſunt, Roſæ noſtrates & Sinenſes, Jaſmini triplicis differentiæ, arbores Judæ, criſtæ Pavonis *Breynii*, *Bidmisk*, ſeu Salices Perſicæ, julis odoratis, noſtris Botanicis hactenus ignotæ, Oleæ Bohemicæ. Ex ambulacris alia Platanorum denſâ ſerie ſunt marginata, præſertim, quæ per mediam diriguntur horti longitudinem; alia arboribus ac ornatu omni carent; alia Pinos ferunt, præſertim, quæ hortum juxta muros ambiunt. Caput & ſplendor totius viridarii eſt ambulacrum ejus medium, *Tſjaarbacho* in rectâ lineâ reſpondens, vel, ſi veſtibulum tollas, continuum, utrinque Platanorum duplici ordine decoratum. Illius medium alveus decurrit hydraulicus latitudinis duorum paſſuum, ex ſaxis quadratis concinnè commiſſus; qui ab extimo poſterioris horti palatio, ad horti prioris usque veſtibulum, ſuperbo ſpectaculo inſignem deducit lymphæ copiam, anguſtas inter oras lento tractu fluentis, nunc ſalientis etiam ex tubulis æquali locatis ſerie & intervallo, mox ſtagnantis in ciſternis variæ magnitudinis & figuræ lapideis; ſubinde quoque per marmor erectum ad orgyiæ profunditatem importuno murmure cadentis in ſolum ſubinde depreſſius; donec utriusq; horti emenſa longitudinem, ante veſtibuli introitum abſorbeatur; mox ultra palatium rediviva, tumultus, quos ſupra allegavi, exhibitura etiam in *Tſjaarbacho*. Gratiam ſingulariter augent lacus duo ingentes, octogoni, ex polito lapide operoſè facti, quorum unus in horti anterioris, alter in poſterioris medio alveum intercipit, cymba uterque inſtructus, & ſiphone uno ingenti in medio, pluribus in margine; ab utroque latere ſtipatus domunculâ lateritiâ, multi laterâ, arcubus ſpatioſis ad omnem auram patulâ, planè peregrinæ ſtructuræ & venuſtatis. Decus non minus tribuunt gradus lapidei, utrinque ad aquæ cadentis præcipitia eleganter collocati; eo fine, ut deam-

deambulationes facilitent, alioqui moleſtiſſimas, ſi per ſuperficiem perpetuo acclivem eluctandum foret. *Tria* in ambulacro exhibentur *ædificia* majora; *unum* in principio, quod *Tſjarbachi* viam terminat; *alterum* in medio, intergerinam interrumpens horti maceriem; *tertium* in fine poſitum: omnia præalta, quadrata, ex teſſerculis lateritiis, ad Perſicam architecturæ normam, nitidè artificioſèque extructa. Gynæcei clauſtrum, ad hoſpitii publici ſimilitudinem, in camerarum ſeries diſpoſitum, aream claudit mediam quadratam oblongam. Hippodromus illi adjacet, malo columniſque inſtructus, ciſternas minores quoque complectens, & fonticulos aliquot ex ſinu terræ ſcaturientes. *Columbaria* ne prætercam quatuor; quorum ad ſingulos horti poſterioris angulos unum collocari voluit fundator. Referunt illa figuras propugnaculi, vel amplæ turris. Materia ſole excocti lateres ſunt; faſtigium coronidibus ac riſcorum ordinibus decoratur. Interior ſuperficies ad ſummum usque lacunar, cellularum aliquot millenarum ordines exhibet, in quibus nidificare columbæ poſſint, non alium præſtituræ uſum, quàm ut vectigal ſtercoris ſui deponant, bis quotannis colligendum, pro fœcundandis melonibus & peponibus; ipſis tutè viventibus. Sæpè non alio ſcopo, quam pro locorum pompâ exſtruuntur, quòd ſupra ædificiorum menſuram longè prominendo, oculos peregrinantium è longinquo alliciant.

Ultra hortum ab unico ſtadio prædiolum jacet, in aſcenſu montis *Sophà*, quod à ſtructore, hodierno Rege, nomen obtinet *Tachta Solymann*. Illuc dum per arenas enitimur, ad dextram videmus *Gabriſtaan*, i. e. ſuburbium gentilium *Gaberorum*, cum ſpatioſiſſimo cœmeterio Chriſtianorum Armenorum, ad ſiniſtram Gaberorum collem ſepulchralem; cujus turrim, quibus cadavera mortuorum exponebant, *Sjah Abbas II.* tormentorum globulis, ex prædicto

Tachta Sophà.

dicto horto miſſis, disjecit, offenſus gentiliſmi tam vicino ſpectaculo. Altera non procul inde apparet turris, ab aulâ accuratè unâ paranſangâ diſtans, *Mili tſjatìr daunì*, i. e. *meta celerum* dicta. Nomen ex eo nacta eſt, quòd ſerviat inter Regios hemerodromos recipiendis pro metâ, ad quam, artis exhibituri ſpecimen, ex foro aulico duodecies curſare ultro & citro debent, hinc ſubinde telum ad turrim, inde in forum aliud referentes, contacti utrobique termini ſignum. Actus multâ aulæ ac civitatis feſtivitate peragitur: civibus ſtadium vicatim ſtipantibus, & inſtrumentis muſicis applaudentibus prætercurrenti, qui non audet in viâ moram trahere, mingere, vel humoris quicquam adſumere. Sic itu reditùque ſtadium intra ſolis ortum & occaſum duodecies emenſus, conſummati ac Regii curſoris titulo, plurimisque ab aulâ præmiis donatur. Ipſum prædiolum horroris & ſolitudinis theatrum eſt, lacunoſo rupis dorſo decumanis laboribus affixum, anguſtas referens areolas oblongiores quatuor, ſubinde altiores atque invicem imminentes, ad quas gradibus impolitè ſtructis, partim etiam rupi inſculptis aſcenditur. Nihil hîc auguſtum, nihil Conditore dignum invenio, niſi longiſſimè circumſpiciendi ſtationes, latendi cryptas quasdam, & inconditæ figuræ turriculas, hirundinum nidis non abſimiles. Ut tamen quisque ſuos diligit fœtus, ita in illis nidis frequens latere amat ſereniſſimus fundator, cum aliquâ gynæcei parte; quam, dum toties deducit, magnam *Sulfenſibus* creat moleſtiam, juſſis interea, publicatâ fugâ خروج *Khoruuch*, domibus ſuis exulare. Montis faſtigium ampla habet munimenti antiqui, & diruti oppiduli veſtigia, ad quæ difficulter penetramus; arcis etiam rudera in ſummo apice exhibet ab hinc unâ paraſangâ, altera montis extremitas *Ruſtano* inſcripta, quæ periculosè rimatus ſum; non procul inde ad radicem crypta conſpicitur,


Tachta Sopha

citur, in quâ ſtatis temporibus feſta ſua celebrant gentiles Benjani. Sed de his narrare, Relationis ſcopus non permittit.

Habes primam Regiæ manſionis partem, Hortos: ſi non penſilibus Semiramidis & Cyri, aut Alcinoi Heſperidumque ſimiles, tantopere à Poëtis, lepidiſſimis mortalium, collaudatis; nitidiſſimos tamen, & quos omnium in Oriente Regum viridariis, ob magnificentiam poſſis anteponere. Noſtratium Principum hortis eos æquiparare nolo, quòd operum in illis conſpicuorum non ſemper molem, varietates & ingenium exprimant; affirmare tamen audeo, neminem eſſe toto terrarum orbe, qui hortos totidem pulcherrimos, cùm circa Sedem ſuam, tum in remotiſſimis urbibus & provinciarum receſſibus, ſuâ & majorum ſolertiâ adornatos, poſſideat; aut qui in eorundem culturam & conſervationem maximos ſumptus lubentiori animo expendat, atque Perſarum Principes. In eo quippe reponunt non minimam beatitudinis ſuæ partem, ſi, inter hortorum delicias, latere cum fœminis & vitæ tempus exigere tranquillè poſſint; haud impigri, plantationes atque operas hortenſes ipſi dirigere, ſuo ex ingenio nova molimina deſcribere, novosque hortos condere, in locis etiam ſalebroſis & deſertis. *Abas Magnus*, qui ſedem Regiam poſt *Thamaſpum* primus repoſuit *Isfahani*, non modo condendæ Domûs Regiæ, atque extendendæ etiam urbis loca ipſus definivit, ſed plurimorum, quæ recitavi, viridariorum ſitum, magnitudinem, limites deſcripſiſſe, locorum conditionibus aptaſſe, & in *Tſjaarbachi* delineatione amuſſim ſuâ manu tenuiſſe dicitur, *Cyri* non ſatis laudandus imitator, qui, ut in libris *Xenophontis* legitur, Regale idem exiſtimabat ſtudium; non rarò plantas ſerere, atque arborum demetiri ſpatia, ſuâ etiam manu ſolitus.

RELA-

RELATIO XIV.

Gynæceum Regium.

§. I.

Topographia.

Ne ſuperioris capitis lectionem nimiâ gravaremus mole, Gynæceum Regium hîc ſigillatim proponimus. حرام *Haraam*, ſeu Gynæceum, in foro quoque maximo, 80 à portâ Regiâ paſſibus, palatii præliminaris frontem explicat; ſtructura lapidea eſt, modicæ altitudinis, non ultra porticus, quæ forum cingit, metam prominens, ſed citra limites ejus retracta. Introitum ſtipant ſclopetariorum cohortes aliquot, ex legionibus mancipiorum; quibus nonnunquam una & altera auxiliaris jungitur, ex peditatu gregario, alioqui vigilias ſaltem agente, circa ambientes muros. A veſtibulo ambulacrum protenditur ſubdiale, paſſus latum duodecim, ſaxis politiſſimis tabulatum, & utrinque muro arcuati operis limitatum, in quo milites prætoriani, quos *Jedſjirì* vocant, excubias centuriatim conſtituunt. Ambulacri ſuperatâ longitudine (quam habet 150 paſſuum) portam contingimus primariam, extus Janitoribus *Sopì*, intus albis munitam ſpadonibus. Hæc tota cæruleo imbuta, iconem exhibet *Mithræ*, i. e. Solis (detorta vox eſt ab obſoleto *Mehhiir*, quod Solem notat) prægrandem, auream & ſparſo in orbem jubare radiantem. Sanctitatem loci, non alia ornamenti ſpecies, myſtico gentis judicio, gravius exprimebat, quam Mithra, ſive Sol, qui cœlo decus, univerſitati lux & vitæ focus præpoſitus eſt. Solem igitur pro ſummo Numine (veriùs pro larva Numinis) antiquitas colebat, ejusque ſimulacrum adoptabat abſolutæ potentiæ ſuæ inſigne, quod & domi ſtatuebat togatæ Majeſtati præſidium, & in campo ſignis præferebat militaribus; ita animos accenſura objectu rei, quæ uno quaſi complexu Divini

vini Numinis imaginem, & Majeſtatis Regiæ præſentiam innueret. Nec eum credendum hîc eſt *Q. Curtio*, qui L. 4. *Lunam Perſis, Solem Græcis* attribuit; nec rudera Mediæ attendenda ſunt, cum bubulum caput inter duos Leones poſitum non rarò objiciunt: cum hæc non Monarchici Imperii Perſarum, ſed alius Regni ac temporis monumenta ſint. Perſidis Parthiæq; ruinæ ſæpe Leonem ſiſtunt ſtantem, ſaxo exſculptum, ex vetuſtis inde ſeculis, quod perhibent, Perſici Solii Inſigne, verùm Sole ſociatum, quem pleno rictu lucentem continet, variâ quam faciunt emblematis, ſed faſtûs & arrogantiæ plenâ ſemper interpretatione. Ætas igitur hodierna, quanquam Monarcharum veterum inſolentiæ renunciaſſe videatur, ab eâ tamen non adeo facta eſt aliena, ne, quem Solis ſocium & fratrem receptiſſimo appellat encomio, eum Solis quoque Inſigni decorare, & ſecretioris palatii frontem eodem conſignare dubitet. Ipſa hoſpitii muliebris area anguſtis terminatur limitibus, decempedas quadratas vix ampliùs ter mille continens; figura irregularis eſt, & polygona, ad triangularem tamen utcunque inclinans: cujus latus orientale foro opponitur; ſeptentrionale hortos reſpicit; tertium mœnibus clauditur, à ſeptentrione in orientem oblique decurrentibus. Ingredientem excipit magnus gynæcei Janitor, eunuchus albus, (hodie manſionem in urbe habens) ſatellitio ſtipatus caſtratorum ſui coloris, circiter quinquaginta, quibus hæc interioris gynæcei limina credita ſunt cuſtodienda, non audentibus intrare ipſa ejus penetralia, niſi à Rege vocatis. Vicinum hîc habes conclave, in quo intromittuntur cum Sereniſſimo collocuturi Regni Antiſtites, ut & Magnates Magnatumque filii, ad vigilias veſperi comparentes; has enim, in Majeſtatis honorem, diſtributis inter ſe vicibus, terni ſingulis noctibus habent; priùs nomina ſua profeſſi ſchedulâ, quam ſummus Cubicularius, *Mehter*, Regi poſtulanti exhibeat. Turba

ba mox ſpadonum nigrorum ſequitur, interioris oſtii, per ordines ſuos, ſtipatores, & interiorum conclavium non minùs, quàm fœminarum cuſtodes conſtituti: quibus veſpertilionum inſtar circumvolare, cameras & latebras perrepere, ſingularum inſpicere & cenſere actiones, nefas non eſt. In ipſo clauſtro primùm occurrit area, ad hoſpitii publici ideam, quadratâ ædificii mole circumducta; cujus quaterna latera ſingulæ intercipiunt fornices mediæ, *Eiwaan* dictæ, auguſtæ, auræ verſus aream patentes, ad quas duobus ex candidiſſimo marmore gradibus aſcenditur. In iis ſtrata pretioſis aulæis humus, parietes aureis ductibus bullati, lacunaria in hemiſphærium multis areolis & diſtinctionibus artificioſè cavata pictaq; omnem magnificentiæ abſolvunt paginam. Area ipſa concinnè teſſellata, medio decoratur lacu, argenteis bracteis per omnem ſuperficiem obducto, tubuliſque aureis, uno ingenti in medio, & per marginem pluribus ſubtilioribus, diſtincto: Cujus in ſtructurâ, dum abſente cum fœminis Rege, artificum manus verſaretur, ego ab excellentiſſimo Domino *Warenio*, operis directore, quaſi artis ſocius introductus, locum hucusque inſpexi, reliquæ topographiæ ignarus. Dicuntur autem, ultra hoc ædificium, ſpatia, variis minoribus palatiis, pergulis, ædiculis & manſionum claſſibus adornata, dari & conclavia illuſtriora, pro Regiæ conjugis ac principum fœminarum ſede; dari obſcuriora, in angulos remota, anguſta & parvi apparatûs, in quibus morantur ægri & tenebricoſæ vetulæ quædam, tum eunuchi capulares & impotentes; dari ſubterranea, in quibus excœcata proles Regia, ab illuſtri conſortio damnata, habitat; dari quoque clauſtro adſitas extra pomœria ædiculas quaſdam, velut cœnobia, in quibus Regia mater, aviæ, vel matronæ Regii ſanguinis, demorari poſſint. Matris, extra gynæcei muros, domum, in angulo horti *Enguriſtuun*, monſtrabat mihi hortulanus, & ab ac-

ceſſu liberiori propterea dehortabatur. Unum, in altero verſùs meridiem gynæcei angulo, conſpexiſſe mihi viſus ſum illuſtrioris notæ ædificium, cujus faſtigium clauſtri muros longè ſupereminentem referebat ſtructuram, vulgo *baad giir* dictam, per cujus ductum camino perſimilem aura quaquaverſum ſpirans in conclave ſuppoſitum devolvitur. Ut brevis ſim, quanquam anguſtum & anguloſum videatur ergaſtulum; arborum tamen ubique dives umbra, florum fragrantium lectuli, aquæ ſcaturientis copia, ciſternarum multitudo, pergularum opaci ordines, & quæcunque pro aëris temperie & deliciis corporis excogitari poſſunt, incolis ſuis neutiquam deficere dicuntur. Si quid verò amœnitati anguſtia detrahat, id adjacentes horti, quos enumeravimus, ſeptem illi, largiore ſuo ſpatio facilè compenſant; ad quos autem Rex, non conſcendendo equum, non procedendo in publicum, pedes incedere ex gynæceo per poſtica poteſt, & vel hoſpitibus aulicisque publicè hîc vacare, vel obambulare cum concivibus ſuis in ſecreto. Eapropter militum, quanquam rariores manipuli cuſtodiunt aditus eorum hortorum, qui poſtica gynæcei ambiunt, profanos inde hoſpites repulſuri, ne fortè contingat ingredientibus, incautè Dianam aliquam cum exitio vitæ videre. Ab ingreſſu nunquam ego impeditus ſum, ex Medicâ profeſſione notus, cui operantes nemo ſine cauſa repudiat.

Cives gynæcei.

§. II.

Gynæceum caſtratos nigritas alit circiter quingentos, ut ipſi aſſeverant, nec omnes tamen præſentes. Nam à Rege miſſi peregrè vagantur, alii exploratores, nuncii, inſpectores, cuſtodes; alii ſua ſponte foras, impetatâ veniâ, recreationibus vacant, aut pro gloriâ nominis, in conſtruendo occupantur opere publico, velut hoſpitio, balneo, ponte & ſimilibus. De numero concubinarum percun-

Fœminæ.

cunctari eos non æquè licuit. Ex hominibus crabrones reddidi & rabientes aſpides, cum eâ de re ſciſcitatus ſum, quantumvis antea variè conciliatos. Reſcivi Conjugem Regi unicam eſſe, Sacerdotis benedictione deſponſatam. Subinnotuit tamen ceterarum numerus, caſu prorſus ridiculo: Nimirum, per *Sulfam* ſuburbium equitabat Rex cum pedite ſuarum turmâ. Tum ſeriùs ex intimâ domo ſpectatum approperans divitis Armeni filia, tantùm pediſequos offendit ordines; ex quibus una contumelioſè ad feſtinantem: *& tu*, inquit, *accurris dactylum nobis ereptura unicum, ex cujus eſuritione laboramus quadringentæ?* Si verus ſit numerus, ſtabilis tamen non eſt; ſed creſcentis & decreſcentis lunæ inſtar mutabilis. Quandoquidem Rex Convivis ſuis, ut equos ſolet & mulos ſeneſcentes, ita ex concubinis dono dat eas, quarum frontes ruga occupare, vel ingrata ſibi præſentia eſſe ex quacunque cauſâ incipit; receptis ſubinde aliis in locum decedentium, quarum novitate delectetur. Ante dies paucos monitus: anne ex Armenis nuper raptis, & jam ad placendum compoſitis, dignari aliquam conſuetudine & alloquio velit? *Proximè*, reſpondit, *adornabo convivium, & miniſtris eas diſtribuam.* Nec omnes tamen Regiæ cives, *Kaníſe*, vel concubinæ, audiunt: aliæ earum ſervæ ſunt, ad ancillandum emptæ; aliæ Magnatum filiæ, Reginis honoris cauſâ aſſociatæ, nec imparatæ tamen ad Regis, ſi quid libeat, obſequium. Magnatum certè nemo eſt, qui unam ex filiabus, ſi poſſit, gynæceo Regio non conſecret, ut & ipſe habeat apud Sereniſſimum fortunæ ſuæ commendatricem, & ipſa graviſſimum proxenetam, qui eam aliquando illuſtri Viro deſpondeat. Si quam Rex ex gynæcei civibus viro donaverit, illa polliceri ſacramento debet, nihil ſe marito, nihil mortalium ulli revelaturam, quid rerum viderit, vel audiverit, intra Harami limites. Sic dimiſſa, viro crux fit & ineluctabile jugum. Nam lautitiis

& ſplendori ſueta, etiam ex honore Regii convictûs imperioſa, obſervari affectat & ſplendidiùs haberi à marito, ultra facultatum ſuarum modulum: nunquam impoſterum dimittenda, niſi cum Regiæ Gratiæ & vitæ ſuæ jacturâ.

Fœminarũ ordines. Non eſt muliebris ſtatus ſine ordine. Auctoritati matris Regiæ, quæ nunc Cyrcaſſa eſt, maximus habetur honos; inde Regis conjugibus; hinc concubinarum clariſſimis: quarum ſingulæ, repudiato nomine proprio, certis ornantur encomiorum nominibus, ex quibus mihi innotuêre ſequentes: *Gynæcei lux, aurora, ſtella, decus, roſa;* pro meritis verò ſuis certo gaudent numero caſtratorum, ſibi ad ancillandum dato. Neq; eas ſaltem ad numerum putes & fruges conſumere natas; artes etiam tenent, quibus indies occupantur. Hæ acu pingunt; illæ penicillo. Hæ ingenioſè texunt; illæ nent ſubtiliter. Aliæ canere, chordas tangere, tripudiare, geſticulari, vel quicquid aliud norunt, vel, ut noverint, ab aliis docentur, quò Sereniſſimo & primis gynæcei luminibus placere poſſint. Quin, in ſcientiis verſatæ dicuntur aliæ, præſertim Mathematicis; nec deficere, quæ in arcu tractandâ robur & manus exercitatas habent, quarum conſortio Rex præſertim in venatu gaudeat; &, ſi quæ nullis imbutæ artibus inveniantur, eas tamen imperitiam ſingulari morum & corporis venuſtate non infeliciter compenſare.

Spadones. Nigri pariter ſpadones, dignitatibus, & variis, quæ gerunt, officiis diſtinguuntur. Primatum obtinet *Mehtèr*, qui ſupremus eſt cubicularius & gynæcei magiſter; Secundus eſt ab eo *Kaſinadaar*, vel theſaurarius; quem excipit *Aſeb baſſì*, ephorus hæredis Regii; hunc *Iſſìk agaſì*, ſive ſummus gynæcei janitor; ſed, is plerumque eſt eunuchus albus. Inter primores quoque numerant receptorem redituum Regiæ matris, quos tribuunt Chriſtiani Sulfenſis ſuburbii; tum qui Regis triclinio inſerviunt, pocilla-

cillator, dapifer, & lateris ſtipatores cubicularii, qui ſigillum, arcum, pharetram, ſagittas, ſclopetum & crepidas porrigunt. Sunt ex ſpadonibus, qui res adminiſtrant conjugum, & primariæ notæ pellicum; ſunt pædagogi & inſpectores Regiæ ſobolis ex matrimonio ſequiori; ſunt, qui religionem, ſcriptionem, luſus arteſque varias inculcant fœminis. Nec deſunt, qui novitias aulicis inſtruunt moribus, antequam Regi offerantur: Ex his unus eſt formæ corporis æſtimator, cingulum habens, cujus ſi menſuram ventris craſſities excedat, cibis eas interdicit, ſaltem aquâ & oryzâ alendas, donec abdomina ad ambitum cinguli gracileſcant. Dicitur tamen craſſa & obeſi corporis eſſe, quam Rex ex concubinis hactenus deperiit. Sunt ex cubiculariis, quorum cura in eo verſatur, ut ſingulis veſperis, ex gremio gynæcei, concubinas duodecim, planè ad ſacrum Imamorum numerum, comendas ungendaſque curent, pro cubiculi Regii cuſtodiâ, ſi fortè ex his ſociam lecti Rex deſideret. Hunc audio curtatum nunc eſſe numerum, & omnino ſex tantùm ad concubitum admitti. Sunt alii, qui curant publicationem *Khoruuchi*, i. e. abactionem maſculi ſexûs, ſexennio majoris, à viis, per quas Rex ire cum fœminis conſtituit. Fit ea pridie per tuborum iteratas exploſiones, & eodem die per caduceatores equites, ex Sophorum cenſu, paucis horis ante ſexûs egreſſum præmiſſos, quos hoc actu vocant *Khoruuchtſjiis;* Hi nullis utuntur ſermonum ambagibus, quibus ſeceſſum imperent: unica ſufficit iterata vox *Khoruuch!* quam auditam fugit, quiſquis indeclinabiles fuſtium ictus metuit, ſive foris verſetur, ſive intra parietes latitet domûs propriæ. Ceteri Magnates cum fœminis ſuis peregrinantes, vel noctu abeuntes ad balnea, ſaltem ſpadonibus immediatè præmiſſis, fugam capeſſendam prædictâ voce annunciant; quâ per plateam reſonante, quiſque ad latebras recedit, donec oculis haud temerandæ merces præ-

Khoruuch

præteriverint, linteo licet obvolutæ, ſi pedes vel equites incedant, aut ciſtis penſilibus incluſæ, ſi camelis vehantur. Si quem contingat in Regium vetiti aſpectûs comitatum incidere, quod aliquando ex imprudentiâ evenit agricolis, is ſimul mortem ibi præſentem procul omni dubio invenit, vel telorum ictibus, vel acinace inferendam, prout idem tragicis exemplis publicè innotuit. Eunuchorum ſenili conſilio, ac Matris præcipuè aſſenſu, Rex in rebus agendis, etiam publicis, frequenter utitur, & quæ in regno molienda veniunt, cum hâc effœminatâ curiâ deliberat. Aliquando foris in Senaculo concluſa, ad Matris & nigritarum ingenium & ſuaſum, mutari accidit. Miris in hâc Aulâ laudibus efferuntur duo eunuchi æthiopes, *Aga Mombarèk* & *Aga Kafuur*, tribus ſucceſſivè Regibus à miniſterio, ſed nuper admodum in capulari ſenio defuncti, quorum auctoritas, prudentia & ſubacti ingenii conſilia tantum ſemper valuêre, ne ipſe Imperii Præſes gravioris momenti negotium moliri, vel voluerit, vel auſus ſit, niſi eorum exploratâ priùs ſententiâ.

Spadones Conſiliarii.

RELATIO XV.

Pompa Equitationis Regiæ.

§. I.

Obequitatio recreationis cauſâ

Ut omnem expleamus magnificentiam Aulæ noſtræ: Equitationem quoque ſubjungimus Regiam. Ea autem vel eſt parvi comitatûs, quam Rex, ſolitæ recreationis cauſâ, frequentiſſimam invitante cœlo inſtituit: vel ſolennior, cum feſtiva viſum ſpectacula, ſive venatum, ſive illuſtres exceptum hoſpites, in publicum aliquando procedit: vel rarior & apparatûs maximi, quando cum ingenti equitatu ad *Eilaak*, ſeu æſtiva, vel in Provinciam quamcunque commorandi animo proficiſcitur.

Pri-

Primi generis equitatio menſibus æſtivis tantum non indies, remiſſo poſt meridiem ſole, inſtituitur, dummodo Principem incommoda valetudo, vel aſtrologi de inimico cœlo perſuaſio, intra conclavii latebras non retineant. Meta eſt hortus aliquis una vel paucis leucis ab aula diſſitus, plerumque *Haſar dſjerìb;* ad quem Rex per *Tſjaarbachi* tractum lentis cum comitatu gradibus contendit; inde, à levi deambulatione, ſeſſione, luſu & corporis exercitio, ad gynæceum ante veſperam reverſurus. Comitatus ita inſtruitur: Egredientem cum eunuchis cubiculariis Regem, turba comitum in *Tſjaarbachi* exordio excipit; offert, cujus tergum conſcendat, equum ex phaleratis tribus eligendum, *Sjelawdaar baſjì*, ſeu primus phalerarum inſpector; ſtapedem tenet, ſimul ac ſcandentem elevat *Uſengu Kortſjitſji baſjì*, ſeu ſupremus ſtapedum apprehenſor; interea frænum tenente *Tſjatìr baſjì*, ſive curſorum primario. Præcedunt pedeſtres cohortes duæ, ut plurimum prætoriani militis *Dſjeſſajéri*, acinacibus & bombardis armati, ex undulato chalybe cuſis, & argento fulgentibus; ipſi Attalico veſtitu, argenteo cingulo, plumis & vario ornatu conſpicui. Non illi exemplo noſtratium membratim incedunt quaterni, quini, vel ſeni, ſed invicem ſinguli ſequentes, in duo quaſi cornua dividuntur, tantâ intercapedine, ut in immenſum oculus Regius nullo retentus impedimento extendatur, & liberè pervadere atrienſes, ac horſum deorſum obequitare poſſint. Extra cornuum ſeriem pauci equitant militiæ præfecti, atque ordinum directores; intra eadem ſe equitum primus ſiſtit *Alemdaar*, i, e. Vexillifer, dextrâ labarum gerens, Regiæ præſentiæ teſſeram, panno obductam rubro, complicatoque in formam, quam refert umbraculi Indici, Luſitanis *quitaſol*. A modico intervallo eques ſequitur magnus Aulæ Mareſchallus, *Iſſìk agaſì baſjì*, velut armatorum & totius comitatûs ductor. Mox ſolus pariter equi-

equitat, ſupremus Principis Cubicularius & eunuchorum Præſes, *Mehtèr*. Militares copias excipiunt equites, cum *baſſì*, ſive præfectis ſuis, *Jeſauli* ſive *Sophì*, id eſt, atrienſes Turcici ſanguinis, circiter viginti vel plures, mitris omnes tecti rubentibus duodecim plicarum, illi plumatis & pulchrioribus, hi nudis & ſimplicioribus; Sine ordine equitant, excurrunt per cornua, comitatum dirigunt, juſſa circumferunt, ac Regio inſimul corpori ſecuritatem præſtant. Arma illis ſunt, à latere acinaces, & in manu nodoſus baculus ſive clava, quâ multitudinem populi diſcutiunt, ſi vadentibus remoræ ſit. Tum Rex hemerodromis duodecim, femora nudis, cetera leviter amictis, ſtipatus, equo vehitur, bullatâ gemmis phalerâ inſigniter decorato, Ipſe pretioſo capitis ornamento conſpicuus. Ei à tergo, quaſi dextram clauſurus, præſto eſt *Athema Dauleth*, Regni director, vel illo ob gravem cauſam abſente, alius primariæ dignitatis Senator. Hos mixti & ſine ordine equites ſequuntur *Piiſj chimetti*, ſeu cubilarii Regis, ſpadones circiter viginti, atri & albi, pueri vetulique, quorum alii Regiis inſtructi ſunt ſarcinis & armis, velut ſclopeto, arcu, pharetrâ, ventilabro, hydriâ, machinâ fumificâ, ignitabulo, quin falconibus interdum, atque aliis: Quos preſſè excipiunt aulæ Officiales illi, quibus Regem in publicum prodeuntem ſequi ex officio incumbit; quales ſunt *Meſſjilès Nedſjini*, i. e. qui habent licentiam ſedendi in convivio Regio; tum Magnatum plurimorum filii, quibus Regio intereſſe comitatui volupe eſt, & honori ducitur. Agmen claudunt eorundem ſervi equites plurimi, machinis inſtructi vitreis, quibus hæc natio Nicotianam fumat. Præ ceteris præſentes eſſe oportet, cum Medicum, tum quàm maximè Aſtrologum, illum pharmacothecâ, hunc aſtrolabio inſtructum, quo orientium obſervare ſtellarum, præſertim inviſibilium planetarum, aſpectus & qualitates poſſit, ut ſi quas Principi inimicas offendat,

dat, eas maturè evitandas moneat, & eam ingredi viam, cujus obliquitate malignitatis radii illudantur. Eſt curſorum quoque genus (ريكا *rikà* vocant) ſecuribus inſtructum, quod aliquando comitatum anticipare eâ intentione debet, ut pervium reddat & perfringat, quicquid obſtaculi invenit, velut ſepimenta, muros, ædificia; quod eâ præſtare celeritate dicitur, ut inde progreſſus ne minimum moræ capiat.

§ II.

Pleniorem exhibemus adjectâ icone comitatum, quo Rex anno *Hedſjiræ* 1085, die 10 Menſis *Silhadſje* ducebatur ad locum ſacrificii, celebrati in honorem *loquentis cum Deo*, i. e. *Abrahami* Patriarchæ. Non diſpliceat Lectori, ſi extra oleas vagando, paſchales feſti ejusdem ritus atque ſolennia addidero. Primùm, tota civitas vicatim confluebat in campum immolationis, ſub orientali facie horti *Haſar dſjerib*. Litanda Deo victima, *Camelus* erat prægrandis, unius in dorſo gibbi, pancraticè ſanus, ſaginatus & ſine maculâ, contectus aulæo & iisdem ornatibus, quibus præviis diebus decem continuò circumductus per urbis plateas fuerat, multâ cum pompâ & inſtrumentorum ſtrepitu. Hunc pedibus ligatum ingenti cingebant ambitu multa millia ſpectatorum; alii etiam vicina occupaverant ſepulchrorum monumenta, murosq; hortorum haud procul à ſpectaculo remotos: nec præſtolabatur aliud tanta mortalium corona, quàm adventum Sereniſſimi, qui cædem beſtiæ, magnæ quidem ſanctitatis negotium, ſuâ auſpicaretur manu ſacratiori: & expectatus tandem cum ſplendido Comitatu comparuit circa meridiem, eo ordine, quem icone refero: In quâ litera Equitatio ſolennior ad ſacrificium annuum.

A. Significat ſupremum Sophorum præfectum *Sobbèt Jeſawul baſſi*;

bbb. Sophì, i. e. atrienſes vel Janitores, numero ſexaginta

 vel

vel amplius, baculis turbam diſſipantes, pro meliore Regii comitatûs inceſſu;

ccc. Sexcentos pedites armatos, in principio, ex obviâ multitudine, inordinatos, deinde in geminam ſeriem exporrectos; ad ſiniſtram, ex militia præſidiaria *Dſjeſſajéri;* ad dextram, ex legionibus ſclopetariorum.

D. Signiferum *Alemdaar;*

E. *Iſjìk agaſì baſjì*, ſeu magnum Aulæ Mareſchallum;

F. *Mehter*, vel gynæcei magiſtrum;

ggg. *Tſjatirri*, ſeu curſores, & equi Regii cuſtodes duodecim.

H. Regem inſigni conſpicuum tiaræ diademate. Equus Illi vector erat niveus, cujus ima medietas corporis artificioſè igneo tingebatur colore, flammis ſurſum undulatis, capite ornatus plumâ erectâ incarnati coloris, antilenâ & omni phaleræ apparatu aureo, Jaſpidibus boreis & margaritis diſtincto.

I. Regium Vicarium *Athemaad dauleth*, dextram Regiam tardiori ingreſſu claudentem;

kkk. *Piſj chimétti*, ſeu cubicularios juvenes, ſpadones albos duodecim;

lll. Nigritas ferè totidem;

mmm. Turbam *Kiſilbaſjorum*, ſeu Magnatum & Nobilium Aulæ, eorumque tum filiorum, tum ſervorum, numerum conſtituentium circiter mille capitum.

Reliquæ literæ loca indigitant paſſim hactenus citata: nimirum litera

n. Columbarium, in angulo horti *Haſar dſjeriìb;*

o. Prædiolum montanum *Tachta Sophà.*

p. Rudera arcis, vel oppidi, in ejuſdem montis faſtigio;

q. Turrim ſepulchralem Gaberorum, ſive veterum Perſarum;

r. Turrim ſ. metam curſorum, dictam *mili tſjatìr daunì;*

s. Monumenta ſepulchralia.

Non





Non poſſum Lectori diſſimulare chalcographi errorem, qui non attentâ delineatione meâ, disjungendas militum ſeries conjunxit, omiſſo ſpatio, quod Regio proſpectui debebatur vacuum; pari licentiâ, ut officiales intermedii apparerent, ordines, alioqui continuos, divulſit in manipulos. Habes comitatum; pergo recenſere hiſtoriam. Sereniſſimus ut circum ingreſſus eſt, equo deſiliit, & haſtam à *Daroga*, ſive civitatis prætore, ut victimam Regia trucidaret manu, oblatam, tribus ſacratam baſiis reddidit datori. Hic eam camelino pectori protinus ingenti adeo intruſit vulnere, ut vix retracto ferro, beſtia ante pedes victimarii concideret. Mox ex civium claſſibus primores advolant, manus injiciunt, & abſciſſo jugulo procumbentem exanimant; capite deinde mutilatam, haud abſtractâ pelle, in portiones duodecim ſecuribus dividunt, in duodenas partes urbis divehendas. Viſcera, inteſtina, caput, ſtoreæ involuta, ſingularem conſtituebant portionem, ſubſtituendam illi, quam ex prædictis ſibi vindicaverit culina Principis. Quo facto, Rex equo rurſus conſcenſo, domum, eodem, quem dixi, ordine remeavit pleno meridie. Cives verò ex ſpectaculo ad ſigna ſua relapſi, portiones vicatim diſtributas, equitum, (qui ſingulis claſſibus ſinguli præcedebant) in ſinum depoſitas, velut in triumphum, tympanis cimbaliſque clangentibus, abduxerunt; donec per *Tſjaharbachi* tractum in forum Regium continua ſerie, & ſine cruentâ confuſione, (quæ *Heiderianam* inter & *Neamet Elabitanam* civitatis partem ingruere tantis ſolet in conventibus) deventi, turmatim in vicos quique ſuos abiverunt, ad victimam inter primarios diſpertiendam, & læto omine animoq; conſumendam. Vix civium ordines receſſerant, cum incondita plebs magno irruens tumultu, cadaveris lacinias, excrementa, cruorem certatim abripuit, & omnia ſanguinis veſtigia bombyce ita exterſit, ne noſci locus lanienæ poſſet; alii præ-

dæ nihil potiti, ſaltem indice cruoris impreſſo veſtigiis frontem notabant; ſingulis id agentibus, ne ſine ſigno abirent, quô immolationi ſe interfuiſſe docere poſſent. Hoſtiæ quam quisque paterfamilias particulam, avellanæ vel juglandis magnitudine, nanciſcitur, addito ovinæ carnis, quantum ſufficiebat pro exſatiandis convivis, oryzæ incoquit, & reliquam diei partem commeſſatione & gaudiis tranſigit cum domeſticis & amicis. Quibus intra parietes ſuos deficit hilaritatis occaſio, illi in fora & tabernas ſe recipiunt, & paucis obulis hoſpiti pro ſorbilibus & nicotianâ exſolutis, circulatorum ſpectaculis vacant, in ſeram usque noctem; ſaltem feſtivum celebrare morem ne negligant. Dixit mihi lanius, ſola Isfahani intra pomœria hôc die ultra centies mille oves mactari, quem verò ingentem numerum ab ignotæ fidei cive acceptum, ut ipſe non admitto, ita fidei quoq; Lectoris non obtrudam.

Ad excipiendos Principes. Non alio comitatu ſereniſſimus excipiendis ex Regia ſtirpe hoſpitibus in occurſum (dimidiâ, extra urbem, non amplius leucâ) progreditur; niſi quod unâ paraſangâ longius, magnifico nobilium & ſepties mille ſclopetariorum ſatellitio ſtipatum præmittat Vicarium ſuum, qui gratulationis ceremonias exequatur: dum interim viarum oras claudunt cives ad pompam amicti, & ſubinde panni aureo argenteoque filo pertexti, ungulis equi, quo Hoſpes vehitur, ſubjiciuntur. Velut id conſtiſtit anno 1670, cum Rex Principem Usbeciæ, *Abdaal Adſis Chaan*, *Meccam*, abdicato Regno, tendentem exciperet; & nuper admodum die 24 Januarii anno 1688, cum *Sulthanum Ekber*, profugum magni Mogolis filium, natu tertium, pari honore Regiam introduceret.

Ad Venationes ſolennes. Æquipararari ejusdem comitatûs magnitudini poſſunt illi, quibus Rex peregrè venandi cauſâ abit; quò, ſi fœminas quoque abducat, prolixius ſyrma fit, & partitæ ſocietatis. Nam priùs aula diſcedit maſcula; ſequitur ab inter-

tervallo temporis cohors uxoria. Utraque verò ſeparatim & extra alterutrius conſpectum feras & volucria inſectatur; dum Rex utriusque copiæ commilito, ultro citroque equitat.

§. III.

Profectio ad æſtiva.

Tertii generis & maxima equitationis ſolennitas ſpectatur in profectione ad ییلاق *Eilaak*, ſeu æſtiva camporum Maſanderanenſium, in quâ ingentia deducuntur jumentorum agmina, rebus ad hoſpitandum neceſſariis inſtructa. Ordinem ex Perſicâ Relatione nuperi Regis à me excerptum, (Is enim frequenter Caſpios inviſebat fines) ſtrictim hîc deponam. Delegantur primùm, qui ſpecioſiſſimos locorum aliquot ſitus, cum ſuis, quibus oculos paſcunt, naturæ deliciis, fontibus, pratis, ſylvis & montibus, tum proximis quoque oppidis, pagis, viis, fluminibus, accuratis deſcribant ſchematibus. Quibus redditis, Rex locorum conditiones probè contemplatus, tandem pro tentoriis explicandis eligit ſignatque illum, qui ingenio ſuo placuerit. Præmittuntur cameli, papilionibus, aulæis & vario ſupellectilium apparatu onuſti circiter ſepties mille, ſtipati ductoribus ſuis & comitibus, præſertim etiam caſtrametatoribus. A dierum aliquot intervallo ſuccedunt publicatores *Khoruuchtſjì*, qui, bombardarum ſucceſſivâ per viam exploſione, fugam virili ſexui intimant protinus capiendam. Hoc Gynæcei per eunuchos deductio ſequitur, vel integri; vel ut plurimùm ſelectiorum tantùm fœminarum, quarum præ ceteris convictu Princeps capitur. Singulæ autem ciſtis *Kadſjuwa* velamine obtenſis ex camelino tergo utrinque dependentibus latent abſconditæ; camelariis ante inſeſſum, per ſpadones omni manè procul abigendis, & ad jumentorum paſtum cuſtodiamq; priùs nequaquam revocandis, quàm diverſorii latebras contigerint; quod per eunuchum equi-

 tem

tem à viâ Regiâ longiſſimè palantibus nunciatur. Sublato poſt deductionem interdictio *Khoruuch*, Rex pleno comitatu ſequitur, eo propemodum ordine in plurimis obſervato, quem ſupra enarravimus. Agmen hîc præcedit *Sjelawdaar baſjì*, i. e. phalerarum inſpector, cum ſuppoſitis ſuis, qui *Kuteh*, ſeu phaleratos, deducunt quinos vel ſenos, ipſi equites. Sequuntur pro cuſtodiâ Regii corporis milites prætoriani, circiter ſexcenti, in duas ſeries elongati, cum ſuis ductoribus, in fronte aliis, aliis ad latera exteriora equitantibus. Intra ſpatium, ut ſupra narravi, primus equitat Regiæ index præſentiæ Signifer *Alemdaar*; Ab intervallo Mareſchallus *Iſjik agaſì baſjì*; & interpoſito rurſus ſpatio, *Mehter*, ſeu primus eunuchorum. Hunc excipit *Miriſjikaar baſjì*, ſummus falconum magiſter, pluribus cinctus aucupibus, & falconum, quos pedites manu geſtant, cuſtodibus. E veſtigio ſequitur *Sekboon baſjì*, ſive canum ſupremus inſpector, cum paucis venaticis, quos ducunt venatores etiam pedites: ita, ſi quid ferarum volucriumque in viâ occurrerit, in delectationem Principis ſectaturi; quandoquidem à culinis repudiant leges Religionis, quicquid intra dentes unguesve hæſerit rapacium. Militares ordines claudit deſultoria *Jeſaul*, ſeu janitorum copia; quam tandem excipit Ipſe *Rex*, duodecim ſtipatus curſoribus, equi miniſtris, bini ac bini, aliis antecedentibus, aliis latus ejusdem claudentibus. Regem arctè ſequuntur aulæ Magnates, ii potiſſimùm, qui Curiam conſtituunt; quibus intermixti equitant, Regio qui corpori inſerviunt, *Piiſj chimetti*, ſeu eunuchi cubicularii. Agmen claudit varia ſervorum equitantium multitudo; qualis ſunt: *Kaliandari*, i. e. qui inſtrumenta vehunt pro fumiganda Nicotianâ; *Jachtandaari*, i. e. qui ducunt ciſtellas *jachtaan*; (Sunt illæ quadratæ, corio obductæ, geminatæ, latisque connexæ ligulis, quarum ope ex tergis mulinis vel equinis hærent, deſuper impoſitæ; ſerviunt

viunt pro condendis glacie, ſaccharo, patellis & rebus pro obſonio neceſſariis.) *Mafraſjdaar*, i.e. duces conditoriorum *mafraſj*; (ex tapetibus hæc, vel telâ laneâ groſſioris fili conſuta ſunt, cum duplicatione aliquâ, quæ ad firmitatem conferat; in iis reſervantur aulæa, pulvinaria & tegumenta, quibus pro decubitu opus eſt in itinere;) *Cheimehdaari*, i.e. vectores papilionum, (ſcilicet leviorum, quibus pro ſole utuntur arcendo, ſi alicubi ſub dio morandum eſt;) Et ad ultimum *Sakkaas*, i.e. qui aquam mulis vel camelis vehunt, ſaccis coriaceis incluſam, pro hominibus & jumentis. Diverſari Rex, cum peregrinatur, ſuis in hortis ſolet, quos Sereniſſimi Anteceſſores circa viam, quâ Isfahano in Hyrcaniam ducimur, ad quartam quamlibet, vel quintam, paraſangam poſuêre, muris decore cinctos, aquæ ductibus (nitroſæ licet, ex locorum indole) ditatos, & balneis, columbariis, palatiisque ita adornatos, ut in iis pernoctare Princeps cum domeſticis non incommodè poſſit, dummodo hoſpitentur ceteri in ſuis papilionibus & vicinis agricolarum ædiculis. Nec prætermittenda eſt, quæ ab horarum aliquot intervallo ſequitur ſaltatrix ſocietas meretricum. Duodecim ſunt, ſelectæ pulchritudinis, Regiæ peregrinationi individuæ comites, eo fine, ut in cœnâ Principem tripudiis & laſciviente corporis motu delectent. Penſione fruuntur ſingulæ, quanta in expenſa pro veſtitu ſplendido, & alendis ſervis duobus abundè ſufficit, ut papilione ac omni ad iter inſtructæ apparatu peregrinari ſine incommodo poſſint. Uſum quoque corporis indulgendo aliis, quæſtus faciunt luculentos, quòd pœnitendum unius noctis officium pretio vendant Tomanorum non minus trium, vel duorum.

RELA-

RELATIO XVI.

Admiſſio hoſpitum coram Sereniſſimo, quam vulgò vocant *Audientiam.*

Vita Legatorum in Aulâ Perſicâ.

Admiſſionis ſcena.

§. I.

Principum Nuncios moris eſt, Regiæ Majeſtatis alloquio non admitti, niſi publico totius Curiæ in Conſeſſu, quem Perſæ vocant مجلس *Medſjilès.* Solennis hic aulicæ Univerſitati actus eſt, qui ſumptuoſo convivio & publicâ cum feſtivitate celebrari aliquoties intra annum vertentem ſolet, quandocunque id vel Regi commodum, vel etiam publicæ neceſſitatis eſt; tranſigendis enim rebus Imperii potiſſimùm ſacratus eſt. Locus ei certus non eſt dicatus, ſed propinquo actui deſignat Rex quodcunq; placuerit horti alicujus palatium, modò atrio non deſtituatur, coronæ hoſpitum ac tanti convivii apparatûs capaci. Omnia illo in actu incredibilem præ ſe ferunt magnificentiam, & accedentem hoſpitem ſtupore afficiunt, cum in immanes ſtatim belluas, ſuperbo amictu exornatas, incidit, velut elephantes, rhinocerotes, leones, tigrides; nec non in equos, auro, unionibus, gemmis micantes, orbis totius generoſiſſimos; cum expoſitos videt inſoliti ponderis ac molis amphoras, lintres, cupas, ex puriſſimo auro & argento fabricatas; cum per ſuperbas deducitur militum ſeries, veſtibus Attalicis argenteoque ornatu corruſcantium; cum ciſternarum pretioſa marmora & aquarum altè ſalientium decor, cum aulæa artis Turcicæ pavimentis inſtrata, mappæ acu phrygiâ elaboratæ, aureus parietum ac totius ſtructuræ fulgor; cum denique gravis illa conſidentium Principum corona, & tremenda Majeſtatis præſentia oculos perſtringunt; quin & aures

abri-



F. W. Brandshagen Sculp.



abripiunt peregrinæ chordarum, cymbalorum, tympanorum levi digito expreſſæ conſonantiæ, quas & vox humana interſonat; & guſtum aureis vaſis, multorum millionum pretii, expoſitæ invitant dapes & cupediarum Regales lautitiæ. Hæc enim ſcenæ facies eſt, dum ad ſalutandum Regem hoſpes admittitur, &, à brevi Majeſtatis alloquio, inter convivas locum obtinet. Non hîc in ſubſelliis ad pedaneam menſam, ſed humi, pone mappas pavimento inſtratas, longo ordine diſcumbitur, eo corporum ſitu, ut ad Majeſtatis thronum vultus omnium convertantur, dum anteriora mapparum latera convivas non recipiunt. Convivii totius ſeriem ordine perſequar, ſi priùs Legatorum, quibus in Regno gaudent, conditiones à principio enarraverim. Nimirum ingreſſus regni limina ایلچی *Eltſjì*, i. e. Legatus (nil attenditur, quali is veniat titulo inſtructus, an Reſidentis, Nuncii, vel magni Oratoris; omnes ſine diſcrimine vocantur *Eltſjì*) adventum proximo loci præfecto, & per eum magno Gubernatori Provinciæ denunciat. Hic de ablegantis nomine, de Oratoris perſonâ, deque comitum numero informatus, miſſo ad Regiam equite, rem Regni Præſidi, vel Aulæ Inſpectori exponit. A quibus tractandi rationem, remiſſo nuncio edoctus, hoſpites, quos interea liberaliter ſuſtentabat, commeatu libero curat deduci, dato *Mahmandaar*, i. e. directore itineris, viro nobili, (ut plurimùm centurione) cum paucis militibus; qui ſtationes & hoſpitia aptare, & de perſonis ſarcinisque tutò & commodè transferendis, manus poſſint & operam commodare. Jumenta, nec minùs pro alimonia nummos ſuppeditare territoria quæque debent, per quæ iter dirigitur. Noſtro comitatui pro perſonis equi conceſſi ſunt quadraginta, & cameli totidem pro impedimentis deducendis, quæ cum tot jumenta non deſiderarent, quædam horum, oryzâ, pro uſu intra Regiam, & rebus ferè alienis onerata ſunt. In itinere novas intran-

Legatorum receptio.

tibus Provincias, Gubernator, vel ejusdem Vicarius, ſplendido comitatu obviat, & humaniter ſalutatos comitatur ad urbis vel hoſpitii limina; ſæpe convivio domi ſuæ excipit; ſemper miſſis dono eduliis, fructibus, ovibus, gallinis, hoſpitum præſentiam perquam ſibi charam, teſtatur, & perhoneſtè habitos, poſtridiè vel die tertio, dimittit, ſuo cum ductore & milite, qui eos ad fines usque Provinciæ tutos & incolumes perducat. Eandem imitantur in excipiendo comitatem præfecti civitatum & pagorum, in quibus pernoctandum eſt. Humanitatis eſt, locorum Rectores muneribus à Legato donari; quæ verò munificentia ſuum habet fœnus, quia munus reciprocum, datæ rei exoticæ, quam Perſæ magni æſtimant, longè tranſcendit pretium: quale tamen benevolentiæ certamen Rectores, miſſis, quod dixi, ſub ingreſſum rebus eſculentis, ipſi auſpicari ſolent. In nonnullis provinciis tanta incolarum humanitas eſt, ut ruri, longè à Laribus, hoſpites ſuos clangore Muſico excipiant, floribus, vino, fructibus obruant, & cum pompâ intra hoſpitii parietes deducant. Metropoli Regiæ propinquum excipit, cum militari comitatu, magnus hoſpitum curator *Mahmandaar baſſi*, pridie de ejus adventu edoctus, inductumque priùs ſuburbii xenodochio, vel horto Regio, ubi ab itineris moleſtiâ ſe tantiſper reficiat, à morâ ſatis exiguâ domum perducit urbis ſpatioſam, atque ita adornatam, ut in eâ perquam commodè habitare cum comitibus poſſit. Si ex Europâ advenerit, deductioni ſe ingerunt, quicunque in Regiâ Europæi nominis demorantur, debitum ut præſtent benevolentiæ & patriæ humanitatis officium. Ad commoditatem hoſpitii requiritur area, ſive impluvium ſatis amplum, ſufficiens conclavium numerus, atrium aulæis conſtratum, ciſternæ, puteus & equile. Si quid horum deficiat, vel ad ſententiam non ſatis aptatum ſit, domicilium, quantumvis immigraverit, repudiare licet, & à Curatore poſcere

Hoſpitium commorandi.

ſcere aliud occupandum. Nos ſecundâ quoque vice mutavimus, donec in *Abasabaad*, novâ & ſaluberrimâ urbis parte, perelegans nacti ſumus, in quo laxè & magnificè habitavimus. Domus illæ ex iis bonis pleræque ſunt, quæ ob offenſam poſſeſſoris, fiſco ſummi Principis acceſſerant. Nulli Legatorum conceditur in aulâ, niſi Regiis ſumptibus, vivere: ſi renuat; interdicto ſancitur publico, ne quis civium alimenta vendat, pro hoſpitum ſuſtentatione, quantocunq; etiam laceſſitus pretio. Liberum verò permittitur, utrum ex officinis Regiis cruda vitæ alimenta, qualia ſunt, oryza, farina, butyrum, ova, gallinæ, oves, fructus, vinum, ligna, & pro jumentis, ſi quæ habeat, pabulum; an ſuâ victurus quadrâ, ipſam velit, pro cibariis ad lubitum comparandis, pecuniam recipere, quolibet menſe ex ærario Principis numerandam. Poſteriori pacto malunt vivere Europæi, quia annonæ nulla hîc caritas eſt, præſertim vini; cremia ſaltem, quòd ex ſummis diſſitisque montibus petenda ſint, magno pretio & ad lancem veneunt. Numerari pecunia eâ quantitate ſolet, ut pro ſingulorum calculo indies unus veniat *Abaſſì*, (quarta uncialis pars) ſi levis plumæ comitatus ſit, etiam *Mamudì*, (octava pars uncialis) vel minùs; quæ verò ab initio pro victu, ſive levis illa, ſive gravior decreta eſt proportio, ea nec Legato diutiſſimè commorante, nec decedentibus illi ſociis, mutari ſolet, niſi fortè auctionem urgere, Ruſſorum & Tartarorum exemplo, non erubeſcat. Præter hæc Proviſori incumbit, Legatum alternâ luce conveniat, colloquiis oblectet, inſtruendam curet œconomiam, & deſideriis ejus pro re natâ gratificetur; haud interim deſidi, momenta legationis explorare in notitiam Magni Directoris, qui ea Sereniſſimo prænunciet. Cautio eſt, ut Legatus antequam adloquii copiam potitus, nulli mortalium deſideria Principis ſui explicet, ſiquidem viri ſapientis nomen non refugiat. Ab admiſſione, ſi quid

Gratuita ſuſtentatio.

Cautio & conditiones notandæ.

in mandatis habet, & quod differri non patitur, fas eſt, id quantocyus vel ſcripto deducendi, vel purpurato Directori coram exponendi veniam, eodem internuncio rogare. Adloquii dies plerumque novilunii eſt, niſi alia magis feriata, vel convivio auſpicatior, ab aſtrologo judicata fuerit. Ex admiſſionis convivio reverſus, propylæum hoſpitii munitum excubiis invenit, poſthac liberum præſtituris ab infractionis metu, & tranquillum inter parietes ſuos otium, quaſi nunc demum in album amicorum & tutelam Majeſtatis intimè receptus ſit. Semel convivio admiſſus, donec Reſponſorias & abeundi nactus licentiam fuerit, ad ceteros quoq; Conſeſſus ſemper invitandus eſt, niſi fortè contractiores & minùs ſolennes fuerint. Diu Aula ab exteris miſſos detinet, protractâ non raro in annum tertium dimiſſione; præſertim, ſi Legati à magno & amico Principe miſſi, minùs annuat deſideriis. Pertæſus moræ Legatus, ſi protractionem ægrè ferat, vel ferre ſimulet, (ex morâ fœnus, & terræ tot Veneres tædia vix ferunt) hæc ut plurimum illi reddetur plena humanitatis reſponſio: *Regio amori non eſſe congruum, quos maximè æſtimat, eos citò dimittere.* Quid rerum in Conſeſſibus agatur, quidque convivia magnificentiæ referant, id nobis in nuperis admiſſionibus Oratoris, à Sereniſſimo Rege Suecorum Carolo XI. miſſi, luculenter patuit: quarum hìc primam, omiſſis tribus ceteris, ex hodœporico meo tranſcribam.

§. II.

Horti admiſſionis topographia.

Trigeſimo Martii anno 1684 Isfahanum appulſi, Regalis alloquii copiam haud citiùs trigeſimô Julii impetravimus. Hactenus Rex valetudinarius delituerat inter muliebris clauſtri circulos, ferale quid capiti ſuo aſtrologorum perſuaſione metuens, ſi hos fines transgreſſus fuerit. Omen ex eo natum erat, quòd amiſiſſet concubinarum, quam deperibat, venuſtiſſimam, à ſe ipſo pugionis api-

apiculo leviſſimè in ſtomacho percuſſam, extremo ſubſequente & præpeti admodum fato; non tam ex periculo innocentis vulnuſculi, & jocoſâ manu (quamvis temulentâ & vacillante) illati, quàm, prout Aſtrologi prætendebant, ex malignitate ſideris cujusdam Regali ſolio inſenſiſſimi, quod etiamnum adverſa quævis minitaretur, niſi à publico abſtineret. Expiatis igitur aſtris, pridie purpuratos ſuos atque hoſpites, cum populares, tum exoticos, convocari in convivium curavit, habendum in loco *Sahadèt abaad*, i.e. habitatione beatitudinis. Hortus eſt ita dictus, trans pontem urbis orientalem, in littore fluminis *Senderuut*, quô ipſa urbs ab hortis & oppidulis ſuburbanis disjungitur. Una igitur horâ ab orto ſole conſcendendos obtulit equos duodecim, centurio quidam prætorianus eques, Mahhammandari vices in deductione præſtiturus. Hunc ſecuti ductorem, ſequenti ordine inceſſimus: In acie equitabant unà cum tympaniſta gemini tibicines; mox pedites ſequebantur ſatellites duodecim, viridi holoſerico induti; tum Secretarius Legationis equo vectus, manu, fronte tenus elevatâ, Literas geſtans ſui Principis, panno obvolutas aureo. Hunc excipiebat Legatus Dominus *Ludovicus Fabricius*, equeſtris militiæ Chiliarcha, ſex ephebis equum anticipantibus, ac quatuor à latere curſoribus ſtipatus; quem è veſtigio equites ſequebantur Nobiles ac ſocii omnes itineris; quorum ex primis erant, Generoſus Dominus *Klingenſternius*, ut ſanguine, ſic virtute & ingenio Nobilis Suecus; Nobilis Dominus *Priſtaffus*, Juris-Conſultus, Legationis Mareſchallus, mox redux in Ruſſiam contra Turcos Chiliarchæ honorem meritus; Generoſus Dominus *Leuenanker*, Nobilis Suecus, primarii Commerciorum Suecicorum Directoris filius magnæ ſpei. Taceo variæ farinæ ceteros. Ad metam ſpatio tandem unius horæ, feſtinato quamvis inceſſu devecti, dimiſſis equis, ſiſtimur in aditu horti concamera-

Hortus Sahadèt abaad.

 mera-

merato quodam,& quatuor ex comitatu in convivium admittendi conſidere jubemur in humo tapetibus ſtratâ; in quâ accumbentes quoque videmus ex *Poloniâ, Ruſſiâ, Siamo, Arabiâ, Usbeciâ* & *Georgiâ Legatos*, ante adventum noſtrum adductos, admiſſionis copiam inde à diluculo præſtolantes; nonnullos taceo Gubernatores Provinciarum, qui moræ pertæſi, relictâ ſede, non procul hinc in horti principio obambulabant. Cujus verò Horti conditiones ne ſileam: Occupat ille declive ſolum in ripâ fluminis *Senderuut*, arbuſculis ita denſè conſitus, ut pene in ſylveſtrem lucum degeneraverit; ſtudioſâ credo hortulani abſtinentiâ. Singularem mutuatur ornatum à confinio fluvii præterlabentis, qui clauſis vicini pontis, operis ſplendidiſſimi, cataractis, in lacûs altitudinem turgeſcebat, cymbâ inſtructus haud ineleganter fabricatâ, nec non ponticulo ligneo, per quem tranſitus ſoli patet Principi, in urbanum quoddam oppoſiti littoris viridarium, recondendis aptatum pellicibus Regiis, velut parvum quoddam gynæceum; His enim latebris hortenſes Regis deliciæ nunquam carere debent. Medium horti exhibet ſuperbum excocto latere palatium, (*maiſon de plaiſance*) intus diſtinctum conclavibus elegantiſſimè pictis, extrinſecus feneſtris affabrè clathratis decoratum, boream verſùs, quà flumen reſpicit, in geminam quaſi alam divaricatum; Inde exſurgens ligneæ ſtructuræ atrium ad ipſam prope ripam protendens, celebrando deſtinabatur admiſſionis actui. Atrii quadrata eſt, & theatralis quodammodo facies, in longitudinem circiter ſexaginta, in latitudinem quadraginta paſſuum expanſa, auræ ab omni parte, niſi quâ lapideæ adhæret, patulum; oras ſaltem, pro accubatione ſecuriore, cancelli claudunt bipedalis altitudinis, lignei. Deſuper contegitur lacunari planè ligneo, ſculptoris æquè ac pictoris manu induſtriè elaborato, columnis innitente omnino duobus & viginti, in ſex ordines diſpoſitis, præ-

Palatium admiſſionis.

altis

altis, aureoque floſculorum ductu egregiè pictis. Longitudo atrii, quâ ad ripam declinat, in tres partes, ſive *in tria* quaſi *proſcenia* diſtincta eſt, tribus ſubinde gradibus, panno coccineo contectis, depreſſiora. *Summum*, quod in ſinum lapideæ excurrit, Regiæ ſedi ſacratum eſt; *medium* purpurato vacat Senatui & primariæ notæ Gubernatoribus, *Beglerbegi; imum*, quod priori paulo amplius, Legatos recipit, & convivarum reliquam multitudinem. Hujus medium ciſternam exhibet ex galactite, quatuor columnarum ſpatio definitam, in quâ dives unda obſcuro gratoque ebullit murmure, non apparente affluxu ejus, vel defluxu.

§. III.

Præcedentia ſpectacula & ornamenta Auditorii.

Hæc horti ac palatii facies eſt; addam actui præcedentia quædam ſpectacula. Platea magnificè ampla, quæ hortum anticipat, velut prima Regiæ ſeſſionis ſigna oſtentabat immanes aſpectu belluas; videlicet oriundos ex Ceylanâ (qui ceteris mole & nobilitate præſtant) elephantos tres, colore pictos per ambitum corporis fuſco, ſtriis in capite & valvis aurium obſcurè rubentibus, dorſo contectos tapetis aureo argenteoque filo interpunctis; tum unum, quem fœdi moles corporis inſigniter commendabat, Rhinocerotem; is ferreis catenis pede gemino, ex anterioribus dextro, ex poſterioribus ſiniſtro fortiter erat vinctus, ut robore ferini impetûs, à quô cuſtodes ipſi timebant, nemini nocere poſſet; panno inſiſtebat pretioſo coccinei coloris, in magnum orbem expanſo, corpore nudus, oleoque perfuſus, ad pellis duritiem temperandam. In ipſo horto via littoris, quæ ducit ad atrii frontiſpicium, prætorianos ad dextram milites ſimplici ſerie ſiſtebat ducentos, argenteis armorum bracteis, ſuperboque corporis habitu fulgentes. Arma illis acinaces erant & ſclopetum, ex undulato Marte, quem *pulaat* vocant, ſcitè fabricatum, vexilloque ornatum rubro extremitati infixo; ca-

Belluæ.

Milites.

pita

pita tegebat pilei genus laneum, ad latus dextrum plumâ decoratum ex argenteis tubulis ſurrectâ; veſtis erat ex holoſerico, variegati coloris, ad genua usque protenta; ventres zona ſtringebat, laminis argenteis vel aureis re-ſplendens. Ad ſiniſtram conſiſtebat ſeries cuſtodum *Jeſaul*, circiter ſexaginta; quibus, præter acinacem, pugio erat ad dextram femorali cingulo infixus, & clava, quam manu geſtabant, brevis, valida, picta; capitis tegumentum mitra, quam *Tadſj* vocant, candidâ faſciâ leviter circumvoluta, & tribus in fronte plumis, modicè diſtantibus, criſtata; toga protenta ultra ſuras, telæ Attalicæ, ſtriata. Hos, ordine locati excipiebant equi duodecim, ad luxum phalerati magnificè: Fræni, ſtapedes & equeſtris apparatus omnis obryzum referebant; ephippia, habenæ, frontalia, & quicquid phalerarum conſpeximus, aureis tegebantur bullis, arte pictis encauſticâ, & gemmarum vario genere diſtinctis. In quibusdam adamantes, uniones, Jaſpides boreæ, cyani, vel rubini, micabant; in aliis mixta lapidum diverſi nominis pretioſa relucebat congeries; non minùs dorſualia opere phrygio floribus foliisq; conſuta, innexis nitebant unionibus gemmisque, congruo prorſus ſingulis equorum phaleris ornatu; Colla decorabat tela, utrinque ex jubâ dependens ſubtiliſſima, ex aureis purpureisque filis contexta; in abdomine ad usque locum ſtapedis fucus erat coloris alieni, citrini, ignei vel rubri; pedicæ, quibus crura more patrio diſtrahuntur, ex argenteis aureisque ſtaminibus diſcolori ſerico permixtis contortæ, paliſque alligatæ erant aureis, terræ infixis: quorum firmitati duo proſpiciebant equiſones, malleis inſtructi ponderoſis, ex obryzo factis, quantos non vidi ex ſequiori metallo in officinâ ferrariâ; utrinq; morabantur cuſtodes ſtabularii, totidem quot equi, habitu corporis nequaquam plebejo. Aquationi ſervire gemina videbatur cupa ingens, aurea, in pompam veriùs quàm uſum

Atrienſes.

Equi phalerati.

Vaſa aurea.

uſum expoſita, tantæ capacitatis, ut unaquæque retinere 80 aquæ libras diceretur. Hæc prætergreſſis, ante atrii frontiſpicium ſpectandi ſiſtebantur ſelectæ magnitudinis & elegantiæ pardi duo, totidem leones, ac leopardus unus, (altero nuper trajecto, qui puerum laniaverat) ſubſtrato incumbentes panno laneo, murice imbuto. Plures alunt belluas theriotrophia Principis, ſed ad illam haud cicuratas manſuetudinem, ut tutò in ſpectaculum adducantur. Ad aquandum vaſa proſtabant duo aurea, prioribus tantò majora, ut liquoris unaquæque libras centum reciperet. Cuſtodes in littore conſiſtebant pauci, conchyliatis veſtibus ad elegantiam induti. Introitum utrinque venuſtabat repoſita, intra argentei pedaminis cancellos, ingens amphora, operculata, in ovatam plane figuram ex eodem ære fabricata; cujus capacitatem non mentiar, ſi recipere orcam cereviſiæ Hamburgenſis dixerim. Frontiſpicii limina, velut ſacro Regis conſpectui oppoſita, vacare reverentia juſſerat impedimentis hominum: Latera verò forinſecus claudebat prætoriana ſeries armatorum ſecuritatis Regiæ ſtipatrix, & huic intermixti non pauci atrienſes *Jeſauli*, juſſorum, quando opus, utrobiq; exſecutores futuri. His ſeſe intruſerant nobiles & magnatum filii ſpectatores; tum ſupplicantium alii, quibus prope concionem morari à purpuratis imperatum fuerat. Ex ornamentis ipſius atrii primo loco nominamus aulæa, quæ pavimenta triplicis proſcenii operiebant omnia, per ampla illa, beluata & pretioſiſſima, ex Kirmanenſi primarii valoris lanâ ſummo artificio texta: Horum margines & commiſſuras pondere ſuo retinebant turbines aurei, quodammodo compreſſi, pro rei indigentiâ ſparſim, & ex modico intervallo, impoſiti; ſi credam præfecto palatii, ac manuum mearum judicio, ſinguli exhibebant pondus librarum Belgicarum duodecim. Singularia proſceniis ſingulis ornamenta erant: in primo quidem pro- *Atrii ornamenta.*

 ſcenio

ſcenio amphoræ duæ, in pompam ante ciſternam repoſitæ,ex auro puriſſimo,unà cum ſubſelliis ſuis,quibus priorum ritu|inſiſtebant, elegantiſſimè fabricatæ; nec enim aliud metallum Regii auditorii liminibus inferendum eſt. Figuram referebant cum operculis ovatam, illarum,quas ante limina vidimus, planè ſimilem, ſaltem magnitudine inferiorem. Alteri decus gemina conferebant thuribula aurea, in medio ſcenæ repoſita,emblematibus & vermiculato opere affabrè exornata & pertuſa, quorum opercula flagrantiſſimus perſpirabat gliſcentis maſſæ odor,per univerſam concionem gratioſè ſe diffundens. Eadem ambiebant modicæ altitudinis candelabra octo, ex eodem ære, arte haud diſpari elaborata; quibus inſerta ſuaviſſimo ſuffitu piſtilla ſcintillabant odorifera, alba, prælonga, candelarum faciem præferentia. Thuribulorum magnitudinem, ſi metiri liquore licet, ſpondere audeo, ſingulis quinquaginta aquæ libras explendis non ſufficere. Suprema atrii regio,ante ſedem Regiam,preſſa ſerie repoſitas ſiſtebat patellas duodecim, plenas Jaſmini floribus albis, in conicas figuras acervatis, ut diſcumbentis Majeſtatis ſenſum ſpecie ac ſpiritu recrearent. Sedem determinabat dorſuale fulcrum ex auro puriſſimo fuſoris operâ, non malleo aurifabri,efformatum, ramuſculorum flexuris majoribus, velut ab anaglyptâ fictis, decoratum, perfractis, quæ eas intercedunt, ſpatiis. Structuram obtinebat ſingularem, retro in duas alas protenſam, & ad uſum planè idoneam, molem verò tantam,ut ipſi ponderi immobilitatem acceptam referret, & accumbentis Sereniſſimi tergum firmiter ſuſtineret. Hæc de ornatu.

Conſeſſus.

§. IV.

In atrio ſupremo.

Quoad Conſeſſum. Rex in medio ſupremi atrii cruribus more patrio inflexis ſedebat, ſupra byſſinæ teneritatis inſtratum, opere Phrygio, floribus foliisque intertextum, dorſuali fulcro leviter acclinans, interpoſitâ ad com-

commoditatem culcitrâ molli, auro coruſcâ. Caput ornabat faſcia in molem obvoluta, nivea, aureis filis leviter ſtriata; cujus dextro lateri affixum ingentis pretii diadema tribus micabat adamantibus eximiæ magnitudinis, in trigonum diſpoſitis, unionibus majuſculis fimbriatum, inde in triplicem exſurgens tubulum, inſertis ardeæ plumis, partim candidis, partim nigris conſpicuum; cujus poſtridie viſi iconem accuratè à me expreſſam, vide ſis p.37. Corpus tunica inveſtiebat flava, ad ſuras cum ſtaret protenſa, diſcumbentes verò pedes diſcalceatos, pro urbanitate patriâ, operiens. In illâ nihil obſervavi inſolens aut magnificum; Attalica erat, floccis interpoſitis duplicata & vulgaris notæ, ſed ſummæ fortaſſis mollitiei & levitatis, quâ gaudere à teneris dicitur ſumptuoſo oneri inſuetus. Femora duplex ſtringebat faſcia, laxè invicem involuta, una ex aureis, altera ex filis texta ſubtiliſſimis lanæ Kirmanenſis; quibus ad dextram inhærebat pugio aureus, arte encauſticâ pictus, & adamantibus unionibusque diſtinctus. A tergo ſtabant cubicularia præſtituri opera Eunuchi utriusque coloris duo & viginti, in lunarem orbem diſpoſiti; cujus dextro cornui aſſociabantur ſex ſelectæ pulchritudinis pueri Georgiani nondum ephebi, amictu corporis perquam ſpecioſo, qui præter conſuetudinem raſæ gentis, cincinnos quoque oſtentabant, pro decore vultûs per tempora fluitantes. Unus ex his propior fronti Regio, aërem gravi motu agitabat, flabello uſus ex pilis equinis candidiſſimis in flagri formam concinnato; Alter ab illo, machinam dirigebat pro fumigandâ Nicotianâ; tertius ſputi receptaculum, quartus thuribula, alius alia obſervabat. Ex nigritis quoq; hic acinacem tenebat, ille crepidas: ſclopetum, pharetram, arcum atque alia geſtabant alii. Ipſe *Mehter*, cubiculariorum ſupremus, ſtans, Regi neglecto ordine vicinior, peram ſervabat ex humero ſuſpenſam, quâ in uſum Principis recondita ajebant ſtrophiola & diverſi generis opiata exhilarantia.

Ff 2 In

In medio. In demiſſiori atrio gemina diſcumbebat purpuratorum ſeries, prior adverſus Regis ſiniſtram, altera dextroverſum locata. Ad ſiniſtram primus in ordine ac Majeſtati propinquior ſedebat Præſes Regni *Memadauleh;* hunc ſequenti ordine excipiebant Superintendens expenſarum Aulæ *Naſir;* archiſecretarius Regni *Wakahnuiis;* quæſtor Regni alter *Muſtauſi;* ſupremus ſtabulorum præfectus *Miir achuur baſſi;* Protomedicus *Hakiim baſſi;* tum Princeps Georgianus, pro fratre in patria regente obſes, Chriſtianus; & *Wali Arabiſtuun*, ſive Princeps Arabiæ vicinæ, quæ eſt ſub jurisdictione Perſicâ. Oppoſiti lateris ſeriem conſtituebant; *Kurtſji baſſi*, ſeu Tribunus militiæ antiquæ; *Kuler agaſi*, ſeu Generalis mancipiorum; *Tufenktſji agaſi*, ſive Dux militiæ pedeſtris; *Miir ſjekaar baſſi*, ſeu ſupremus rei venaticæ præfectus; *Munedſjim baſſi*, aſtrologorum duo primores, & duo *Beglerbegi*, ſeu Archiſatrapæ. A tergo utriusque ordinis, paſſibus quatuor interpoſitis, cancellato limini inſiſtebat ſelectior militis prætoriani manipulus, in tutelam Majeſtatis excubiturus; cui ſeſe haud invitati ingeſſerant Procerum filii & aulicarum functionum Candidati non pauci; ſed qui conviviis accenſendi non ſunt.

In infimo. Imum atrii, velut maximum proſcenium, ad ciſternæ utrumque latus duo referebat triclinia, utrobique ab invicem trium intercapedine paſſuum remota; tum duo alia ad frontiſpicii cancellos, adeoque ex oppoſito Regis & in transverſum locata. Priora quatuor triclinia conſidentes recipiebant extraneos atque indigenas hoſpites amplius quadraginta: quos inter, extranei erant, quantum illos cognovi, duo Prælati Chriſtianorum ex Arabia Sectæ Sabæorum, ſive S. Johannis Baptiſtæ, barbis prominentibus, ſtolis nigris & aureâ pectoris cruce conſpicui; Legati Sereniſſimorum Principum Sueciæ, Poloniæ, Galliæ, Ducumque Ruſſiæ, Georgiæ & Cyrcaſſiæ, & ſingulorum

unus

unus ſaltem comes itineris. Eſt enim inſtituti, ex Legati ſociis, plures uno vel duobus non admitti. Secus tamen noſtrûm, qui faventiorem invenimus Purpuram, gemini quoque nobiles præter Secretarium introducti ſunt. Ex indigenis aderant adminiſtri mediæ dignitatis duo & viginti, convivæ Regii conſeſſûs ordinarii; tum pauci ſatrapæ & civitatum præſides, inde nuper negotiorum cauſâ revocati. Transverſo ordine ſedebant Muſici utrinque ad introitum quindecim, adeoque interruptâ ſerie in duos diviſi choros: qui alternatâ vice tibiis, cymbalis & variis chordis peregrinum conſonabant melos; cui & tympana levi compuncta digito, rariùs & vox quædam humana intercinebat. De concentu ſi judicium expectas? Strepitus potiùs quàm concentus erat, nullis harmoniæ regulis adſtrictus, non inconditus tamen & ingratus; verùm ſi vocem cantoris excipio, ſat ſuavis, & ſubmiſſus adeo, ne colloquia & agenda in Senatu quicquam interpellaret, ſed peregrinâ quâdam varii ſtridoris dulcedine conſidentium aures & animos demulceret. In locandis nunciis ajunt, dignitatis rationem inſuper habendam, & priùs quem introduci contigerit, priori ſede locandum eſſe; quod ne poſtremis in præjudicium cedat, Aulæ objiciunt religionem, quæ præſente Majeſtate, nullam inter hoſpites prioritatem ſtatuat. Ita dixerint liceat, ſecus tamen faciunt, & ordinem in introducendo & diſponendo hoſpite ut plurimùm ex affectu metiuntur ſui Principis. Nam in ſolenniſſimo omnium convivio, quod ſub anni auſpicium habebatur, juſſus eſt Legatus Sueciæ in Purpuratorum ordine conſidere, velut præ Nunciis Frengorum ceteris (ita Europæos vocant) Majeſtati dilectus: procul dubio exinde, quòd ex longinqua gente & illo in negotio miſſus eſſet, quod, præter belli contra Turcos ſocietatem (quâ nihil præterea volebant tot Principum diplomata) utriusque Regni commercium & emolumenta concerneret; tum quod ipſe

Legati Reg. Suec. prærogativa.

perſona eſſet politico-militaris, moribus, geſtu, auctoritate ad ſpartam, quam gerebat, & genium aulæ natus; cum ceteri, vel viri religioſi & alieni fori eſſent, vel tales, quos in viciniâ noſſent oriundos, & muneris, quod gerebant, immerentes. In eodem actu, Calmuccorum ex Legatis uno & viginti, totidem epiſtolis à Duce & membris familiæ inſtructis, duo ſaltem admiſſi, parem Regio affectui locum, nimirum infra Muſicos ſortiti ſunt; cujus de indignitate cum importunè ſe gererent, & inconditè multa blaterarent, convivio etiam exceſſuri, mandante Sereniſſimo honoratiùs, videlicet proximè ſupra Muſicos, translocati ſunt.

Tricliniorum apparatus. Regis ante ſedem ac ceterorum diſcumbentium, ea, quæ nobis ſecundâ menſâ veniunt, uberi manu & ad luxum apparata ſtabant; qualia erant, ſaccharorum variæ ſpecies candiſatæ, perlatæ, ambroſatæ; fructus quoque horarii, quos medici vocant, & acrodrya, tum confectiones quædam, Julapia, & ſi quid condimentorum noverat ingenium nationis, omnia ante hoſpitis ingreſſum abacis ſeu quadris ligneis, verniceâ ſuperficie nitentibus, ordine expoſita. Vaſa erant aurea, manu rudi, ſine emblematibus aut ſculpturis fabricata; alia, pro contenti naturâ, etiam porcelina. Pro ſorbillandis julapiis cochlearia aderant lignea, in formâ lembuli, ſcitè excavata. Mappæ omnes Damaſcenæ erant, cum paris telæ duplicaturâ, ſummâ facie incarnatâ, cum margine dodrantali candido; Regi amplior & æquilatera, ceteris longiores & tetrapedalis latitudinis, omnes perlatis nobilitatæ fimbriis, & aureis ubique floſculis pertextæ. Pro recipiendis ſalivâ & excrementis faucium, urnulæ ſerviebant ad numerum convivarum depoſitæ, aureæ, ventre donatæ capaciori, orificio anguſto, margine peramplo, adeo graves, ne labiis citra moleſtiam admoveri poſſent. *Tricliniarcha.* Actum dirigere videbatur Mareſchallus *Iſjik agaſi baſjì*, vel, quòd is fatis conceſſerat, locum tenens *Divaanbeeg*, cum ſcipione aureo

reo gemmis conſito, ante Majeſtatem in ſecundâ ſcenâ conſtitutus; ibi lynceis oculis vultui intentus Regio, juſſa ex ſolis nutibus excipiebat protinus expedienda, per ſuppoſitos ſuos, Janitores primarios; qui rarâ ſerie per atrii longitudinem ad introitum usque diſpoſiti, baculis etiam, munerum ſuorum ſymbolis inſtructi, Majeſtatis placita, velut de manu ad manum dicto citiùs deferebant, ſine diſcurſûs tumultu. Non procul à Mareſchallo, hoſpitum ſtabat proviſor *Mahmandaar baſſi*, vel potiùs locumtenens demortui frater; unà cum futuro patris ſucceſſore, nepote ſuo, adhuc juvene, in ſcenâ ultimâ conſtituto; juſſa pariter expectans Regia, de introducendo ſubinde novo hoſpite. Ex oppoſito Regii vultus, nemo toto atrio morabatur, Mareſchallo id ipſum ne eveniat, quantum loci conditio permittit, ſedulò cavente, tam in equitatione, quàm in omni conſeſſu. Sed ad intromiſſionem noſtram.

§ V.

Ritus admiſſionis. *Legati Suec. admiſſio.*

In horti aditu extranei hoſpites modicô tempore commorati, tandem ad Regale adloquium ſucceſſivè, ocyùs alii, alii ſeriùs evocati ſunt, eam ductore *Mahmandáro* ingreſſi viam, quam milite & beluis adornatam narravimus. Inter primos ducebatur Legatus Sueciæ, tribus ſuorum adſociatus; quibuscum, ſimulac in atrii limine compareret, obvium ſibi ſupremum habuit aulæ Mareſchallum. Hic fultum dextrâ, ſuperatis ſcalis, in alterum eduxit proſcenium; & protinus Majeſtatis in conſpectu conſtitutum monuit, ſalutationis ſacrum abſolveret: Id quod memor ſuarum partium patriâ inflexione corporis præſtitit, nequaquam ad morem ſubjectionis Perſicæ. Reverentiæ enim deponendæ ritus eſt, ut proſtrato corpore, triplex humo impingatur oſculum, nunc ore, mox fronte, alternis nimirum vicibus illam premendo, idque tertiùm iterando. Secretarius inſimul exceptus Proviſoris manu;

manu; & paulò remotiùs uterque Nobilis ab atrienſium officialibus apprehenſi, ceremonias ad Legati exemplum exſecuti ſumus. Legatus Epiſtolam ſui Regis ante limen à Secretario receptam (coram Majeſtate, donec inclinationem corporis abſolviſſet, à Mareſchallo retentam) ſuâ manu ſummo exhibuit Principi; Qui eam primoribus digitis contactam reddidit Directori Regni, & abblandiente vultu, bene nos juſſit venire, regione tam ex longinqua advenas, & perquam gratos ſibi hoſpites. Mox de Suecorum Principis, Amici, quod dicebat, dilectiſſimi ſui, proſperitate percunctatus, & ſatis de quæſito, quâ par erat devotione, eruditus, mox perhumaniter gratulatus nobis eſt de tanto itinere terrâ marique feliciter exantlato; ſeriòque monuit detritam tot moleſtiis valetudinem, Iſfahanenſi otio percurare, & impræſentiarum defæcatis convivari mentibus. Hic tenor totius colloquii fuit; quo defunctis, ſeſſio imperata eſt in ſubſelliis ligneis, perlarum matre artificioſè vermiculatis; ſed quæ nobis ſedes, in ſcabellis haud ſpithamam altis, moleſtior certè fuit, quàm humi ſi fuiſſet accubitus. Litteræ Suecico idiomate erant conſcriptæ; quarum argumentum erat: *Peroptare Regem Sueciæ, inchoatæ nuper cum Sereniſſimo SIAH amicitiæ vigorem; tum mutuum inter utriusque ſubditos commercium; & denique ſocietatem belli ineundam cum Chriſtianis contra Turcos. Quæcunque ad hæc tria, Amicitiam, Commercia, Fœdus, facerent ſtabilienda, ea exhibitori in commiſſis data eſſe, quem fide dignari Regia Majeſtas Perſica velit.* Quibus deſuper (quod præter ſcopum inſero) cum Legatus ſententiam ſuam, & quæ in mandatis habebat, plenius in Senatorio conſeſſu explicandi, veniam iteratò petiiſſet, tandem vigeſimo Septembris Nuncius ab Aulâ miſſus deſiderata popoſcit, ſcriptis comprehendenda articulis; quos extemplo, qui Legationi à ſecretis eram, Romanâ linguâ exaravi ſequentes, à Rev. Patre *Raphaële,*

Regis colloquium.

Epiſtola Regis Suec.

le, magnæ in Aulâ auctoritatis interprete, & Viro doctiſſimo explicandos.

I. *Sereniſſimus Rex Sueciæ, Dominus meus Clementiſſimus, animi, quo par eſt, affectu Regiæ Majeſtatis Veſtræ nuperam amplexus Amoris teſſeram, nec minùs de ſucceſſu lætus mutui, quem ſperat, commercii, cum ſubditorum utriusque Majeſtatis inſigni emolumento ſtabiliendi: rogat nunc Majeſtatem Veſtram, Legatione, ſi placet, reciprocâ Amicitiam velit confirmare, & felicis inſtituti notitiam orbi non invidere.*

II. *Pro facilitando commercio, Sereniſſimus Rex Sueciæ à Regiæ Majeſtatis Veſtræ ſubditis mercatoribus non paucis rogatus, ut, cum pace Majeſtatis Veſtræ, Mari Caſpio aptis navibus conſultum iret, quarum defectus potiſſimùm commerciis mutuis & communicationi utriusque nationis dudum obſtaret, opem ſuam requiſitis paratam lubenti animo offert. Quamvis enim vel non deſint, vel à Regiæ Majeſtatis Veſtræ ſubditis exſtrui poſſint navigia, ea tamen non erunt ita affabrè facta, ut vel venti varietatem eludere, vel à periculo procellarum immunes eſſe, vel æquè veloci curſu trajicere, imò & tuta littori præſtare poſſent propugnacula, contra impreſſiones Coſaccorum. Sereniſſimus igitur Suecorum Rex, Majeſtati Veſtræ architectos, fabros, navarchosque mittendos promittit, quorum ope Caſpium mare ſuum navibus inſtruere & armare poſſit idoneis.*

III. *His à Majeſtate Veſtrâ probatis, Sereniſſimus Princeps meus clementer mihi demandavit, ut explorarem, utrum littora ſalo vicina arbores alant aptas navibus ſtruendis; quod re ſecus compertâ, fruſtra fuerint operarii, tanta terrarum ſpatia laborioſè emenſi. Rogo itaque Majeſtatem Veſtram humiliter, ut mihi navalis architecturæ perito facultatem concedat eundi in Provinciam* Maſanderaan, *luſtratum in eâ ſylvas, arborum genera, littorumque ſitum & conditiones, ut inventis operi remediis,*

perſpectisque omnibus rerum neceſſariarum rationibus, miſſâ ocyus fabrorum copiâ, inſtitutum ſecundis ſucceſſibus expleatur.

IV. *Turcorum Imperator, natus Europæ & Regni Perſici hoſtis eſt. Is publicæ tranquillitatis quoties, quoties iniquus & fœdifragus turbator, poſtquam Germaniam, & Romano-Germanum Imperatorem nefario impetiviſſet bello, nunc arma Divinæ benedictionis plena à tergo experitur. Europæ Principes, nemine excepto, copias mittunt auxiliares, & in ſcribendo novo milite indies occupantur. Ultrò Rex Sueciæ duodecim legiones invictiſſimo Imperatori, ejusdemque Sereniſſimo Commilitoni, Poloniarum Regi, ſex tranſcribendas nuper admodum promiſit. Juſtâ nunc ſub vindictâ gemit Turcorum intolerabilis faſtus, & anxietate metuque confecti frontes hoſtium multis fugiunt paraſangis, neſcii ampliùs, ubi impunes eſſe & habitare ſecuri poſſint, niſi ad fines Regni Majeſtatis Veſtræ. Ardentèr igitur cupit Sereniſſimus Suecorum Rex, imò obnixè Serenitatem Veſtram, & per illa ſidera rogat, quorum auſpicato effluvio animi Veſtri ad mutuam benevolentiam incaluerunt, ne patiatur deliteſcere in viciniâ hoſtem ſuum, de quo Babyloniam, Sereniſſimo Veſtro Parenti (cujus memoria in pace ſit) fœdifragâ manu ereptam, recuperandi, & meritas ſumendi illuſtri victoriâ vindicias, nunc cœlitus exhibetur occaſio. E re enim ac ſalute Veſtræ Majeſtatis fuerit, non minùs atque omnium Europæ Principum, ſi præciſis capitibus, hæc infeſta Regnis noſtris hydra dometur aliquando, ne ſubdolos improviſosque ejus auſus tranquillitas publica inpoſterum lugeat.*

Ludovicus Fabritius.

Hoc in poſtremo puncto, ex Poloniâ Legati, ſucceſſivè tres unico miſſi triennio, ſudarunt; nec tertius diſceſſerat, quin redux primus, Dn. *Bogdanbek*, Aulæ anno 1687 denuo comparuerit: ad ſocietatem belli invitare Principem

pem incaſſum omnes adniſi. Litterarum, quas ferebant, omnium idem erat argumentum: quarum hîc ultimas appono in gratiam curioſi Lectoris.

Johannes III. D. G. Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſſoviæ, Samogitiæ, Kyoviæ, Volhiniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolenciæ, Severiæ, Czernichoviæque, Sereniſſimo Principi Domino Schach Solyman, Perſarum & Medorum Regi, Amico noſtro chariſſimo, Salutem & amoris mutui atque amicitiæ perpetuum incrementum. *Epiſtola Regis Polonorum.*

Sereniſſime Princeps, Amice noſter chariſſime.

Nutu cœlorum, ſyderumque influxu omnia hæc ſublunaria agi, ab aſtrorumque potentiâ, velut vitali quodam ſpiritu, humanos animari actus, cum minimè Serenitati Veſtræ dubium ſit, ita etiam bellum noſtrum ſociale trium populorum, nempe Polonorum, Germanorum ac Venetorum, contra Gentem Turcarum ſuceptum, jam tribus continuis annis in hoc usq; tempus, per memorandas victorias & triumphos geſtum & provectum, minimè dubitamus, quin Serenitas Veſtra ad cœlos ipſos, ſupremamque Eorum mentem, Deum, referat, ſibique ex iisdem aſtris & ſucceſſibus noſtris dari cognoſcat conjiciatque inſtinctum, quatenus contra eandem injuſtamque Turcarum potentiam ſuſcipiat bellum, ſuaq; glorioſiſſima arma eo tempore, dum hic tot & tantis regnorum viribus atteritur, promoveat. Jam ſatis, ab inchoato hocce bello, litteris noſtris, binis aut trinis legationibus, omnia geſta, victorias, ſpolia & triumphos de Turcis Serenitati Veſtræ enarravimus; eidemque opportunè ſuſcipiendum ſuaſimus bellum, pro vindicandis ſuis injuriis, recuperandis injuſtè ſibi à Turcâ ereptis Provinciis; ſpopondimus religione, non prius nos ab eo bello ceſſaturos, donec ſuæ Serenitati ſatisfiat, nec

prius pacis ſuſcepturos conditiones, donec Serenitas Veſtra unà nobiscum ac amicis noſtris fœderatis eodem tractatu complectatur. Sed mirum eſt, cur huc usque certum non habuerimus reſponſum. Supinam ac malitioſam hâc in re negligentiam Reſidentis noſtri incuſamus; Eſt enim impoſſibile, ut Serenitas Veſtra in tam magnis & laudabilibus negotiis non reſpondiſſet, ſi ille pro debito ſuo plenam adhibuiſſet curam & diligentiam. Rurſus itaq; Serenitatem Veſtram amicè compellamus, novos ac novos noſtros intimando ſucceſſus. Jam favore Dei T. O. M. injuſto Turcorum Dominio totum nobiliſſimum ac ditiſſimum Regnum Hungariæ eripuerunt Germani. Jam nos Poloni Provincias prægrandes Ucraniam & integram Podoliam, excepto unico fortalitio Camenecenſi, recepimus. Jam Venetæ celebre illud ac vetus Regnum Moreæ, ſive Peloponneſum, potiori ex parte occupârunt, licentiamque dominandi Turcorum in Archiphelago prope ſuffocârunt. Venturo tandem vere ipſimet in perſonâ noſtrâ quàm ſufficientiſſimo apparatu intima hoſtium penetralia pertingere ac perrumpere in Dei nomine ſtatuimus. Romanorum quoque Jmperator, Rex Germanorum potentiſsimus, ingentibus exercitibus hoſtem, Hungariâ jam ejectum, in ſuis adorſurus eſt ditionibus. Venetæ inſuper, quà mari, quà terrâ, fortiſsimas inſtrunt acies belli. Ad magnos etiam Moſcorum Duces rurſus recentiſsimè magnam ac ſumptuoſam pro concludendo ſociali bello expedivimus Legationem. Ad eosdem beatiſsimus Romanus Papa, Rex Galliarum Chriſtianiſsimus, aliique Reges ac Principes Europæi ardentiſsimas dederunt litteras, quatenus unà nobiscum gerendum continuandumque ſuſcipiant contra Turcos bellum: prout id totum fuſiùs Ablegatis, ſive Reſidentibus noſtris in Aula Serenitatis Veſtræ referendum explicandumque commiſimus. Non igitur reſtat aliud, niſi ut Serenitas quoque Veſtra, memor avitæ Perſarum ad ſydera

dera

dera usq; excelſæ gloriæ, tam ſalutari, tamque opportuno tempore bellum ſociale cum tot populis & gentibus ineat, Turcarumq; potentiam, Regnis ſuis ſemper infeſtam, dum armis noſtris detinetur, fortitudine ſuâ percutiat evertatque, Regna & dominia hæreditaria, iniquè ſibi ablata, recuperet, imperiumq; ſuum firmet. Nunc certè omnes vindicandæ injuriæ; nunc Babylon ſpolianda trophæis Turcicis. Nunquam enim Serenitas Veſtra majorem, ſolidiorem, opportunioremq; habitura eſt occaſionem, quam ſi per fœdus tot gentium & populorum metuendam ſe faciat. Tale profecto nunc tempus Serenitati Veſtræ Superi offerunt, ut omnino nomen ſuum clariſſimæque gentis Perſarum ad Solem usq; proferat, innumeras victorias ac immenſos triumphos cum ipſa cœlorum latitudine protendat; Sudum denique perpetuæ pacis & tranquillitatis Regnis ſuis impertiatur, ac quo Solis radii pertingunt, eò Sereniſſimæ Domûs ſuæ porrigat gloriam. Quod dum intimo Serenitati Veſtræ pollicemur voto, avidiſſimoq; deſiderio quantocyus Reſponſorias præſtolamur: eidem longævam valetudinem, diuturnum regimen, ac proſperos rerum ſucceſſus ex animo precamur. Dabantur in Ruſſiâ, in arce noſtrâ hæreditariâ Zolkievienſi, die 28 Menſis Januarii, Anno à nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti 1686, Regni vero 12.

Incidenter refero: Epiſtolam, ut ut die 20 Junii in Conſeſſu jam oblata fuerit, nondum tamen translatam fuiſſe die 20 Novembris, quo ejus mihi copiam (tum in Arabiâ degenti) miſit Interpres Regius, Vir maximi candoris & eruditionis *R. P. Raphaël du Mans, Capucinus:* ex quo Lector Aulæ ſupercilium & nationis cunctationes colliget. De ſucceſſu expeditionis noſtræ non eſt hîc dicendi locus: referam, quid in Conſeſſu geſtum ſit.

§. VI.

Proximus à Sueco inducebatur, receſſurus in Patriam, *Legatus Siamenſis*, natione Perſa, veſte, quæ dimittendis datur, Introductio ceterorum hoſpitum:

Legati Siamenſis. datur, honorariâ, unà cum nigrita, Collegâ ſuo, decoratus. Quo cum valedictionis oſcula pedibus Regiis ubi ritu aulico depoſuiſſet, receptis ad Principem ſuum Reſponſoris, (quas Archi-Mareſchallus & Proviſor frontali ejus inſerebant) ex ſcenâ illico reductus eſt. Eſt aulici moris, valedicentes convivio non detinere; magno abiturientium commodo, quibus, non expectatâ Seſſione ſolenni, valedictionis ſacrum exſolvere, etiam Principi in publicum equitanti, permittitur. At hi non Regis pedem, ſed ſtapedem dicuntur oſculati. Oratoris deſiderium fuerat navale à Perſis auxilium contra Peguenſium Principem, quem ſuis infeſtum Provinciis, & avito præſertim titulo, quem in dominatu albi elephanti poſſidebat, debellare conſtituerat. Numeroſa & ingentis pretii munera tulerat, vaſa innumera, aurea, porcelina Sinenſia, & Vernice obducta Japonica; tum rariorum generum undiq; conquiſitas volucres, omnia à quadringentis oblata bajulis, & uncialibus æſtimata ducenties mille. Mox intromiſſus eſt *ex Galliâ Legatus*, Dominus *Franciſcus Piquet*, conſtitutus à Pontifice Romano Armenorum convertendorum caput, ſub titulo Epiſcopi Babylonienſis, & Vicarii Apoſtolici in Perſide, qui factâ corporis inclinatione, cum Reſponſoriis ad Chriſtianiſſimum dimiſſus eſt. Petierat, remanſurus in Perſide, oblatis commendatitiis, protectionem Regis, & libertatem animis conſulendi Chriſtianorum urbis *Hamedaan;* A quibus verò capularis ille Prælatus, velut alienus & ignotus paſtor, malè cum Clero ſuo exceptus atq; habitus, intra ſemeſtre diem obiit. Dehinc comparuit Dominus *Suſki*, Sereniſſimi *Regis Poloniarum* Nuncius miſſus; cum non ita pridem diſceſſiſſet, Oratoris munere perfunctus, *Salomon Zgurski*, Comes Syrienſis, uterq; Armeno-Græcus, ille alieno, quod uſurpabat nomine proprio, hic adſcito etiam Comitis titulo decoratus. Mox remittendis in *Usbeciam* Tartaris reſponſoriæ traditæ ſunt;

Legati Galliæ.

Legati Poloniæ.

no-

noviſque appulſis ſedes aſſignata eſt. Frequentes inde hoſpites aulam inviſunt, Legationum argumento non alio, quàm amicitiæ & fidei denunciatione; Scopus eſt, pro munuſculis oblatis (equis, camelis, pellibus, rhabarbaro) dona reportare graviora, & dum ſumptibus aluntur Regiis, merces liberè invectas cum lucro divendere. Idem congruit de officioſis dicere *Legationibus Ruthenorum*, quibus ſubindè hæc aula moleſtatur. Noviſſimè dimiſſus urbe nondum exceſſerat, dum appelleret cum comitatu triginta ſervorum *Conſtantin Chriſtophorowitz*, natione Græcus, ejusdemque linguæ in aulâ Magni Ducis interpres. Hic poſt Tartaros introductus, ſalutatâ Majeſtate, ad convivandū permanſit. Siniſtra illi in Legationibus fata erant; nam ante triennium cum magno comitatu ad Imperatorem Turcicum miſſus, in Ponto Euxino quinquaginta ſupra centum ex ſuis amiſerat, malignitate morbi extinctos. Hîc verò ipſe per ſuum à ſecretis ſublatus veneno fuit; quod cum lentiùs in inteſtina ageret, detecto crimine, vivum parricidam intra horti ſui pomœria rogo impoſitum, cum ephebo, ſceleris conſcio, combuſſit pridiè, quàm ipſe anno ætatis quadrageſimo exſpiraret; Vir Græcè doctiſſimus, & longioris ævi dignus mihi Amicus. Ex *Arabiâ* quoque intromiſſi ſunt *Nuncii gemini*, tribûs cujusdam vicinæ Bagdado, ſive Babyloniæ, ab Imperatore Turcico defecturæ, ſi exorari Regis protectio potuiſſet. Satrapæ deinde ſucceſſivè non pauci, quos commorari in curia eo tempore contingebat, ad convivii ſocietatem, præviis pedum oſculis, admiſſi ſunt. Ex ſpectatoribus quoque Caſtellanus quidam (Sulthanos vocant) in ultimam ſcenam provocatus eſt, cum duodecim, quos Regi offerendos tulerat, falconibus: quorum duo conſpiciendi, ubi cominus ante thronum delati, Majeſtati placerent, reductis muneribus, dator accumbere convivio juſſus eſt. Inter poſtremos comparuit etiam *R. Pater Elias*, Carmelitanus diſcalcea-

Legati Moſcoviæ.

Legati Arabiæ.

Satrapæ Perſiæ.

Leg. Imperatoris Romani.

ceatus, Vir eximiæ eruditionis, Belga, *ut ad litteras ab Invictiſſimo Romano Imperatore*, quas ante triennium Prior ſui ordinis (in itinere mortuus) patriâ extulerat, *Reſponſorias repeteret.* Ridiculum erat, eas dum capiti affixuri eſſent (in Monachali enim habitu incedebat) raſam inveniſſe calvitiem. Ulnis igitur elevatis impoſitæ ſunt exportandæ. Obtinebant trium ſpithamarum longitudinem & latitudinem unius: in crumenâ reconditæ Damaſcenâ, auro diſtinctâ & obſignatâ. Tantorum Principum epiſtolas ad ſuperbam gentem per eos ferri, quos *fakkiir*, id eſt, pauperes & mendicos, vocant, res meo judicio inconſulta & ignominioſa eſt. Legi enim cum Legati debeant, id eſt, mitti auctoritate & prudentiâ politicâ inſigniores: quid aliud credet Curiâ, quàm digniores in aulis noſtris non haberi? Poſtremi comparuerunt ex *Georgiâ apoſtatæ*, quos vocant, uno acceſſu *novendecim;* pro abnegationis ſcelere *Galatis* donati, atque eo honore, ut in atrii ingreſſu Majeſtati reverentiam facerent; quâ exſolutâ foras reducti ſunt. Dolendum eſt, quàm illa Chriſtiana gens, quæ olim ob controverſas in fide minutias, rupto Concilio, à Græcorum Eccleſiâ deſciverat, hodie eò levitatis prolapſa ſit, ut præputium venundare exiguo lucri præmio non dubitet. Jam vicies mille inhabitare dicuntur Isfahanum, patriæ & religionis deſertores; rarique celebrantur Conſeſſus, quibus non ejus pulveris hominibus ſalutandæ Majeſtatis gratiam indulgeri videas. Nec tamen cuivis apoſtatæ, ſed nobilioribus ſaltem, hanc accedere Corinthum permittitur: In causâ eſt ingens religionis languor & craſſa fidei Chriſtianæ ignorantia; in quâ ſe ſatis profeciſſe putant, ſi didicerint imagines colere, ſe cruce ſignare, &, quod prora & puppis eſt, jejuniis præſtare obſervantiam; ceterò fidei articulos & fundamenta ignorantes, & ſaltem nominatim Chriſtiani; ut metuam magnopere, ne tota Chriſtiana Colchis, in Mahhammedanam bar-

Apoſtatarum.

barbariem, tractu tandem ſeculorum deficiat; præſertim, cum civem expectata præmia, ipſos Principes favor aulæ atque promiſſi honores alliciant.

§ VII.

Res in conſeſſu geſtæ.

Hæc dum ita agebantur, intercalaria quædam ſub incudem vocata, ac præſertim ſupplices ſchedulæ beneficia ambientium Majeſtati productæ & explicatæ ſunt: plurimæ à *Memadauletho* (quo cum Regi frequentiſſimum erat colloquium) aliæ à Mareſchallo, pauciores à primoribus aliis, prout petitorum rationes functionem cujusq; attinebant. Supplicantium juſſi ſunt nonnulli è longinquo ſe Majeſtati ſiſtere conſpicandos; alii ad cancellos conſtituti, vel eventum deſiderii, vel provocationem, fruſtra expectare viſi ſunt. Contigit inter ea, gemino ſpectare exemplo ritum conferendi *Tadſj*, ſive Mitram Sophorum aulicam, quem noſtrates interpretantur *collocationem ſymboli Nobilitatis Perſicæ*, des Perſianiſchen Ritter-Ordens. Duo unà inducebantur juvenes in ſecundum atrium, quorum unus præfecturam palatii Regii urbis *Keskèr*, alter antiſtitium ambiebat non diſſimile. Utrumque officium adminiſtratorem expoſcebat nobilis dignitatis. Explicatis igitur à *Memadauletho* deſideriis, ambo immotis talis conſtitêre, usque dum eos intuens Rex, ac bene à natura formatos judicans, petitis annueret. Quo facto, *Sohbet Jeſaul baſſi* (is eſt janitorum caput, & ſecundus à Mareſchallo) egreſſus palatio, faſciam ſui capitis cum mitrâ ipſe commutavit Sophicâ, & reverſus ornatu, juſſit candidatos in abdomen procumbere, extenſis ad femora brachiis manibusque: tum ille elato in altum ſcipione diu gravi expectavit fronte nutum Regis, in colloquio cum Proceribus diſtracti: quo obtento, podicem utriusque tribus plagis validè percuſſit, & hoc ipſo, muſſitatâ inſuper certâ verborum formulâ, in Sophorum ordinem eos ado-

ptavit; caput inpoſterum decorare ſocietatis ſymbolo, & ad munia quævis pro meritis ſuis aſpirare, Majeſtatis nomine permiſſos. Levatus in genua uterque infula ornatus, percuſſoris baculum devotionis & gratiarum oſculo veneratus eſt, videlicet appoſitione oris & frontis tribus vicibus repetitâ; & mox ab eodem cinctus etiam acinace, cum impetratâ ſpartâ ex proſcenio diſceſſit. Interpoſitâ morâ ex prætorio ordine gemini milites, interceſſore Mareſchallo, provocati ſunt, Domus Regiæ inter Sophos, ſive Janitores, deceſſorum in locum ſubſtituendi: Res in imo atrio geſta eſt iisdem, quas recitavi, ceremoniis. Quibus finitis, voti compotes ad arma depoſita regreſſi ſunt, galeam cum nobiliore pileo ſpartâque propediem mutaturi. Hæc inter videre contigit, fictili ſatis capaci aquam calentem forinſecus protrudi in ſupremam ſcenam, & ad Regale latus ab ephebo quodam deponi, cum ſupplici Directoris interceſſione: *eam ne Rex immisſis ſacrare digitis dedignetur; ſitire eam*, teſtati, *miniſtrum Regium, languore chronico miſerè detentum, qui ejus virtute convaleſcere confideret; naturali pharmacorum ope fruſtra diu tentatâ.* Credit ſuperſtitio ſubditorum, effluviis Regii corporis ſanandi ineſſe facultatem; quia ſacra de ſtirpe natum duodecim Imamorum, quos ſanaſſe ægrotos ſine remediis legitur. Intinxit ergo primores digitos, inq; gyrum bis terve agitatam tolli annuit.

Solennis munerum oblatio.

§. VIII.

His abſolutis, munera, cùm à Legatis allata, tum extra ordinem miſſa ab aliis, longâ deductionis ſerie Majeſtati oblata ſunt. Ordinem dirigebat non nemo primarius ex Jeſaulis, qui bajulos lente procedere, & prope introitum ſiſtere ſingulos gradum curavit, ut oblata Rex eminus poſſet inſpicere. Inſpectio ſatis erat perfunctoria, circiter ex ſeptuaginta paſſuum diſtantiâ. Non dubitave-

taverim tamen, quin expenſa deinde fuerint diligentius à Principe iſthoc,munerum ſatis amante. Certum eſt, à Naſirio & præfectis officinarum accuratè omnia penſiculari debere; alia etiam, ab exteris, quæ miſſa ſunt,exquiſitim æſtimari: quoniam ad valorem illorum redhoſtimenta paranda veniunt in duplici pretio. In fronte ducebantur, velut in triumphum, triginta prædonum Usbecenſium capita,longis haſtis à tinctorum famulis geſtata, tanquam teſſeræ fortitudinis, ab Archiſatrapâ Choraſmienſi miſſa; quos excipiebant primipili prædonum tres,ligneis collo numellis vincti. Reducendis, ex ſpectaculo, dicebatur pœna eſſe decreta, ut devorandi moloſſis objicerentur. Sequebantur atri coloris equi Arabici tres, à Principe ejus terræ miſſi; Hos verò falcones ſex, ſinguli manibus ſingulorum geſtati. Inde Sereniſſimi Regis Suecorum munera, videlicet horologium à ſex bajulis,& novem Italicæ artis ſclopeta, à ſingulis portata. Rurſus equi ſeptem, ex vario colore integumentis cooperti, ſinguli à gemino equiſone ducti. Mox pelles muſtelinæ Scythicæ, (Zobellinæ) duo ſpecula, & ex eodem vitro ciſta reſplendens, ſarcophagi minoris magnitudine & figurâ, omnia Ducis Moſcovitarum munera. Tum ex Poloniâ falcones vivi quinque, à totidem bajulis geſtati, unus ſiquidem in viâ mortuus erat. Deinde cameli, muli, equi, cervi, diſtinctis vicibus adducti ſunt non pauci; quorum verò ordines intercipiebant ductores quidam operum mechanicorum,veluti pannorum,aureorum,argenteorum,bombycinorum, ſericeorum, laneorum; tum, qui aulæa & integumenta pretioſa, qui arcuum & ſagittarum faſciculos, qui pellium variarum volumina, qui ocreas & calceamenta diverſi generis bajulabant,atque alia non nulla,ab amanuenſi meo, qui in horto conſtitutus palimpſeſto ſingula conſignabat, non ſatis agnita. Lintres quoq; octo numeravimus inter dona poſtrema adductos, unum ſtapedibus

ferreis, duos funibus equeſtribus, duos item leguminibus, tres ligneis hauſtris & cochlearibus plenos. Agmen muli claudebant gemini, onuſti centonibus. Tenebat munerum catalogum *Memadauleth*, ut poſſet, quæſitus à Rege, ſingulorum datores indicare.

Prandium.

§. IX.

Hactenus epuli ſpectatores ultra trihorium accubueramus (id ſibi temporis agenda in Conſilio vindicaverant) cum tandem, finita oblatione, cœptum eſt ſerium adornari prandium. Proinde novæ in cylindri figuram convolutæ mappæ, vaſaq; plena operculatis dapibus apportata ex coquina, & ante palatium, in humo tegminibus ſtrato collocata ſunt, inibi relinquenda, donec inferendi daretur teſſera. Numeravi patinas ampliùs centenas, unà cum operculis ex obryzo fabrefactas, omnes tanti ponderis & molis, ut omne bajulatoris robur ſingulæ expoſcerent. Opercula turbinatam exhibebant faſtigii formam, quæ ferculis commodè operiendis eſſet idonea, pari figurâ accumulatis. Omnes oryzam fovebant more coctam Perſico, id eſt, ſpiſſam, granis lentore non cohærentibus, qualem appellant *Pilaù;* illam verò condimentis, quibus gulam geniumque demulceret, diverſiſſimis temperatam: Alia enim mixta & percocta erat frictis, aſſis, vel elixis carnibus; alia amygdalis decorticatis & paſſulis majoribus; alia bulbis & variis oleribus, illo præcipuè, in quod Romanæ fidicen Lyræ tantopere invehitur; aliæ etiam cupediarum raras & conquiſitas varietates in ſuperficie ſuâ referebant. Nec coloris multiplex deerat mangonium, quo ſalivam intuentibus moveret, niveo, roſeo, crocino, cæruleo, cæſio, murino, purpureo, nam hos colores potiſſimùm obſervavi. Scutellæ patinarum numerum pene ſuperabant, pauciores aureæ, pleræq; pro obſoniorum conditione, porcelinæ. Contenta erant herbæ crudæ, præſertim

tim cepæ; *atſjaar*, i. e. fructus & radices aceto conditi; tum liquores ſorbiles & embammata. Expectabant foris epularum bajuli, oculis in ſcenam intentis, & Archi-Mareſchalli de inferendo juſſa expectantibus: quibus poſt horæ quadrantem nutu datis, primus per atrienſem provocatus eſt *Tuſjmaal baſjì*, id eſt, ſupremus dapifer, & culinæ Regiæ inſpector, ſcipione longo, qualis Mareſchallorum eſt, ſuperbè armatus. Is ſtatim, atque pediſequorum cum manipulo, pedem in primâ ſcenâ figeret, oculos probè ad omnes circumduxit diſcumbentium ordines, & quid facto opus ſit cognito, mox in ſcenam ſe protulit alteram, Archicamerarium hortatus nutu, tollenda curaret bellaria ante Majeſtatem poſita: In cujus obſequium, ſpadones, mutatâ ſtatione, Regem à fronte circumdederunt, ordine adeo arcto, qui menſam ab hoſpitis aſpectu intercluderet. Tum, ad Regis ſiniſtram, primus quadras cum bellariis, mox ſputi receptaculum, ultimò toralium removit, & ſucceſſivè tradidit adſtanti ſocio, hic eadem tertio, tertius quarto porrexit, donec ſpadonum emenſa manus, ad minſtros, quos per atrium longâ ſerie ſparſerat Archidapifer, pervenirent, & per horum quoque manus progreſſa, extra atrium proferrentur. Pari ſucceſſu ante convivas tabulæ cum paropſidibus, mappis & urnulis remotæ, & cœnaculo cum mirâ celeritate eliminatæ ſunt, ſine ullius hominis diſcurſu & loquelâ. Apparatum omnem ſervi *Halwatſjì*, ad cancellos conſtituti, excipiebant, diſtributoque inter adſtantes ſocios & atrienſes quicquid eduliorum reperiſſent, mappas & vaſa inania in cuſtodias retulerunt. Hoc facto, ſimul ingreſſi comparuerunt prandii curatores, *Suffratſji baſjì*, ſive ſtratorum director; *Tſjurektſji baſjì*, primarius temperator ſorbilium; *Turtſji baſjì*; primus acidorum & ſalſamentorum conditor; *Sebtſji baſjì*, ſupremus olerum præfectus; & *Tſjini Keſitſji baſjì*, præcipuus vaſorum

Sinenſium, ſimul ac dapiferorum inſpector; ſtipati rerum, quas quisque curabat, latoribus & adminiſtris. Tum ſupremus ſtrator mappam proximo Cubiculari pro Regio triclinio tradidit; quæ per manus eunuchorum omnium volutata, tandem ab ultimo Camerario expanſa eſt. Cæteras mappas pro menſis hoſpitum, ipſi explicabant latores. Mappæ omnes erant ex panno Attalico, cum paris telæ trilice concinnatæ, floribus opere Phrygio exornatæ aureis argenteisque, & prioribus nequicquam ſplendore vel pretio cedentes. Mox caſtrati ordinis, aureo inſtructus gutturnio, procurrit puer, & manus Regias inundavit aquâ limpidâ tepente, quam Rex ſtrophiolo, per Archicubicularium dato, abſterſit. Idem pro lotione liquor primoribus medii atrii, ex aureis quoque gutturniis, oblatus eſt, verùm per vulgares ſervos. Mantilium non fuit uſus; quisque madorem proprio abſtergebat linteo, ex ſinu pectoris deprompto; In eo, ob cinctum femoris, commodè abſcondit natio, quicquid ſolent noſtrates geſtare in perulis. Dehinc panum facta eſt diſtributio, & ſingulis præpoſita ovalis figuræ placenta triticea, craſſitiem obtinens auricularis digiti, & duarum ſpithamarum longitudinem, non crediderim pro cibo, ſed loco orbis & mantilis. Nec mora, ſcutellæ cum julapiis, ſorbitionibus & ſalſamentis illatæ, & per menſas digeſtæ ſunt; demum & ipſæ dapes in vaſis prægrandibus apportatæ, & demptis ante menſas operculis, ſimplici ac preſſâ ſerie ſunt appoſitæ. Miſſus in menſis omnibus, diſcumbentium reſpondebant hoſpitum numero, tantùm ante Sereniſſimum, præter ſcutulas, numerabantur duodecim, in quadratum ordinem diſpoſiti, atque his inſuper unus in medio catinus aureus monſtroſæ magnitudinis, plenus oryzâ, carnibus & variorum eſculentorum lautitiis, in turbinatam colliculi molem aggeſtis; qui verò, quòd à paucis dirigi non poſſet, feretro

im-

impoſitus aureo, & ab octo bajulis, non quidem per atrii longitudinem, ſicut cetera fercula, ſed, facto viæ compendio, per poſticum, cui Rex in vicinia aſſidebat, permoleſtè illatus eſt. Sic adornatis tricliniis, ſeſe ſcenis extulerunt curatores, cum ſervis & bajulis, ſaltem ſtructoribus, qui fercula diſtribuerent, demoratis. Tum, Archiſtructoris loco, *Mehter* (prius divinam benedictionem clarâ voce precatus) ante Regios miſſûs inflexis conſedit genibus, & ex lautioribus, poſtquam illos prælibaſſet, patellas quatuor Regi præpoſuit. Ceteri ſtructores exertis ſuis quoque lingulis (quas intra cingulum geſtabant prælongas aureas) menſis reliquis miniſtrabant ſinguli, tantùm de diſſitis impertientes, cùm de propinquis capere cuivis eſſet in proclivi. Convivarum nemo cultro aut furcillâ utebatur. Exulant hæc à Perſarum menſis impedimenta; ſolâ inſtrumentorum vices gerente dextrâ; (ſiniſtram turpe eſt adhibere in convivio) Carnes quippe ad eam mollitiem percoquuntur, ut digitis comminui nullo poſſint negotio. Nec cochlearium uſus hîc erat, niſi pro hauriendis julapiis, quibus ſubinde gutturis officium levigabant. Non credat Italorum ſobrietas, quantos Perſicum genus hoſpitum oryzæ bolos deglutiverit, ſimul cum portione carnis non contemnendâ aſſumptis, & ne quicquam præmorſis: Naturam judicaverint dentes Perſis dediſſe inutiles & otioſos, ſi ſolius manducandi cauſâ dederit. De panibus nemo micam comedebat, quaſi cibo minus de tempore, tanto cupediarum in affluxu. Exulabat vinum: Eo Regem, ægritudine levatum, Medici interdixerant; ad cujus abſtinentiam toto Regno vitalis ille liquor ex conviviis Muſulmannorum proſcriptus erat. Vices tamen egregiè ſupplebat Julapiorum genus, omni vino & nectare ſuavius, ex aquâ roſarum, ſuccis limonum & granatorum, ſaccharo atque rebus cordialibus, perquam ſapidis

pidis & ſuaveolentibus paratum. Nec ſitienti fontana deerat, quam ad cujuſque nutum pocillator ex porcelino vaſe liberaliter propinabat. Saltatrices quoq; ac cantrices aberant; eo conſilio repulſæ, ne his Princeps illecebris denuo in corporis noxam impingeret. Aberant gladiatores, luctatores, comœdi, quos alioqui & conſimiles agyrtarum globos invitare voluptas, vino laceſſita, non rarò ſolita erat. Cum prandii exordio quoque Muſicorum ceſſabat ſtudium, inſtrumentisque reconditis, non in fidibus ampliùs, ſed in patinis decertabat; exemplo ceterorum, qui ſolis omnes intenti miſſibus, alto prandebant ſilentio ſepulti. Vix Sueci ceperamus etiam ferculis admovere digitos, hactenus novitatibus objectorum & voracis ſcenæ contemplatione ſuſpenſi, cùm Sereniſſimus Convivator inopinatum convivio, ablutis manibus, colophonem, ſub ipſo prandendi ardore, impoſuit. Quo ipſo omnes manum ſuſtulêre de tabulâ; ſimul irruentibus miniſtris, qui incredibili celeritate cibos mappasque ex cœnaculo tollerent, ab imis ſeſſionibus auſpicati. Peregrinum erat, epulantis convivii tam ſubitò mutatam ſpectare ſcenam, & in momento in Socraticæ ſobrietatis theatro conſtitui, quod Perſicô apparatu & epularum Regali magnificentiâ paulò ante luxuriaverat. Mirari tunc hoſpitum deſiiſſes ſummam ingluviem, qui prandii tam concitatum prædocti terminum, quippe intra quadrantem finiendi, id ſtudioſè egerant, ut temporis invidiam mirâ celeritate compenſarent; cujus haud æquè conſciis id evenit, ut ſegniores in opere, nondum ſatiatis ventriculis epulo exceſſerint. Quid ultra? Præter Sereniſſimum omnes ſe ex atrio proripuêre, & inſalutato Rege, nullo obſervato ordine diſceſſerunt. Tantum ſolio propiores Majeſtatis contuitum venerabantur, non profundâ corporis inflexione, ſed dextrâ manu, quam fronti admovebant. In theatro fori ceſſavit eodem tem-

tempore ab officio chorus tympaniſtarum & tubicinum, qui incredibili tumultu Regali admiſſionis feſto, inde à præcedente veſperâ adfremuerant. Reduces facti, lares noſtros militari cuſtodiâ, quâ hactenus caruerant, munitos invenimus: qui & cæteris tutelæ honos datus eſt Oratoribus, vultum Principis nobiſcum primâ vice veneratis. Ab omni hiſtoriarum memoriâ Perſarum faſtus in conviviis obtinuit, ut non ii tantùm, qui in dignitatis faſtigio conſtituuntur, aut divitiis affluunt, majorem oſtentare honore ſuô vel opibus magnificentiam ſtudeant, ſed illi etiam, quos fortuna in obſcuro tenet, impares viribus impenſas facere non dubitent hoſpitalitate; luxuriæ mater quòd procul dubio cœli exiſtat genius. Omnes Regis epulæ, prandia, cœnæ, in Camerâ computationum ad certam reducta leguntur pecuniæ ſummam, ex quâ magnificentiam poſſis conjicere. Victus aulæ ordinarius quotidie æſtimatur tomanis triginta quinque; prandium ſolius Principis tomanis duodecim. Notabile eſt: Primores, invitantes ad feſtivitates ſuas Regem, non ipſum parare epulum, ſed prandii pretium expendere, totidem, quot dixi, tomanos. Privatim veſcenti, vaſa non aurea, ſed murrhina vel porcelina ſerviunt, viginti in prandio, in cœnâ duodecim. Pretium ſolennis convivii me latet; ſcio, quàm breve ſit, tam plenum, tam ſplendidum, tam ſumptuoſum eſſe: etſi menſas, miſſibus commutatis, more noſtro non variet. Quanti autem momenti fuerit; multifariam tamen refunditur, tot datis muneribus, cùm à Legatis & hoſpite extraordinario, tum inprimis à Satrapis & regni Magnatibus, quæ ſub anni auſpicium homagii loco offerunt. Parpoſides aureæ, conviviis deſtinatæ, dicuntur ad millenarium numerum exſurgere, & in ære conſtare ampliùs trecenties mille tomanis; cetera ſupellectilia, rarioribus annumeranda, idem pretium pene duplo

Ii exce-

excedere; quintuplo & ultra ſuperare gemmas & cimelia, quæ partim Rex faſciæ capitis, capuliſque pugionum & acinacum, inſerta gerit, partim recondita domi ſervat, & in theſauro arcis *Kalahi berrùk*. De quibus prolixiùs diſſerendi occaſionem habebimus in noſtro Hodœporico. Tantum de hodierno Perſicæ Aulæ Statu!

AMOE-

AMOENITATUM EXOTICARUM

FASCICULUS II.

Continens

RELATIONES & OBSERVATIONES HISTORICO-PHYSICAS

DE

REBUS VARIIS.

Catalogus Relationum
FASCICULI II.

Relatio 1. In mari Caſpio nullæ voragines; ejusdem pelagi amarities.
2. *Okeſra*, peninſula Mediæ, naturæ prodigiis conſpicua.
3. Turris cornuta in Regia Perſarum urbe Iſphahano.
4. Monumenta campi Perſepolitani, rupi inſculta, quæ vocant *Nakſji Ruſtaam*, i. e. ſimulacra Ruſtamica.
5. Palatii *Istachr* ſive Perſepolitani rudera, vulgò *Tſjihil minaar* dicta.
6. Antiquitatis monumenta in campo *Sjubaſàr* novæ Perſepolis.
7. *Sjeich Chodſja Haſès*, & *Sjeich Saädi Sjiraſì* illuſtrium Perſiæ Poëtarum ſepulturæ.
8. Onopoïa Sjiraſenſis.
9. Memorabilia montis *Bennà*.
10. Rudera Diluvii Moſaici in Perſiâ.
11. Sabæi, ſive Chriſtiani S. Johannis baptiſtæ, circa Arabiam deſertam.
12. Inveſtigatio Innocentiæ per Crocodilos & Ignem, apud gentiles hodie uſitata.
13. Chartopoïa Japonica.
14. Regnum Japoniæ optimâ ratione clauſum.

RELA-

RELATIO I.

In mari Caſpio, nullæ voragines; ejusdem pelagi amarities.

§. I.

Lacus Aſiæ mediterraneus, quem *Caſpium* Latini, Ruſſi *Galenskoi more*, i. e. mare Hyrcanum; Perſæ دريای قلزم *Derja Kulſum*, & Turci *Bohaar Korſum*, i. e. mare clauſum vocant, mirè exercuit hactenus Philoſophorum judicia, haud injuriâ ſtupentium: alveum undique clauſum tantam vim fluminum ex propinquâ & remotâ origine recipere, ne pridem exuberaverit, & ſuperato littore, terras adjacentes perpetuo diluvio ſubmerſerit. Difficultatis explicationem magno conatu adortus eſt ille ſeculi noſtri *Plinius*, *Athanaſius Kircherus*, qui ingenioſâ conjecturâ tellurem ſtrenuè perfodiens, aquam ab imo Caſpii, hîc in Pontum Euxinum, illic in ſinum Perſicum educit, fultus prædictorum marium conditione & phænomenis quibusdam, quæ inibi revera ſpectari, candor doctiſſimi Viri falſo relatori credidit. Arrexerat perplexos doctorum animos, ut hos gurgites, rationi conſonos, vulgo mirabiles, naturæ myſtis deſideratiſſimos, velut Ariadneum filium amplexi, evaſiſſe ſe impervium naturæ labyrinthum exiſtimaverint: dum ecce viatores deinde omnes, qui hoc mare trajecerunt, gurgitum, quos non viderunt, præſentiam liberaliter confirmant; imò & hydrographicis mappis inſerere non dubitant. Nimirum, quia hi de extantiâ nimiùm perſuaſi, culpam ignaviæ & neglectûs fugiunt, atque rerum admirabilium narrationibus ſemper placere ſtudent Lectoribus. Hos ego verticoſos gurgites, ſpectabiles quidem, Voragines.

dem, & in maris ſuperficie comparentes, mera (ſed citra ſcriptorum contemptum) figmenta eſſe aſſero. Teſtes habeo accolas maris Caſpii, Tartaros, Ruſſos, Perſas, qui nullos ſibi vortices innotuiſſe, per Deum & ſacra omnia mihi jurarunt: Teſtes habeo nautas & marinos ſocios, qui à pueris hoc æquor longum latumque ſuis ratibus metiti ſunt, nihil experti in eo inſoliti, niſi cautes circa Hyrcaniam, navigantibus infeſtas: Teſtes denique & ipſi prodimus, ſocii Legationis Suecicæ ad Regem Perſiæ, qui diebus duodecim vario Æolo, ſine velis ac remis in hôc alveo jactati, nullas voragines deprehendimus, & ſolertiſſime percunctati, nullum inter accolas oculatum teſtem. Ergone tot, qui de iis referunt ſcriptores, falſi ſint? Sanè ſunt! Eſt hæc ſub illo cœlo hominibus aliis modeſtia & gratificandi ſtudium, ut quæſitis ſemper annuant; aliis moroſitas, ut balbutientium pertæſi ſe expediant faciliùs, ſi id affirment interrogati, quod non intelligunt, vel neſciunt. Quâ igitur fide & facilitate viatores, à loci epibatis, barbaris & rerum ignaris erudiuntur, eâdem rurſus acceptas notitias creduli exponunt Lectoribus. Ex noviſſimis vorticum aſſertoribus nominari meretur Rev. *Pat. Avril*, natione Gallus, qui Itinerarii, quod vernaculâ conſcripſit, Libro 2, oſtenſurus effluvium Caſpii in Sinum Perſiæ, geminos ponit circa Hyrcanum littus gurgites, ſalum horrendo tumultu & fragore abſorbentes, ſed à ſe ipſo haud viſos. Confirmaturus fidem; *Salviæ*, ait, folia per autumnum innatare Sinui Perſico, quæ tamen nuſpiam, quàm in littore Caſpio germinent; inde igitur vorticibus prædictis abripi, & per ſubterraneum ductum devolvi. Speciosſum argumentum! Ego verò biennium ſudavi in littore Sinûs, omnem ejus hiſtoriam pro tenuitate meâ ſedulò perſcrutatus; ſed mentiar, ſi inter vegetabilia, quæ vel innatare contingunt, vel undis expelluntur, vel retibus extrahuntur piſcatoriis, Salviæ folium unquam mihi in conſpectum venerit. *Algam* Sinus

nus, non *Salviam* fovet, eamque æſtate copioſam in littus eructat; Hanc fortaſſe Reverendo Patri non ſatis Latinus, & ſono haud diſpari ambiguus narrator pro Salviâ ſuppoſuit: ſive etiam in eo erravit *R. Pater*, quod folia fruticis *Horâu*, Algæ permixta, adoptaverit pro foliis Salviæ majoris, quorum figuram & magnitudinem, neutiquam tamen rugoſitatem cum ceteris qualitatibus, exprimunt. Planta hæc (cujus deſcriptionem in calce ſiſtam) in depreſſis Inſularum partibus, & uliginoſo littore, ad Salicis morem & magnitudinem luxurians, certis diei horis periodico maris affluxu perpetuò agitatur; unde folia ejus in lapſum proclivia, ſæpè & ipſæ ſtirpes, refluxu abrepta, in mari nonnunquam fluctuant. Salviam verò germinare in Caſpio littore, ſabuloſo ubique & inculto, veriſimile non eſt; nec unquam audivi, & videre peragranti mihi nuſpiam contigit. In campis, Wolgæ adjacentibus, paucis & editioribus, ejus ſpeciem quandam inveni, ſed centenis aliquot leucis à Caſpio; unde folia quis fruſtra deduxerit: utpote quæ in tanto fluminis, maris & ſubterranei meatûs tractu, macerata liquore corrumpentur & ſubſidebunt. Addo, ſi his ſeſe voraginibus evolveret mare Caſpium, neceſſario, ut ibi elabentis, ita in Sinu eructantis aquæ vortices ingentes, prodigioſo tumultu ſe proderent; quas nec mihi in eo naviganti, nec aliis, quantum explorando accepi, videre unquam contigit.

Ubi ergo manet, inquies, horrenda, quæ influit, aquæ copia, ſi prædictis vorticibus non abſorbetur? Unica *Wolga*, ſive flumen *Rha*, octoginta oſtiis ſe exonerans, à quingentis & ultra milliaribus, ex occidente primisq; Ruſſiæ finibus, aquas repetit. Inter Sjamachiam Schirwani, & Reſtam Hyrcaniæ metropoles, vix ſexaginta milliarium ſpatio, fluvios numeravi, neglectis rivis, ſupra quinquaginta Caſpium ſubeuntes, turgidos rapidosque; inter hos famo-

Continuitas cum Oceano.

famoſiſſimus *Cuur*, is qui Cyro nomen dederat, Albim noſtram æquat magnitudine, ſuperat velocitate, quòd & ipſam in fine abſorbeat Araxin, quæ Armeniæ pene totius humores haurit. Quid de ingenti flumine *Jaico*, quod à Septentrione ultra Obii fontes; de *Orexiante*, quæ ex Turkeſtanâ & Orientalis Tartariæ deſertis: de *Oxo*, qui ex Indiâ propeque montem Imaum, Gangis genitorem, fontes, imbres ac nives liquefactas in hoc Aſiæ hydrophylaceum deponunt? Fortaſſe à vero non aberrabimus; ſi cum antiquiſſimis auctoribus mari noſtro tribuamus communionem cum Oceano; vel clariùs: ſi Caſpium per abyſſum ſubterraneam cum Oceano coire ac continuari dicamus. Equidem, ſicuti Oceanus multis in locis (quòd bolidè exploratum eſt) in immenſam profunditatem perpendiculariter extenditur: ita veriſimile eſt, eundem quoque terram ſubire antris & hiatibus transverſis & obliquis; coëuntibus tum cum lacubus quibusdam mediterraneis, iis videlicet, quorum aquæ perenni affluxu auctæ, inſenſibiliter decedunt; tum cum ſtagnis & fontibus quibusdam prodigioſis, quorum liquores dicuntur creſcendo ac decreſcendo referre periodos Oceani: qualia phænomena citra hanc continuitatis hypotheſin, nunquam explicaverint Philoſophi. Si ſic; nil miramur ampliùs, ſi aquæ vel decuplo magis accedat, nec tumeſcat tamen: quoniam affluenti alii, ſubinde cedit moles inferior, & ex communi preſſurâ aëris, terraqueum orbem ambientis, ea ſemper ſervatur altitudo, quæ Oceano atq; communi ſphæræ totius telluris reſpondet. Objicies: lacum dudum obdulcuiſſe, ſi quantum in ſuperficie recipit aquæ dulcis, tantum ſalis ex imo dimittat in Oceanum. Reſpondeo, idem evenire dicendum eſſe, ſi per vortices cum tumultu efflueret. Verùm, nihil utrobique difficultatis eſt, ſi illabentes rivi ſalſi, & montium ſalſorum radices, quas perennes undæ lambunt, jacturam reſtitu-

ſtituant. Quod ipſum verò ſi negaveris; per me licet. Rurſus igitur occluſum habebimus mare, non minùs exſors continuitatis cum Oceano, quàm Vorticum, per quos effluat: quod poſterius nobis erat demonſtrandum. Interim ne tot aquis lacus noſter obruatur, exundationi opponemus dictum *Eccleſiaſtæ*, qui *cap. I.* de Oceano loquens: *Omnia*, ait, *flumina intrant in mare, & mare non redundat; ad locum unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant:* & de Caſpio judicabimus, quòd liquores ſuos reddat terris adjacentibus eo modo, quo idem præſtat ipſe Oceanus, qui, herclè, fluminibus aggravatur totius reliqui terrarum orbis. Quomodo autem reddat? quo impetu propulſos? an vi quaſi mechanicâ fluctuantis Oceani, cujus undæ liquores per terræ meatus, velut per ſiphones, in ſublime adigunt? an ſolâ exhalatione, ſive à luto magnetico, quod *Cl. Beccherus* obſervavit, in fonticulos, ſive ab aëris frigiditate in pluviam coactâ? id nobis naturæ myſterium, ſapientiſſimus mortalium Rex non explicavit; nec ego Relator dubiis rationibus & conjecturis temerabo. Ad alterum potiùs membrum tranſeo, amaritudinem videlicet; quam nunc, repudiatis vorticibus, indigitabo, priùs daturus promiſſam deſcriptionem Plantæ.

Horau, ſeu *Amygdalus marina, Sinûs Perſici.*

Loca inhabitat cœnoſa, periodicæ inundationi maris obnoxia. Radices ramoſas ac ligneas altè agit, undas, quarum vegetatur ſalſugine, indemnis eluſura. Caudicibus conſtat ſeſquiſpithamalis craſſitiei, paucis, tortis, teſtaceo coagulo armatis; quorum rami inæquales & fragiles, ſurculos gerunt folioſos, bicubitales, ex longis intervallis adverſos. Cortice tegitur duro, coloris cinerei, in ſurculis quodammodo lanuginoſo. Lignum ejus durum eſt ac ſolidum, ignem difficulter recipiens, at fovens pertinaciter, carbonibus tamen non in prunas, ſed favillam fatiſcentibus. Folia ſua alternè adverſa gerit ſingula, petiolis craſſis, in lu-

teum languentibus nixa, plana, oblonga, in obtuſum mucronem deſinentia, rigida, pinguia, fragilia, ambitu integro, internâ ſuperficie viridi ac nitente, exteriori incanâ & leviter pubeſcente, ſapore ſalſo, ſeu is à ſucco ſit, ſeu à ſuperficie ſalſâ, quam toties ſalum irrigaverat. Flores in ſummis ſurculorum faſtigiis rariores exerit, in luridum luteos, ut plurimùm imperfectos, in quatuor (aliquando quinque) labella intra piſi orbem expanſa ac repanda, carnoſa & informia diviſos; ſtylo intus perbrevi, quatuor apicatis ſtaminibus ſtipatos. Fructus florem excipit amygdalinus, pericarpio herbaceo, oſſe interiùs firmiter adhærente, per maturitatem duriuſculo; nucleo bifido, ſaporis fatui. Uſum exhibet œconomicum; lignum videlicet foco, & frondes pro alimento camelorum. Quo fine navigia, cum receſſu maris ſoluta, in fruticeta (quibus abundat Inſula *Kiſmis*) nocte algidâ excurrunt, ac redeuntibus undis revertuntur, exciſis onuſta ſtirpibus, quas in faſciculos colligatas exponunt venales in littore. Eandem in paludoſis littoribus Indiæ inveni, ſatis copioſam, ſub nomine Malaico *Saga*.

Amarities.

§. II.

Non ubivis lacus noſter eundem ſaporem & colorem exhibet, ſed à varietate humorum, quos recipit, & ab ipſius fundi conditione mutationem patitur. Circa littus dulcis eſt, turbidus, ſæpè limoſus & qualitatibus imbutus ex propinquo illabentium fluviorum: Horum enim aqua, tanquam levior, à marinis undis facilè repulſa, circa littorum tractus diffunditur; ſudo autem cœlo altiùs provecta, in ſummitate maris diu fluctuat, antequam miſceatur. Flumina majora, quæ magna mole & cum impetu irruunt, niſi adverſo vento turbentur, duo & ampliùs milliaria, ſervatâ dulcedine, jugiter profluunt. Cujus rei notitiam permoleſtè hauſimus, longè extra terræ firmæ conſpectum, uno circiter milliari ab Inſulâ *Tſjetſjin*. Nam cum vagâ tempeſtate huc delatis, anchoram demergere obſcu-

obſcura nox & inſperata fundi ſuaſiſſet propinquitas, poſtridie, à breviſſimis tempeſtatum induciis, appulſa eſt navi noſtræ ingens & rapida moles aquæ dulcis, limoſæ, ex occidentali & procellis contrario cardine profluentis, tantâ ſanè vi atque impetu, ut inde anchoræ perdendæ, quæ deſperatos tenebat ultima, periculum fuerit. Erat autem dulcis, vel ut propriè loquar, inſipidus adeo fluctus ille, ut eodem repleverimus vaſa, &, quæ ab amiſſis per tempeſtatem cibariis, maximè affligebat, potulentorum jacturam reſtituerimus. His elapſi Syrtibus, rurſumque in altum mare provecti, muriaticam ſalſedinem deprehendimus, & colorem ex fundi diſtantiâ & conditione herbidum. Mox ubi plumbo fundum ampliùs non aſſecuti ſumus (chordis exploratoriis non utuntur longioribus viginti orgyjis) ſalum atricolor, liquidæ inſtar picis, nobis viſum eſt, prout rectè de eo *Petrejus* olim retulit: ea nimirum luminis modificatio & luſus eſt; nam vitro exceptum ſatis erat pellucidum, in colore & limpitudine nihil mutatum. Hoc, inquam, loco guſtatum à me mare, non tranquillum, ſed ab iratis ventis (ut ſunt in Caſpio, eo tempore) à multis diebus turbatum, ac imum ſummo converſum, exhibuit ſanè, præter ſalſedinem ſuam, inſignem quoque amaritudinem; amaritudinem dico, non qualem Romani, ex linguæ licentiâ, de intenſâ ſalſedine prædicant, ſed veram, exquiſitam & palato meo ingratiſſimam. Quam cum deguſtarem, mirari ſatis non potui, inſolitam hanc qualitatem à viatorum nemine obſervatam, vel certè à nullo auctore ſcriptis conſignatam eſſe, cum ſoliciti in aliis fuerint, quaſi ipſi viderint, annotandis, quæ tamen nuſpiam ibi obvia ſunt. Verùm, mirari mox negligentiam deſii, ubi peregrinæ rei teſtes ex comitatu meo, & aliena quoque palata ad deguſtandum fruſtra ſolicitarem; expertus: quàm parum, ad rem ſuam nil ſpectans curioſitas, cordi ſit plerisque viatoribus, præſertim ex

Kk 2 tem-

tempeſtate & naufragii periculo animo dejectis; dum hic animæ ſuæ, ille vitæ ſalvandæ, iſte mercium curâ diſtrahitur, cæteri corporis ignaviâ & rerum admirabilium contemptu retinentur, relegatâ ad Anticyras omni rerum curioſarum contemplatione. Nam cum in iſto tempeſtatis, quanquam jam remittentis, tumultu, incaſſum tot adſtantes invitarem, deprehenſam amaritudinem ad ipſum ſocium meum *Gothofredum Priſtafum*, virum doctiſſimum, defero, & labia ſcypho admoveat rogo, ut diſcat, quod nec legerit, nec audiverit quisquam eruditorum; ille, alioqui in terrâ firmâ rebusque ſecundis ſatis curioſus, reſpondet: *deſine me ſtygio hoc potu laceſſere! tot fluctibus obrutus, multa ſatis amara patior, ſaporem tuo relinquam ſenſui.* Ad alios converſus, ſed inediâ, humore, vigiliis pariter confectos, parem quoque repulſam fero. Unum tandem invenio teſtem, Virum amiciſſimum, *Caſtenium Klingenſternium* meum, Nobilem Suecum curioſiſſimum, (nunc Sereniſſimi Suecorum Regis Aulæ magiſtrum) qui deguſtatam amaritudinem demiratus; imperavit primùm famulo, libaret: quo, præter fel & abſinthium, nihil ſe noviſſe amarius, fatente; *Eſt*, inquit, *veritas obſervationis noſtræ obſignanda teſtimonio Domini Legati.* At Legatus; *apage*, inquit, *ſupplicii poculum; ſi evaſerimus in terram, guſtabo; ubi nec lingua culpabitur, ſi qua ex nauſeâ hîc amareſcet.* Juſſum igitur eſt, ex palude lagunculam vitream ciſtæ præſentis implere: quam cum poſtea in vado recluſimus, ceteris integris, unicum hoc vitrum, quod marinam condiderat, fractum invenimus, quo caſu, neſcio. Ex his circumſtantiis, ſi profundi pelagi ſapor amarus credendus eſt, cauſa quoque amaroris mihi in promptu hæc eſt: Caucaſus mons (ab Iberis in ſuo ortu nuncupatus *Kaukaas*) Caſpiam paludem à Dageſtanâ in Hyrcaniam usque, radicibus in ejus ſinum demiſſis, continuo arcu amplexatur.

Hu-

Hujus jugi Vulcanus, ſicut in aprico, hìc fumos, ibi ignes, illic thermas, flores ſulphureos, ebullitiones variæ materiæ atque alia ſtupenda aſpicientibus phænomena edit; ita in abditis viſceribus ſuis coquit, & in profundum maris, per ſubterraneos meatus, protrudit liquidum quoddam bitumen: Oleum inquam ſpiſſum, terreſtre, nigrum, amarum, odoris fœtidi, & perſimilis illi, ſed vel gravioris, qui ineſt oleo ſuccini, quod per torturam aperti ignis elicitur in officinis Chymicorum. Sanè, tota illa provincia شروان *Sjirwoon*, ſive tractus antiquæ Mediæ, qui ignitum ſiſtit Caucaſum, à Perſis *Aſjuur Meiſjaan*, id eſt, Regio ignis, ab hujus elementi dominio inſcribitur. Hic verò liquor per radices montium in imum pelagus decurrens, à maris agitatione dilutus, intra aquæ, vel magis intra ſalis poros abſorbetur, atque ſic ſalſiſſimam lacûs Caſpii partem, id eſt, graviorem ac fundo propiorem, quàm maximè amarore ſuo imbuit; quemadmodum mare mortuum quoque amaritiem ſuam à bituminis ſcatebris recipit; quod docenti quidem concedimus acutiſſimo *Scaligero de ſubtil. Exerc.* 51. Mare autem in fundo magis dulceſcere, eidem non concedimus, niſi iis in locis, in quibus fortaſſis aquæ dulces ſcaturiunt. Sed nec hæ bituminis reſpuunt conſortium, ſed ejus qualitatibus promptiſſimè maritantur; prout experiuntur, qui inter ſiticuloſos tropicos navigantes, pluviam ex velis quandoque excipiunt: quæ, ſi vel picatos funiculos, quibus vela fimbriata ſunt, attingat, illico inquinata amareſcet, & ad bibendum fiet inepta. Oleo illo, quod قرا نفت *Kara Nafth*, id eſt, nigram Naphtham populari ibidem linguâ Turcicâ appellant, abundat peninſula quædam *Okeſra*, prope urbem باكو *Bakuu* ſitâ, in quâ factis profundiſſimis puteis, Naphtham, ex imminente jugo in pelagus per ſubterra-

terraneos cuniculos manantem, intercipiunt, & aſſiduâ jumentorum hominumque operâ in uſum humanum exhauriunt. Notabilis ejusdem origo eſt, ex natali peninſulâ ſuâ, multis naturæ prodigiis ſpectabili, & perdignis, quæ ſequente ſingulari Relatione excutiam.

RELATIO II.

Okoreſſà, ſive *Okeſra*, peninſula Mediæ, naturæ prodigiis conſpicua.

§. I.

Introductio.

In Mediam citeriorem, quam hodie شروان *Sjirwaan* nuncupant, cum ego advena, inter alia, incolas de *Naphthæ*, quâ lucernas fovebant, percunctarer fontibus, illo loco, quo *Olearius* in Hodœporico eos repoſuit, fruſtra à me quæſitis; ſimulatque obvia mirarer artis & naturæ opera, quæ ab indole rerum noſtratium recedebant: monitus fui ab iisdem, omnino ad vicinam ut proficiſcerer peninſulam, quæ inde, à paraſangis non admodum multis, Caſpium ſubiret mare; cunctis ſeriò ſtipulantibus: perperam me facturum eſſe, ſi tantus rerum, ſibi familiarium, æſtimator exceſſurus provinciâ fuero, non luſtrato priùs loco, non modò *Naphthæ* hujus, de quâ quærerem, ſed aliorum quoque productrice operum plurimorum, in quibus ipſi cum ſtupore defixi viverent populares. Omnia autem ita exhiberi in compendio, ut unius diei obambulatione ſpectari commodè poſſint; quippe alia leucæ unius, alia breviori vel longiori intervallo disjuncta. Non procul inde ſitam eſſe urbem *Bakù*, antiquitate, ſitu, ſtructurâ aliisque nominibus celebrem, ad quam pariter ſpectandam, ſi excurrero, operam me minùs luſurum eſſe. Morabar id temporis *Sjamachiæ*, borealis

realis Mediæ in metropoli, illuſtri Pro-Regis ſede, quæ eſſe *Rhages* in ſacro Codice Lib. *Tobiæ* citata perhibetur. Certè, ſi excipio aurea vaſa, phaleras & Regiæ præſentiæ venerationem, hic ſe Archiſatrapa æquè in convivio oſtentavit ſplendidè, atque Ipſe magnus Rex Perſarum. In hâc inquam populoſiſſima civitate Medicinam faciens, ab ægris ita diſtinebar, ne vel extra urbem prodeundi otium, tantum abeſt, procul excurrendi permiſſio fuerit; imminente præſertim, quem præſtolabamur, nuncio, qui ad Aulam Sereniſſimi nos avocaret. Increſcente cum obſtaculis deſiderio, multa adhuc nocte diſceſſi, veritus, ne moram antelucana interpellatio injiceret.

§. II.

Iter in petr-inſulam.

Erat ſacra Mahhammedana dies, nobis Veneris, & quartus Januarii ſt. vet. quo iter eques aggredior, cum juvene ex comitatu Legationis, cui *Galli* erat nomen, ſtipatus ductoribus duobus Armenis, & interprete Domini Legati *Ludovico*, puero æthiope, linguæ Turcicæ, quæ regioni vernacula eſt, utcunque gnaro. Urbe egreſſos excepit vaſta planities, venationibus, ab Archiſatrapâ inſtituendis, dicata; quâ ante meridiem ſuperatâ, devehimur per convalles, quibus nomen communicabat *Kiſakù*, mons adjacens, reliquis celſior, & intra meridiem adventavimus ad pagum, qui à ſepulturâ Sancti cujusdam, *Pyru Reſàh*, nomen obtinet. Inſiſtebat ſepulchro templum, ex quadrangulo lapide, non magnæ molis, cui decus parabat murus, aream veſtibuli cingens, præaltus, octonis ſuperbiens figuris arcuum, qui in medio ſingula oſtentabant ſaxa ampla, plana, polita, & in tranſennarum ſpeciem artificioſo flexu pertuſa. Irruens, cum tempeſtate, nix progredi ultra vetuit. Pernoctavimus in ſtabulo fornicato, quod loci incolæ, nil ſueti mundioris, *Karwanſerà*, ſive diverſorium, vocabant. Gelida corpora igne, ibi ſubinde ſtru-

ſtructo, moleſtè reſolvimus; materia enim erat Abſinthium Ponticum & Sementina Perſica, levidenſe cremii genus, quod accenſum flammam reddit impetuoſiſſimam & momentaneam, carbones nullos, fumum verò mordacem & continuum. In aliis pagis nec herbæ copia eſt, ſed ignis fomentum non aliud, quàm jumentorum ſtercora. Illo die obvias rhedas habuimus permultas, quæ ex peninſulâ Naphtham, ſaccis coriaceis concluſam, devehebant Sjamachiam.

Quinto Januarii per loca deſerta, primùm montoſa ac nive rigentia, deinde plana ac blandi ætheris vecti, toto die nec hominem vidimus, nec hominis domum, niſi unicum, poſt meridiem, lapideum, amplum & ſpectabile xenodochium, in quo pranſi ſumus, ac jumenta pavimus, occaſione ſtagnantis aquæ dulcis, quam ibi parcam inveniebamus. Plurimæ aquilæ montium faſtigiis inſidentes, ac circa radicem palantes cervarum greges, ſe nobis paſſim contuendas præbuêre. Denſâ nocte alterum hoſpitium, pariter in deſerto poſitum, conſecuti ſumus, ſed anguſtum, ſtructuræ levioris, & ovili ſimile, à quo, prout in priori, omnis exulabat hoſpes ac ſupellex. Hic altus cumulus ex equino & camelino fimo pavimentum operiens, membra noſtra à noctis frigore egregiè tuebatur.

Sexto Januarii, per planitiem deſertam, profecti, plurima paſſim ſpectavimus ſtagna ſalſiſſima, piſcinarum ſpeciem exhibentia, aquæ verò dulcis nullibi ne guttulam. Brevi ante meridiem in peninſulæ principio conſtitutis, duplex ad lævam patebat devium, prius ad Salinam celebrem, alterum ad fontes Naphtheos: Nos militari viâ progreſſi, ad urbem contendimus, in dextram peninſulæ partem, quâ ex continente protendi in mare incipit, velut in angulum retruſam. Et mox xenodochium contigimus, ex quadrato lapide magnificè exſtructum: cujus frontiſpicium decorabat Inſcriptio nitidiſſima, inter duos poſi-

poſita leones, ſaxo exſculptos: à quo paulò ad dextram remotiùs extabat, in lacûs intermontani littore, pagus, ex quo hoſpitantibus dabatur copia petendi cibos & pabulum. Solum hîc præceps ſurgebat in editæ rupis ſpeciem; Specula in ejus planitie poſita, excelſa, ſed vetuſtiſſima & ſemidiruta, notam imminentis exhibebat urbis, hinc unius horæ intervallo diſtantis; ad quam per ſaxeam ſenſimque declivem planitiem (cui in progreſſu innumera inſculpta erant ſepulchra, mauſoleis etiam alicubi ſuperſtructis) poſt meridiem devenimus. Hanc urbem paucis, & priùs, quid in eâ nobis improviſi obvenerit, deſcribam.

§. III.

Hiſtoria receptionis noſtræ.

Intrantium animos admiratione ſubitâ percutiebat inſolita portæ anguſtia, mœnium ornatus peregrinus, loci domuumque ſitus, ſqualidi civium vultus, atque objectorum ceterorum inſolentia. Datâ arrhâ obſtringimus nobis obvium in portâ ſenem, qui ad hoſpitium deducat; ſed is, publicum adeſſe negans, ultro nobis ſuos Lares offert, eo (quod poſtea reſcivimus) propoſito, ut nos intra ſua clauſos repagula, argentô emungeret nequiſſimus leno. Vix paſſus centum deducti, in *Meidaan*, ſeu foro publico exiſtimus, ut aliàs ſemper, ſic iſthoc die præſertim (credo ob nundinas) populoſo; dictoque citiùs circumcingimur catervâ hominum, undique ex tabernis & officinis proſilientium; & mox in denſo circo conſtituti, clamoribus, riſu atq; plauſibus excipimur, velut nunquam viſi ex Theſſaliâ hoſpites. Circum denſiſſimum, quem evadere deſperavimus, præeunte ſene, nobiſcum tardo progreſſu ducimus, & ſuperatâ geminâ plateâ, hominibus ſpectatum accurrentibns plenâ, multo tandem labore, & inter populi clamores, ad promiſſum devenimus hoſpitium, ſive veriùs ad caſam levidenſem & anguſtam, quam leno pro hoſpitio ſupponebat; erat enim, inſtar ſpecûs, obſcura,

& in deſerto urbis loco, inter domuum rudera, ex luto recenter extructa; unico patens oſtiolo, & ſupra illud foramine clathrato, pro ingreſſu lucis; nec enim alius generis habitationibus vulgus civium in hâc urbe utitur. Ingreſſi claudimus à tergo oſtium, & Triphoni, tutelari ſpecûs noſtri Deo, qui ab inſanâ turbâ nos exciperet, grates læti agimus; verùm feſtinanter nimis; vix enim ad reclinandum expanſis integumentis, audimus ſummum domûs pavimentum, à ſcurris occupatum, violenter effringi; eruunt alii clathras; & eâdem violentiâ tentatur oſtium, intus ingenti obice à nobis firmatum. Diſcrimen erat, ne à cæmentorum caſu & irrumpente multitudine obrueremur, cum oppidò *Gallus: Perperam agi*, monet, *quòd intus nos occultemus; foràs redeundum eſſe vitam ſalvaturis; ut plebem æthiopis & noſtri aſpectu conciliemus; hoc ſolum exſpectari;* nec morâ obicem reducimus, & in mediam turbam nos rurſum conjicimus. Nusquam Africana monſtra mortalibus plus admirationis peperêre, quàm novo confluxui dedimus, æthiopis colorem, capillamenta noſtra, & reliquum habitum ſtupenti; jurabat, ab hominum memoriâ civitati ſuæ tam exotica & rara ſpectacula haud contigiſſe. Decedentibus tribus, decem revertebantur ſpectatores alii. Tandem civibus & colluviei hominum ad laſſitudinem litati, ſatiatos noſtri aſpectu relinquimus, & in ſpecum noſtrum, pro capiendo ſeſſu, nos denuo receptamus, oſtio tantiſper reducto haud quaquam clauſo, ne penitus ſubduceremur iis, qui ſpectatum noviter advenirent. Vix reclinavimus, quin foris novi oriantur clamores. Nimirum Sulthanus, ſeu Gubernator urbis, vir-juvenis, ſtrenuus, ſtaturâ procerus & alacris, equo vectus candido, & armato milite ſtipatus, ante oſtium comparuit, ut populi tumultum compeſceret, de quo ad ipſum rumor delatus erat. Sed nihil ſeditionis ubi invenit, confluxûs auctores evocamur; & acriter, audien-

diente turbâ, examinamur, ad ultimum proditionis poſtulamur, velut miſſi à peregrinâ gente ſpeculatores. Sic enim ille argumentabatur: *Nec mercandi cauſâ adveniſſe Vos, fatemini, nec legatos eſſe probatis: quid igitur aliud, Vos quàm exploratores eſſe, colligam? Nondum memoriâ noſtrâ excidit, pari præludio Coſaccos* (ſub Stenko Radſjin anno Chr. 1675) *Provinciæ noſtræ littora populatos eſſe. Veniſſetis Archiſatrapæ litteris ac milite ſtipati, ſi Regii, quod dicitis, hoſpites eſſetis, non urbis & Provinciæ noſtræ proditores. Mittam hâc veſperâ Sjamachiam, qui de veritate inquirat: intereà Vos ad craſtinum examen cuſtodiemini; experturi quid pœnæ in Vos, tumultus publici auctores, ſtatuero.* Sic ſalutatos deſerit, ubi turbam omnem priùs diſcuſſiſſet, ad domus & officinas redire juſſam. Soli cum ſene relicti, proponimus vicinam arcem inviſere, ex editiſſimo ac deſerto urbis loco ſpectabilem. Nemine obſtante, abducit nos, novâ mercede inductus. Satis ibi ſtructuram & operis pulchritudinem rimati, declinante die ad ædiculam revertimur cum pediſequæ multitudinis, quæ ſenſim nobis affluxerat, novo comitatu. Sed ante oſtium à lictoribus excepti, cum ſarcinis & jumentis in urbis *Karwanſeram*, quam nequam ductor adeſſe negaverat, cuſtodiendi deducimur, dum leno, velut criminis conſcius, ad judicem in examen rapitur. Cuſtos hoſpitii publici, vir unoculus, bonus, ſimplex, & ad inſerviendum promptiſſimus, nihil nobis niſi pro jumentis pabulum, & ſerâ nocte (nam Armenis noſtris vetitum erat prodire) vinum generoſiſſimum intulit: cujus ipſe dulcedine ſic brevi repletus fuit, ut nec ſalutato convivio, nec occluſo hoſpitio, domum temulentus abiverit, quam in urbe habebat propriam. Pro cœnâ nobis ſaccharo mixtas quaſdam buccellas offerebant duo mercatores Indi, ex gente Multhanâ, omnium Ethnicorum religioſiſſimâ, hîc, quod ajebant, vi quoque diu

detenti. Appetente diluculo, ego mitrâ & ſtolâ equiſonis mei indutus, excurro, & reliquam urbis partem, mœnia, portum, templa, & Sulthani domûs veſtibulum perluſtro; dum interea comites, cum nondum comparuiſſet cuſtos, collectis ſarcinis, hoſpitio urbeque excedunt, eam ingreſſuri viam, quâ in peninſulam pergitur. Sequor pedes, & ſocios longè extra portam aſſecutus, urbem delineo atque deſero.

Bakù urbis deſcriptio.

§. IV.

Urbs باكو *Bakuu* magnam redolet antiquitatem, cùm ſtructuræ inſolentiâ, tum appellatione ſuâ; quam & adjacenti mari tribuiſſe veriſimile eſt; nulla dum in littore exiſteret urbs majoris momenti, quæ nomen apud Europæos imponeret. De onomatologiâ urbis, ingenium non torquebo. Quibus libido eſt exotica à noſtris derivare nominibus, ita dictum volunt à *Bacho*, vinearum Deo; cùm hîc tamen neque *Noah* vixerit, quem *Bachum* dici volunt, neque vitem colere loci permittat genius. Meliùs Perſæ ita vocari conjiciunt à باد كوه *Baad Kuuh*, id eſt, vento montano, qui ex faſtigio accumbentis jugi propulſus, hîc mirè ſævit, & civibus crebras parit moleſtias. Figurâ ſuâ exactè in quadratum (alterâ parte longiore) poſita, ex montoſâ adjacentis jugi declivitate in mare usque extenditur, referente unoquoque latere mille & ampliùs paſſuum longitudinem. Duo urbis latera fluctus alluunt; unum quod portum excipit, alterum quod aperto mari objicitur: reliqua duo exigua foſſa ambit, in petroſâ baſi urbis exciſa. Mœnibus cingitur geminis, quindecim paſſus diſſidentibus, quorum interiora longè ſupereminent; utraque inſigni urbis ornamento, in ſemicirculos, quos propugnacula putes, crebrò ſunt inflexa, & in ſummitate pinnis diſtincta denſis, ovatis; per quorum interſtitia hoſtis peti ſagittis, & arceri à civitate poſ-

ſit.


Castelli rude
d xenodochia
e Pagus Balganni
f Purgatorium Naphthæ
Pag 268
Urbs Backu
Purgatoriu
endo
Character Artis
Inſigne Urbis



J. W. Bransdhagen fecit.

ſit. Sunt ea, quæ mare reſpiciunt, mœnia lateritia, cetera ex luto indurato ſat bene coagmentata. Gemina porta viatorem intromittit, adverſâ urbis parte collocata, obducta & firmata ferreis laminis. Ex portu verò tribus oſtiis ingreſſus patet, pro mercium commodiori transvectione. Vadum conſtituunt mœnia urbis gemina illa ſalo oppoſita, in mare longiùs protenſa, & parallela quodammodo littori; Clauditur idem, vel ab undis potiùs defenditur oppoſito quodam promontorio, qui hinc à dimidiæ paraſangæ diſtantiâ mare in transverſum ſubit. Tranquille hîc deliteſcunt naves ex Ruſſiâ, Dageſtanâ, Cyrcaſſiâ, Usbeciâ & reliquâ Perſiâ appellentes, non æquè tutò vadum ingrediuntur, ob ſcopulos tum in aditu, tum in ipſo ſinu diſperſos, & ſub undis partim latitantes inconſpicuos. Urbs hæc in acclivi parte paſſim deſolata jacet, ex negligentiâ & paupertate civium; in depreſſâ, colitur & habitatur. Ex publicis ædificiis præſtantiſſimum eſt *Karwanſerà*, ſive Xenodochium, octangulæ figuræ, ex polito lapide ſtructum, fornicatam pergulam habens, columnis magnificè fultam, quâ interior area circumdatur. Tria urbis templa turres ferunt cylindraceas, anguſtas, celſas, ex quarum faſtigiis preces declamant ſacerdotes. Forum publicum nihil habet ſplendoris vel magnificentiæ, niſi ampliſſimam aream quadratam. Monſtrum quoddam turris ſive propugnaculi lateritii, in imâ parte urbis prope mare poſitum eſt, craſſum, informe, præaltum, uno latere figuram ovatam, ceteris planam & quodammodo compreſſam referentibus. Sumptuoſum opus eſt, & ſimulacrum longæ antiquitatis. Summa urbis pars, quæ præceps portui incumbit, illuſtri ſuperbit palatio, quod Regium vocant; certè Regali ſumptu & perquam magnificè in protuberante petrâ exſtructum eſt: quippe omnia ex candidiſſimo & perpolito facta ſunt lapide, ita affabrè connexo, ut nec junctura ullibi appareat. Porta ejus duos

 exhi-

exhibet leones invicem adverſos, interpoſito alius beſtiæ capite, ut apparet, camelino. Eandem figuram altera urbis porta intrantibus objiciebat, ſuperliminari pariter inciſam. Ex diverſis conſtat palatiorum ſtructuris, intra anguſtioris areæ compendium inordinatè locatis, aliis ob ſoli inæqualitatem altiori, aliis depreſſiori loco, ad quas per gradus nitidiſſimos deſcenditur. Ex his geminæ, Inſcriptionibus Arabicis decoratæ, dicebantur ædes eſſe Deo ſacratæ. Media area, in præruptam rupem exſurgens, atriolum refert, in cujus periſtylio ædicula exſtat ſexangula, auræ undiquaque patens, ſaxo tecta fornicato, polito, ſex columinibus incumbente, pergulâ quoque ad eandem figuram elegantiſſimè cincta. Hæc ædicula, ut rarioris eſt formæ & ſtructuræ, ita operi univerſo venuſtiſſimum addit ornamentum. Quid ſibi velit ſingulis columellis inſculptus character quaſi fulminis, in trigonum diſpoſiti, me latet. Referebant fuiſſe baſilicam ſtructoris *Emir Gallilula*, qui & arcem condiderit *Derbenti* urbis, quam ab *Iskander beſorg*, id eſt, Alexandro magno conditam conjiciunt alii. Credo fuiſſe Alexandrum Galilæum, primum ex tribus Mediæ *Emiris*, ſeu Principibus, quos oppreſſos à Tamerlane ſcribit *Ahmed Arabſiades, in hiſt. Timuri.* Nam, ſerioris ſeculi opus, neutiquam urbi coævum eſſe, recentior teſtatur ſtructuræ nitor, & duplex Inſcriptio ex *al Corano* ducta. Civium domûs plurimæ unius contignationis ſunt, ex luto vel latere factæ; Optima eſt Sulthani, non procul à portu ad montis radicem conſita. Cives tenui victu vivunt; otioſi ſunt, ſcurriles, ſimplices; totâ Aſiâ vix vidi deformiores; cacochymici enim plerique ſunt, vultibus pallidis, & qui cetera ſanus eſt, lippus tamen eſt & oculis laborat. In ſalubritatem, aquæ acceptam referebant, quam ex imbribus ſtagnantem bibunt, vel ſcatentem ex vicino monte: ſed hæc impuro nitro imbuta eſt; alia in ſuperficie Naph-

tham

tham quoque vehit. Agricultura iis pene nulla vel pauciſſima; opificia, lanificium, textura & negotiatio ſatis parca. Naviculæ ex *Minkislak* Usbeciæ, ac vicinis urbibus comparentes, Sal & Naphtham petunt, legumina in locum ſubſtituunt. Totus circa urbem tractus, ſabuloſus & ſterilis eſt: pauci horti aſſiduâ culturâ melones, ficus, poma, granata & uvas ferunt. Jumenta poſſident pauca: vaccas paſcit Inſula propinquior *Keſrà;* ovibus ubique pabulum eſt, & ex his lauta & copioſa caro; oryza & cætera annonæ neceſſaria naviculis invehuntur. Foſſæ in littore factæ modico ab urbe tractu aquam marinam, velut filtro colatam, dulcem quodammodo, pro jumentis exhibent; ſed quæ temporis morâ ſalſedinem recipit, unde novæ quotannis fodiendæ ſunt; id in marium limoſo littore ubique evenit.

§ V.

Peninſulæ deſcriptio.

Peninſula *Okeſra*, in amplexu maris verſùs meridiem protracta, longitudinem circiter trium, latitudinem ſeſquiparaſangarum & ampliùs occupat. Plana eſt & æqualis, ſparſim lacunata ſalſis paludibus, montoſa in principio boreali, & paſſim colliculis ſcatens, præſertim in fine. Solum ſterile eſt, in aliis locis limum, in aliis ſabulum, in nonnullis petram exhibens ex variis conchyliorum teſtudinumque generibus concretam; quale coagulum in Sjirwanenſis Provinciæ lapidibus, ſummisque montis Caucaſii rupibus frequentiſſimè obſervavi. Montoſa ad boream pars glebâ gaudet meliori & aratri patiens eſt, præſertim in convallibus. In hanc peninſulam tribus ab urbe horis primò ſecundum littus, mox in tranſverſum provecti, ad rupem ſiſtimur, in acceſſu acclivem, reliquo ambitu præruptam & inacceſſam, in ſummitate inæqualiter planam & ſatis anguſtam. Pro caſtello antiquitus ſerviviſſe, margines murorum & propugna-

Caſtelli rudera in rupe.

gnaculi rudera teſtabantur. Ductor, quem in viâ ſublegeram, referebat, Imamidem quendam inclyti nominis, cujus exuvias vicinum tegeret mauſoleum, hîc ab Omerianis perſecutoribus beneficio loci olim delituiſſe, & vitam exulem ad capulare usque protraxiſſe ſenium. Ipſa rupis ſubſtantia prædicti generis referebat coagulum, lacunas quoque paucas in crepidine, in quibus ficus quaſi ſtudio artis ſatæ extabant, fructu hâc etiam anni parte ſapidiſſimo. Protuberanti ſaxo inſculptam inveni figuram ludi noſtratis, quem vulgò *molarem* vocant, ſed vetuſtate pene exeſam; unde conjicias, antiquitus hic commoratos fuiſſe Europæos, qui per otium ſculpſerint, niſi olim Medis id genus ludi familiare fuerit. Ex hâc rupe circumſpectanti, mare circumfluum, in utroque peninſulæ latere, apparuit, minùs in fine, quanquam hinc unâ ſaltem paraſangâ diſſito, quod crebri & editiores colliculi intercederent, quo minùs videri poſſet. Ad lævam conſpectui patebat campus, Naphtheis fontibus celebris, hinc unâ etiam paraſangâ diſſitus; quo tamen relicto, ſpectacula à calce orſuri, ad extremum peninſulæ pedes viam occipimus, dimiſſis jumentis cum equiſonibus, qui cibos & hoſpitium pararent. A mille igitur vel ultra paſſibus ad prædictum devenimus Mauſoleum, in lacûs ſpatioſi littore poſitum, non procul à pago *Mirbaſſjàm.* Aditum porta decorabat ampla, lateritia, arcuata, valvis carens ac patula perpetuò; Ex triplici ſuperliminaris puncto imminebat catena valida, ad eam altitudinem demiſſa, ut oſculari commodè ab ingredientibus poſſet: nam ea ſacro aſylo (cujus Catena notam exhibet) à cultoribus veneratio debetur, niſi vel ipſum decumbendo malint ſalutare limen. Superatâ portâ per ſubdiale ambulacrum longum, anguſtum, utrinque muro clauſum lateritio, ad Mauſoleum pergitur. Ædicula erat unius fornicis, anguſta, feneſtris carens, adeoque perenni lampade

Manſoleū.

pade illuſtranda; in cujus limine conſtitutis (nam ægrè intromittendi videbamur) præter quatuor parietes, panno ſqualido obductos, & medium cubum, ſarcophagi conditorem, cum ſuſpenſâ lampade, nihil videre contigit. Puteus in ambulacro extabat profundus, cujus aqua, quòd dulceſceret, tam vicina licet ſalſo lacui, ajebant miraculoſo deberi beneficio Sancti Imamidis, cujus hæc terra exuvias conderet.

§. VI.

Campus ardens.

Hinc progreſſos, ab horâ mediâ excepit campus ardens, albicante ſabulo, cinereoque pulvere conſperſus; qui ex plurimis rimis ſulphureos edebat luſus, vario atque jucundo ſpectaculo. Quippe aliæ rimæ magno cum tumultu flagrabant, ignibusque cum impetu ſparſis horrorem incutiebant aſpicientibus; aliæ flammas fundebant mitiores, acceſſumque cunctis admittebant ſatis propinquum; aliæ efflabant fumos, vel halitus ſaltem vix conſpicuos, naphtheum redolentes ſpiritum graviſſimum. Patebat phænomeno loci ſpatium, in longitudine, octoginta octo, in latitudine ſex & viginti paſſuum. Fiſſuræ erant mirè anguſtæ, non ultra pedem palmamve hiantes: breviores aliæ & in hemiciclum ductæ, aliæ longo & incurvo flexu delirantes; prout in icone adjectâ, pro deſcriptionis compendio, accuratè & ad vivum expreſſi. Hiatuum margines, atque ipſum ſolum, remoto pulvere, petram referebant exeſam levemque, pene inſtar pumicis; cujus ſubſtantia ex conchis & cochleis minutiſſimis videbatur concreta. Invenimus hîc demorantes viros circiter denos, diverſo in opere circa ignem occupatos: alii enim ahenis & ollis fictilibus rimæ non nimium æſtuanti impoſitis, prandia parabant pro domeſticis vicini pagi *Srogannî atesgâwa*, ab igne hôc ita dicti; alii lapidibus aliunde advectis cumulatimque impoſitis, calcem cremabant, para-

tamq; digerebant in acervos, naviculis devehendos; gemini ex veterum Perſarum progenie hoſpites Indi ignicolæ, circa ſtructam à ſe maceriem otioſi ſedebant, aſpectu ac veneratione erumpentis flammæ, litantes æterno Numini. Ex calcariis unus nos adortus, offerebat ſe aliquid inſolentioris monſtraturum, ſi pro officio gratioſum nummum dederimus: quo numerato, goſſypii floccos, quos tunicæ evellebat, rutabulo infigit, ignique admovet; ſic flammam inde conceptam citiſſimè exporrigit ſuper rimam diſtantiorem, ignis flammæque expertem; quo ipſo halitus, antea nusquam conſpicuus, in flammam exarſit altiſſimam; jucundâ & inopinatâ phaſi; ſed quæ brevi morâ iterum evanuit. Atque hoc primum eſt ex naturæ prodigiis phænomenon, à perenni hominum memoriâ in hac parte peninſulæ conſpicuum, quamvis non eodem loco: nam quingentis antè paſſibus rimæ in unâ ſerie ſpectabantur ſeptem, ex quibus olim hæc flamma arſerat, quâque extinctâ, proximo, quem deſcripſi, loco eruperat. Pares ignium luſus paſſim in Caucaſiis faucibus dantur; ex quibus proximum maximèque conſpicuum prædicant montis *Sjubanai*, diætis hinc quatuor diſtantis.

Naphthæ albicantis natale.

§ VII.

Inde bis mille paſſus inter boream & occidentem reductis, alterum patuit memorandum, videlicet ſcaturigo Naphthæ albæ, adeo ſanè obſcurô locô, ne præſentibus, niſi monitis, de ejus latice conſtitiſſet. Locus informem refert lacûs, vel piſcinæ, ſpeciem, circiter quinquaginta paſſus in latitudine, centum in longitudine continentem, littore geminam orgyiam demiſſo infra communis ſoli ſuperficiem; Fundus ex argillâ limoſus & lubricus eſt, nec enim niſi in medio ſtagnabat aqua ſalſa, ad palmæ profunditatem. In ejus fine occidentali duo extabant putei,

ali-

aliquot paſſuum intervallo disjuncti, anguſti, & quadraginta, quod ajebant, orgyias profundi; in quibus Naphtha, ex venis ſubterraneis parcè & quaſi guttatim illapſa, modicâ copiâ ſtagnabat, dum eâ opus eſt, extrahenda. Nullis orificia cingebantur clathris, vel muro, nec operculis claudebantur; ſaltem circumpoſiti lapides oram firmabant ſive indicabant, & frutices quædam impoſitæ eos tuebantur ab illapſu beſtiolarum. Non procul inde tertius patebat puteus, ſed qui ſtillare dudum deſierat, nullum ampliùs odorem naribus aſpirans. In medio ſtagni jacentes lapides in gyros diſpoſiti & aquâ merſi, ſeptem puteorum ſignabant locum, quibus liquor olim extractus fuerat; obſtructis enim ex aliquâ cauſâ meatibus, vicinus locus effodiendus eſt, donec, quos perfluit, meatus inveniantur novi. Miratus hîc duo præprimis ſum: (1) quòd ſubtiliſſimus liquor in hôc fundo patente ſervetur, ſine ſubſtantiæ, virium & criſtallinæ limpidatis ſuæ diſpendio, cum id teſtaceis vaſis arctiſſimè clauſus non poſſit; (2) quòd rariſſimum naturæ depoſitum ſine ullâ relinquatur clauſurâ & cuſtodiâ. In noſtrâ patriâ nemo auderet; niſi fures velimus invitare ad hauriendum, & nebulones curioſè malignos, qui illatâ flammâ fontes Vulcano immolaturi ſint. Nam ſpiritum hæc Naphtha ſpargit ſubtiliſſimum, cujus ope flammam ardentis foci, vel lampadis, momento rapit, ac ſemel accenſa, inextinguibilis deflagrat; velut idem de Naphthâ circa Ecbatana prolixè refert *Plutarchus in vitâ Alexand. §. 12.* Incendium autem in liquore ſuccedit recentiſſimo, non in eo, qui dudum hauſtus & cum neglectu aſſervatus eſt, minùs in eo, qui ab aquoſa limpiditate ſua in ſuccinam defecit flavedinem. Eſt enim hic liquor oleoſus, inſtar ſpiritûs rectificati tenuiſſimus, pellucidus, penetrantiſſimus ac flammæ rapax. Nomen non nuper innotuit, ſed à multis ſeculis celebratur, apud *Strabon. L. XVI. Plin. L. II. c. 105. Plutarch.*

in Alex. qui eam circa Babylonem, Suſam, Arbelam & Ecbatana, urbes hodie بغداد *Baghdaad*, شوشتر *Sjusjtèr*, اردبيل *Ardebil*, & تبريز *Tabriis* dictas, ſcaturiviſſe teſtantur. Dicitur autem Turcicâ appellatione نفط سفيد *Nafth ſefiid*, i. e. *Naphtha alba*, non ex colore tali, ſed ad differentiam imperfectioris generis, videlicet nigricantis, ſpiſſioris & opacæ, ad cujus fontes deinde acceſſuri erimus. Naphtha præſens, quamvis multis atque eximiis polleat virtutibus in Medicinâ, quas *L. I. c.* 101. perſequitur *Dioſcorides*, nunquam tamen cognovi uſum Perſis præſtare alium, quàm ut Vernicem ſuam eâ attemperent; admixta enim præſtantiam illi tribuit, ac nitorem vaſis, quibus inducitur, incomparabilem: quin verniceis operibus uſu obfuſcatis, nitorem extemplo reſtituit. Præferunt in auſtrali Perſiâ artis magiſtri Naphtham Suſanienſem, quam à Sjirwanenſi non aliâ notâ dignoſcunt, quàm quòd cum Vernice, lege artis, agitata, ſpumet promptè, hæc minùs. *Vernicis Perſicæ deſcriptio.* Vernicis Perſicæ deſcriptionem, ſi volupe eſt ſcire, hîc accipe. Gummi سندروس *Sanderuus*, ut artis eſt diſſolutum, cum oleo lini ad unguenti ſpiſſitatem excoquitur, coctumque ſub nomine روغن كمان *Rochanni Kamuun*, i. e. butyri Vernicei, in futurum uſum aſſervatur. Sanderuus *Sandaracham* ſignificat, ſed glebis conſtat magnis, & inconditis, quæ ex Indiâ mediterraneâ per *Guſarattam* huc deferuntur; ſuccinum eſſe, diceres, niſi eſſet fragilior. Vernicem hanc, cum oblinire volunt, ope bacilli cum Naphthæ ſufficienti quantitate diligenter agitant, probèque dilutam ſuper opera quævis lignea & chartacea, coloribus priùs variè & pro placito picta, ope penicilli molliſſimi extendunt ſubtiliſſimè, & in ſummis domuum pavimentis (quæ hoc cœlo tectis carent) velut

velut locis à pulvere remotis, ſolari exponunt radio, cujus calore Naphtha fugax cum lini oleoſo humido paucas intra horas evaneſcit, relictâ ſuperficie ſplendidiſſimâ ac duriſſimâ: pari modo, atque in deauratione argenti, hydrargyro per ignem eliminato, auri nitor remanet.

§. VIII.

Inde duas horas progreſſi verſùs Occidentem, tertium in peninſulæ medio aſſecuti ſumus memorabile, nimirum locũm, Naphtæ nigræ genitorem. Dicitur hæc كَرَا نَفْطْ *Kara Nafth*, ſive ***nigra naphtha***, (Turcicâ, ibidem nunc populari linguâ) tum ad differentiam Naphthæ limpidioris prædictæ, tum quòd tetrum, obſcurum & atrum colorem referat, quippe terreſtris valde & ignobilioris generis. Campus natalis ab Occidente in Orientem paſſibus centenis aliquot protrahitur; tota ejus ſuperficies ex profuſo hoc oleo atricolor exiſtit, quaſi pice obducta ſit, nam in talem concreſcit ſubſtantiam, cùm exſiccatur. Ipſa aura gravem circumfundit odorem, delicatiorum naribus, quamvis hinc longiùs abeuntium, ingratum & pene intolerabilem. Liquor non extra ſuperficiem ſoli ſcaturit, ſed per terræ abdita profundis meatibus profluit, ex imminentis Caucaſi, quod ajunt, viſceribus propulſus, pelago proximè illapſurus, vel in ardenti agro flammæ daturus fomentum, niſi hoc loco intercipiatur. Putei, eum in finem, hîc effoſſi ſunt vario loco & ſine ordine, plurimi, rudes, anguſti, in perpendiculum demiſſi: quorum alii perenni ditantur olei affluentis copiâ, alii intermittentibus venis omni liquore vacant, alii, meatibus haud inventis, in caſſum facti ſunt. Profunditatem habent triginta & ampliùs ulnarum (quadraginta rotundo numero ajunt) non quòd venæ eâ fluant profunditate, ſed quòd iis profundior requiratur lacuna, quâ liquor noctu ſtillans retineri poſſit, dum revertente die ab operariis extrahatur. Non

Origo Naphthæ atræ.

 multo

multo in effodiendo opus eſt artificio; nam ſolum eſt argilloſum & compactum, quod ſine machinis, quæ latera diſtineant, ad quamcunque profunditatem erui poteſt, absque foſſoris periculo. Extractio manuali operâ perficitur, utribus ſupernè, vel ſolâ manu, vel ex trochleâ levidenſi demiſſis. Dives præ ceteris unus erat puteus, crepidine, ſeu ſaxeâ macerie, circumdatus, & ſuperſtructâ domo ſatis amplâ clauſus, reliquis profundior & multò amplior, in quem Naphtha, inſtar torrentis, cum notabili ſtrepitu profluebat. Proventus extrahebatur ope machinæ ſuperſtructæ, quam equi duo, in gyrum acti, alternè rotabant; nec enim, niſi paucis noctu horis ab opere ceſſabatur. Ubertatem, acceptam referebant ſanctitati loci, in quo olim habitaverit religioſus, ex ſacrâ Imamorum proſapiâ. Vicina ei domus altera magnam exhibebat cellam fornicatam, ſeptem paſſuum latitudinis, ſeptendecim longitudinis, profunditatis à me haud dimenſæ, in quam, velut in cuſtodiam, effundebatur liquoris copia quædam, præſertim vicini fontis, inde Naphthæ appellabatur promptuarium; nam eidem non minùs aſſervandæ, quàm expromendæ, perquam erat idonea, quippe patula utroque fine, & gradibus inſtructa, quibus ad quamcunque plenitudinem deſcenderetur. Divehebatur rhedis (pellibus ovillis incluſa) ad Sjamachiam & Bakù urbes: illinc in omnem Mediam dorſis camelinis, hinc per mare in Hyrcaniam, Usbeciam, Circaſſiam ac Dageſtanam, transferenda. Uſus ejus non eſt alius, quàm ut pro oleo lampadum facumque ſerviat, ex quibus, accenſa, lumen impertitur, flammâ ſupra deſiderium liberali. Oppoſitum littus *Nagajum* hôc oleo non indiget, quia axungiâ abundat ſturionum, quâ & cibos condit, & fomentum præbet accenſo lumini. De proventu pretioq; Naphthæ, hæc accepi: Sudare indies operarios duos & triginta, omnes pagi adjacentis incolas, quibus ſingulis quolibet

bet menſe numerentur Abaſſi ſeptem, aliis octo, i. e. Imperiales circiter duo: Quotidie rhedas hinc dimitti octoginta, ſingulas utribus onuſtas, pro variâ magnitudine, ſeptem vel octo; quorum minimi denos, maximi vicenos & ampliùs capiant Man ſeu Batman menſuræ Tabriſienſis, quæ novem libris Belgicis æquivalet. Calculus eò recideret, ut circiter 8 ad 10000 Batmanni hauriantur & divehantur quotidie; pro quibus tamen 100000 liberaliter ſupponebant operarii: unde annuum reditum ærario Regio, detractis impenſis, exſurgere affirmabant, ſeptem mille tomanorum. Venditur hîc Batman unus albæ Naphthæ uno *Sjai*, i. e. Imperialis circiter octavâ parte; atræ Naphthæ paulò minùs. Sed ego hos pretii & proventuum numeros pro veris non venditabo, quòd linguæ Turcicæ tunc ignarus, in inquirendo interprete uſus ſim, in vernaculâ regionis non ſatis verſato. Naphtham atram vidi rivulo innatantem in diſtrictu *Ruduun* Kirmanenſis provinciæ, tum in torrente (hujus, in quâ nunc verſamur) Sjirwanenſis provinciæ, qui à ſeptentrione ſubibat flumen *Kuur*; in hoc adeo copioſam, ut colligi potuiſſet, niſi ubertatem ſuppeditaret peninſula.

§. IX.

Hoſpitatio.

Ingruente veſperâ nos in hoſpitium recepimus pagi adjacentis *Bonnà;* Hoc intra parietes ſuos, ſtrato aulæis pavimento, nobis paraverat incolarum humanitas, haud permiſſura, ut inter aurigarum vulgus noctem in ſqualido ageremus xenodochio. Vix ingreſſis ſalutatum comparuêre primores pagi, quos è veſtigio alii atque alii ſubſecuti ſunt cives, ex cenſu minori, omnes impatienter avidi, hoſpitum fruendi contuitu & adloquio. Ex his nonnulli ficus, uvas, poma, granata atque alia exhibebant xeniola eſculenta, aliunde advecta; alii vinum inferendum ſecretis promittebant auribus interpretis, quàm primùm ceteri diſcederent, ſympoſii apud ſe exoſi delatores futuri.

turi. Nec deerant, qui cum vino etiam inducendas meretrices offerebant, haud conſcii, ſe ſpurcæ oblationis à Chriſtianis laturos eſſe repulſam. Interim ſatagebat quisque ſervire oculis noſtris, & oblectamentum creare animis; commemorabat alius antiquiſſimorum temporum, in hâc peninſulâ, res geſtas; alius Imamidum, ob doctrinam fidei, exilia, in hôc promontorii aſylo exantlata; alius, data à nobis occaſione, indicabat memorabilia in tractu Caucaſio naturæ ſpectacula, vel quicquid inſolentioris noverat, vel fabulari audiverat. Et, ut amant alterna Camœnæ, ad carmina etiam deveniebatur, quæ per choros recitabant, mox decantabant etiam, & ad eorum modulum choreas ducebant, aſpectu non minùs quàm auditu, ob peregrinos geſtus & manuum colliſiones, nobis jucundas. Mediâ nocte, feſſi, turbam exire juſſimus, ſomnum capeſſituri, cum paulò ante diſceſſiſſent ſuâ ſponte concionis capita.

Lacus tumultuans, ſive Purgatorium Naphthæ.

§. X.

Poſtridiè (die 8 Jan.) primâ luce excitati, ad novum ducimur prodigium, quod ſuâ linguâ *Naphthæ purgatorium* vocabant, non procul à diverſorio in eâdem cum fontibus ſerie, ac velut in acie eorum poſitum. Erat autem clivus quaſi in hemiſphærium elevatus, ſed paulò depreſſus, nec ultra orgyias tres ſuper ſoli planitiem exſurgens, baſi oblongiori rotundâ. In ejus faſtigio ſpectabatur lacus, ambitu, quantum conjecturâ aſſequebar, quinquaginta circiter paſſuum; nam circumiri loci uligo, & ab illapſuro littore periculum, vel metus, non permittebat. Aqua muriaticum ſaporem & nigricantem aſpectu colorem referens, perenni reſonabat tumultu, non modo ex continuo ebulliente undâ in ſuperficie, ſed præſertim ex motu bullientium liquorum in imâ & quaſi remotiſſimâ barathri profunditate, qui hoſpites cum horrore attentos

ſuſpen-

ſuſpenſosque retinebat in lacûs margine; pede etiam trepidante, cui horriſonum barathrum ſubtendi ſentiebatur. Cum bullis non raro emergebat ſpuma terreſtris ſubſtantiæ, tetra & nigricans, quam Naphthæ recrementa eſſe docebant; ex his, continuò in littus propulſis & cum bullis majoribus longo annorum tractu eliminatis, ipſe clivus efformatus videbatur, quod & figura indicat, quæ ex tali appoſitione conſurgit, & ſubſtantia teſtatur, quæ ex terrâ & bitumine mixta & coagmentata eſt. Plures lacum ambiebant fonticuli exigui, recipiendis digitum manumve capaces. Numeravi eorum viginti quinque in ſummitate, & quindecim loco inferiori, omnes lympham fundentes criſtallo quovis clariorem, ſapore etiam, ut inter ſe, ita ab aquâ paludis, maximè differentem, præſertim intenſiori vel remiſſiori ſalſedine; quod ipſum inter rariora nobis exhibebant accolæ. Lacus, quamvis protruſis ex fundo bullis perpetim coqueret, rariùs tamen aquam ſuam demittebat: quod de multis aliis fonticulis pariter obſervavi, in quibus non tam ſcaturire aqua, quàm ex flatu emergente ſaltem agitari videbatur. Ex orali philoſophiâ ruſticorum, qui operibus præerant, ſubjicio: Omnem Naphtham, ex intimis montium propinquorum viſceribus, per ſubterraneos meatus promanare; quæ dum hujus paludis laboratorium perfluit, ſcorias ſuas exuere ac depurari, alioqui ſpiſſiorem ac inutilem prodituram in vicinis, quibus ea hauritur, puteis: hos puteos, quæcunque haud intercepta præterlabitur, longiori tractu magis percolari in tranſparentis & puriſſimi liquoris ſpeciem, quæ Naphthæ albæ nomine ſeſe exhibeat, remotiori, quem heri ſpectavimus in loco: dum ejusdem pars alia atque maxima Vulcani agro, velut ellychnio ardenti illapſa, fumum flammasq; nutriat perennes, citò ibi exarſuras, ſi intercipi in viâ omne fomentum poſſet.

N n §. XI.

Mons Naphtham fundens.

§. XI.

Hinc, conſcenſis equis, poſt mediam horam, ad quintum devenimus admirandum, videlicet *Montem*, ex rore, quem fundebat, atro, ſpiſſo, bituminoſo, ſpectabilem. Situm obtinebat in plagâ terræ udâ & depreſſâ, faciem, quæ exhibebat ſpatioſi lacûs, ſed abque aquâ ſtagnante: Hunc rivulus palmaris profunditatis, quinque paſſuum latitudinis, criſtallo quovis purior, ſed intenſiſſimè ſalſus rapidè perfluebat, ipſam montis baſim mediocri gyro lambens. Mons figuram anteriori facie obtinebat rotundam, altitudinem (quantam aſpectu conjeci) viginti vel ampliùs orgyiarum. Pars ima limum offerebat rubrum, arenâ ſabulove mixtum; media, conchyliorum varii generis cum terrâ coagulum; ſuprema limum puriorem virenti ceſpite veſtitum; Faſtigium beabat ager fœcundus, per anguſtam declinantis dorſi ſuperficiem in adſitos campos editiores protenſus. Liquor, quem crudiorem appellabant Naphtham, tantùm non ex ipſo faſtigio pluribus locis promanans, non omnem inundabat montis faciem, ſed eam ſaltem, quæ auſtrum & occidentem reſpicit, ad baſin neutiquam pertingens: quòd in decurſu partem terra reſorbeat, pars etiam à ſolari radio concreſcat, montemque incruſtet. Hanc materiam ruſtici effodiunt, & ad pagos longè diſſitos birotis devehunt, ut inſerviat incenſa calcefaciendis balneis. Eſt ea ſubſtantiæ flammiferæ, ignem diutinè fovens, atra lentaque, inſtar picis, intus, ſi frangis, atro rufa & terreſtris.

Monticulus *Jugtopà*, argillam eructans.

§. XII.

Nihil ſpectato monte cunctati, ad aliud, in boreali peninſulæ principio, viſendum contendimus phænomenon, quod à lentâ trium horarum equitatione obtinuimus; primò per deſertos & inæquales campos, mox per rura clivoſa, tandem per depreſſam planitiem, gemino ingenti

genti lacu conſpicuam, devecti. Id, quod animum implebat admiratione, erat monticulus, (ſi apicem habuiſſet) conoidis figuræ, in perpendiculum ad octo orgyias ſurrectus, ab omni gramine ceſpiteque nudus, aſper & inæqualis: ex cujus faſtigio argilla humida, & velut manu figuli elaborata prodibat, perenni, ſed tardiſſimo & vix ſenſibili motu protruſa; quæ dum, ad modicam altitudinem aliquot ſpithamarum, emerſiſſet, ſui impos ſuſtinendi, in quodlibet latus defluebat, ut plurimum quidem in auſtrale, velut naturæ ſtudio in illud dirigeretur. Soli enim hîc prærupta declivitas, & figuræ pulvinatæ ingens terræ lacuna erat, quæ & ſaburram prolabentem reciperet, & ingruentibus, quæ eam eluerent, imbribus, in vicinos campos dimitteret. *Monticulus*, quem *Jugtopa* appellabant, eminus minoris turris figuram referens, ſitum obtinebat in aſcenſu ſoli editioris, quod hoc loco limum exhibebat dilutè rubicantem, in progreſſu glebam quodammodo nigram, agrosque aratri non impatientes. Ex hoc inquam fundo emanans argilla, dum in ambitu à ſole arefacta multis annis ſubſediſſet, in molem hanc turritam, tractu temporis, accreviſſe videbatur: cujus per mediam cavitatem, ſive ſubterranea ignium flatuumque vis, ſive etiam terræ & montium in tenuem maſſam incumbentium moles gravior, hanc ſaburram continuò proliciebat. Narrabant incolæ vicini pagi *Siſjaan:* non ſemper eodem tenore argillam prolici; ſæpe cum impetu erumpere ac in altum projici; à parentibus ſe audiviſſe, aliquando terræ mixta ſaxa ingentia prodiiſſe, ac longè latèque projecta, pago ſuo, quanquam inde intervallo quadrantis horæ diſſito, minitata fuiſſe exitum, ita ut ſecuris in eo habitare priùs non licuerit, quàm, dato à magis conſilio, iram ſubterranei propellentis Æoli placaverint ſanguine ovis, ante monticuli fauces mactati. Nos rem penitiùs ſcrutaturi, præeunte ductore ac veſtigia ſecuri

 in-

inſculpente, ad faſtigium usq; rimati ſumus, non ſine periculoſâ moleſtiâ; ut enim præceps erat aſcenſus & paſſim lubricus, ita fragilis & friabilis materia, quæ talos reciperet. Invenimus, circa faſtigium, hominum, qui ante nos adfuerant, veſtigia; tum exciſam humanâ manu lacunam, quâ tutò unicus ſpectator conſiſteret; excrementa etiam caprina, quo fato delata, neſcio. Argillæ emergentis non major erat moles, quàm ut eam tribus ſpithamis complecterer. Baſim etiam circumequitandi faciebam periculum, verùm non ſine periculo: Nam ad latus auſtrale, quod in lacunam declinabat, cum equus calcaribus à me concitatus eſſet, parum defuit, quin in abyſſo tenuioris argillæ, hîc longo tempore accumulatæ, ſubmerſus cum equo fuerim; fractâ videlicet cruſtâ, quæ hanc paludem ſubdolè contegebat.

Salina.

§. XIII.

Reſtabat deſiderio ſpectanda ſcena ultima, nimirum *Salina*, hinc dimidiam diſtans paraſangam, non procul à viâ Regiâ, in peninſulæ aditu. Ad hanc, præmiſſis ad pabulandum jumentis, pedites viam occipimus. Erat illa, lacus rotundo oblongior, ambitu fere unius paraſangæ, exiguæ profunditatis, quatuor minuſculis pagis ſtipatus, à plebeculâ paſtorum & qui ſalinæ operabantur, habitatis. Fundus vix ſenſibili declivitate centenis & ampliùs à littore paſſibus protendebatur, omnis, priusquam ſalum ſubiret, liquoris exſors, planus, durus, argilloſus & lubricus. Hoc ſalum (cujus maxima dicebatur profunditas tripedalis) copiam producit Salis nitidiſſimi, non humanæ artis beneficio, ſed ſolo ardore ſolis elaborati: ejus quippe radii, dum humorem dulcem, tanquam leviorem & ſuperfluum, in auras evocant, remanet ſuccus ſale gravidus, qui in lamellas quaſi niveas ſucceſſivè concreſcendo, fundum petit & in eo ſubſidet. Ex fundo igitur ope

lignei

lignei rutabuli corraditur, batilloque ſubinde hauſtum, rhedis, quibus evehatur, imponitur. Hinc littori orientali invectus, in cubos definitæ magnitudinis digeritur; in coacervando fiſtucis aſſiduo tundendus, ut humor expellatur reſiduus, & ſufficiens cumulis concilietur firmitas, quâ ſubſiſtant à caſu & ætheris injuriâ immunes. Ab opere jamjam deſtiterant mercenarii, nobis appellentibus: ut deſiderio tamen noſtro gratificarentur, rhedarium unum cum equo nondum dejugato, in locum, quo colligere deſierant, remiſerunt; qui in conſpectu noſtro vehiculum, cui inſiſtebat, brevi morâ, nulloque negotio replebat ſale candidiſſimo: quem in littore advectum, quia pars abundantis humidi ex hauſtro, pars ex rhedâ defluxerat, vix inſigniter amplius madere deprehendimus. Forma cumulandi illis placet cubica, quia ex hâc cognoſci exactius poteſt collecti quantitas, ex quâ de mercaturâ & transvectione ratio ineunda eſt. Cumuli numerô erant quadraginta, eminus, ni color obſtaret, pagum mentituri, quia hujusmodi ædicularum figuram & magnitudinem obtinent. Cubum ſingulis diebus colligi ajebant, æſtate unum, hyeme vix dimidium, quòd tunc, ob humoris copiam, ſal parciùs concreſcat. Transfertur hinc birotis & camelinis dorſis, tum ad Bakuenſem portum, ad exteros mari dimittendum, tum huc illuc per Provincias.

§. XIII.

Reditus.

Ita re noſtrâ ad votum expeditâ, equos ingruente crepuſculo conſcendimus, viam relecturi Sjamachiam. Aurâ enim, quæ inde à triduo perſeverabat, tranquillâ, interdiu etiam delicatâ, in requiem abuti, non erat congruum. Laxavimus fræna, & ſuperato deſerto, xenodochium lapideum, id quod in acceſſu laudavi, mediâ nocte aſſecuti ſumus. Moleſtè hîc degimus, cum gelido aëre inſomnes luctati, usque ad diluculum: quo expe-

ctatò nobis illucente (die videlict nono Januarii) viam ingredimur montoſam & nive coopertam ad pagum *Pyru Reſá*, inde poſt leve prandium, per planiora Sjamachiam.

RELATIO III.

Turris cornuta in Regia Perſarum urbe Iſphahano.

Symbola urbis Iſphahani.

§. I.

Vulgus noſtras, in eo locari peregrinationis uſum putat, ſi apud exteros ſpectaverit, ac redux in patriam noverit recitare inclyti cujusque loci ſymbola, Germanis: die Wahrzeichen jeden Orts. Ita qui Argentinam appellunt, ex interiori templo cathedrali nodum ſummæ turris; qui Lunæburgum, pendentem in Curiâ pernam ſcrofæ, quæ ſalinam detexerat; cum Lubecam, murum orphanotrophii ex ſummâ planitie celebrem, aut ex alabaſtro factam S. Mariæ ſtatuam in baſilicâ; ut cetera hujus & aliarum urbium memorabilia taceam, contemplari geſtiunt: Quibus verò per imprudentiam omiſſis, omnes ſe perdidiſſe dolent peregrinationis ſumptus & operam, velut qui Româ redierit, non ſalutato nec viſo ſummo Pontifice. Id ne cui accidat, qui Perſarum Hecatompolim ſpectatum iverit, inſtruam eum numeroſo catalogo memorabilium; quorum poſſeſſione illa civitas mirè ſuperbit, ac ceteras regni urbes ad celebritatis certamen provocat. Hiſtoriæ adhærere videntur incerta quædam & ridicula; quibus verò, tanquam rebus facetis & ad veri lancem haud examinandis, locus in præſenti Relatione invidendus non eſt, ut tædium itineris, cujus narratione Lectorem fatigavimus, jucundiori miſſu temperemus.

Pri-

Primum Regiæ urbis memorabile eſt سبز طاقی *Thagi ſebs*, id eſt, ***Porticus virens.*** Hoc nomine ſalutatur via *Tſjahaar baach*, quæ à Regiâ ad hortum *Haſar Dſjerìb* 4310 paſſuum meorum longitudine deſcribitur. Dicitur ita per ænigma ab ordinibus Platanorum altiſſimarum, quæ luxuriantibus ramis viam obumbrando viridantem quaſi porticum utrinque conſtituunt.

2. معلق طاقی *Thagi Moalèk*, i. e. *fornix ſuſpenſus.* Ita appellatur cathedrale templum è boreali regione fori palæopolitani, nomen ſortitum a pluribus arcubus in amplum ſpatium circumductis; quos arctè fulciunt columnæ cylindraceæ, craſſæ, breves, quatuor paſſuum intervallo disjunctæ; inſolito architecturæ exemplo, præſertim hâc regione. Columnarum numerum, ob informem templi aream & ſitum angularem, non ſum aſſecutus.

3. واسلادار سنگی *Sengi waſiladaar*, i. e. *lapis ſine commiſſurâ.* Murus eſt templi *Haruun*, in prædicti fori angulo auſtrali, cujus ſuperficies quadratis lapidibus murrhinis (non in Sinâ, ſed in urbe *Maſjhèd* coctis) cœruleis, picturatis, ita affabrè extus & intus teſſellata conſpicitur, ut planiſſimam unius lapidis faciem referat. Saxa ſepulchralia in iſthoc templo conſpiciuntur tria; quorum ultimum creditur exuvias condere *Aaronis*, ſummi Iſraëlitarum Pontificis: Tumulum iſtum pari devotione reverentur Mahhammedani & Chriſtiani Armeni. Totus urbis ille diſtrictus ab hoc Aarone appellatur *Willajèd Haruun.*

4. سرکه مناری *Minári Sirkèh*, i. e. *turris ex aceto.* Cylindraceæ figuræ eſt, prout omnes hâc regione, & ex laterculis in eximiam altitudinem educta; hoc memorabile indicans, quòd illic loci oxyporopola quidam plebe-

jus

jus & pauper liquorem ſuum vendiderit, ſucceſſu adeo quæſtuoſo, ut brevi ditatus, hoc felicis profeſſionis ſuæ monimentum condiderit.

5. مِنَارِ خَايهْدَار *Minari Chaiahdaar*, i. e. *turris cum teſticulis*. Spectatur in lateritio mauſoleo, prope fluminis *Senderuut* frutetum Inſulare, *Byſjèh Mahmed Aali* dictum, in tractu ſuburbano *Tſjeherriſtuun*, quod eſt extra portam *Haſſen abaad*. Structura, quòd ſolitaria ſit, & in altiori ſolo poſita, longè prætervehentibus ſui præbet conſpectum. Acciderat in ejus extructione, ut, dum eductâ turri, ædificium utrinque clauderetur altiori fornice, lepida, præter conditoris intentionem, exſurgeret figura priapi cum teſticulis; quam ſpeciem vulgo placuit inter ſymbola adoptare.

6. خَالِ عَراق *Chali Araak*, quod ſignificat *nævum Parthiæ*. Pinus eſt vaſta, ſpectabilis altitudinis & valde antiqua, quæ centrum eſſe totius Parthiæ creditur. Extat in areâ horti *Kuli padiſjah*, ex oppoſito horti *Sahadèt abaad*, qui eſt in ſuburbio prope pontem *Haſſen abaad*. *Sjah Haßèn* Europæis corruptè *Uſum Kaſaan* dictus, (à Venetis illuſtri Legatione ſalutatus) in eo horto habuiſſe dicitur ſedem ſuam, in Pinu verò æſtuarium, cujus adhuc rudera quædam lignea arborem circumdant.

7. مِيَانِ دُو شيرِ آب خُوردَن *Meiuni do ſjiri aab churden*. Id ſonat: *inter duos leones aquam bibere*. In plateâ mediæ circiter palæopolis, menſa extat rudis lapidea, ante ingreſſum mauſolei cujusdam, duobus utrinque leonibus ex ſaxo ſculptis ſtipata. In eâ prætereuntibus (velut paſſim in aliis partibus urbis & plateis) bibenda exponitur aqua; quæ hoc loco perquam gelida hauritur ex puteo, prope vetuſtiſſimam Platanum effoſſo. Arbor hæc, tametſi frondes pleraſque & decorem dudum amiſerit, ſine

ſine obſervatu dimittenda non eſt; ob vaſtum caudicem, qui ampliùs quatuor orgyias explet ſuo ambitu, & parem craſſitie non agnoſcit: ut mirer, cives non potiùs arborem, quàm menſam inter memorabilia retuliſſe. Verùm, ænigma magis placuit.

8. قلم منار *Khalèm menaar*, i. e. *Pinnata turris;* puta cornutam: quam hoc loco perluſtrabimus.


§. II.

Extructionis hiſtoria.

Turris (potiùs coloſſum vel ſtatuam vocaverim, niſi cum Perſis loquerer) ex ſolidâ maſſâ luti elaborati ſine artificio & ſplendore fabrefacta eſt. Figuram obtinet cono ferè ſimilem, utpote à craſſiore baſi ſenſim gracilior exſurgens in altitudinem circiter viginti quinque, vel ampliùs, orgyiarum, antequam apicem conſequatur, abrupta. Pro ornatu ſerviunt cornuum denſa, ſub faſtigio, congeries, coronam exprimens; tum protuberantes circuli, quibus, per intervalla quatuor vel quinque pedum, intercipitur. Superficies omnis, exceptis locis protuberantibus, undique circumſidetur cornutis cervarum & rupicaprarum craniis, in circulares ordines diſpoſitis & arctè impreſſis, lepidiſſimo ſanè & inſolenti oculis ſpectaculo; quamvis non pauca craniorum, luto per tempeſtatem emollito, dilapſa ſint, relictis fœdis ſuis veſtigiis & lacunis. Hæc inquam turris ex duplici hiſtoriâ memorabilis eſt: extructionis videlicet, & ſepulchri adjacentis. Extructio ſub Rege *Thamàs* hâc occaſione facta eſt. Cœperat Rex unicâ venatione ingentem ferarum multitudinem; quarum capita in proximam ſuæ domui aream *Karwanſeræ* congeri à ſe conſpicienda juſſerat. Miratus cumulum: *Velle ſe*, jocoſè dixit, *hæc in memoriam aſſervari poſſe.* Cui adſtans architectus: *Si jubes, Rex, monumentum extruam turritum, quod omnia, nullo excepto, ita recipiat, ut publicè conſpiciantur.* Architectus Vir erat eloquens,

quens, facetus, conſilio facilis, & novitatum inventor promptiſſimus; verbo talis, cujus ingenium & præſentiam amaret Rex, odiſſet verò Præſes Regni, & cui novitates ſuggerenti nunquam non contradiceret. Hic igitur captioſè: *quanto æris & temporis impendio inutile opus poſſit expediri*, quærit. Imminebat hora prandii; ad quod capiendum Rex in procinctu ſtabat, ut in Regiam pergeret, quam habebat à ſe conditam in viciniâ, hodienum Sereniſſimi Conditoris nomine inſignitam. Reſpondebat igitur architectus: *Citra æris profuſionem ſe opus abſoluturum, citiùs quàm Sereniſſimus à prandio reverteret.* Rex novitatis cupidus: *Fac*, inquit, *quod promittis, & laudabo præſtita;* Quo dicto, ad prandium equitat. Habebat architectus luti ſpiſſi, pro ducendis lateribus elaborati, cumulos in propinquo; habebat ibidem cæmentariorum & bajulorum turbam, jamjam ab opere abituram meridiatum. Hanc ad novum molimen provocat, ac ſe ipſo formam & menſuram definiente, curat alios adſportare materiem, aſportatam dividere alios, alios diviſam imponere & aptare; dum primores alii operas dirigunt, producta limant, crania diſponunt, & madenti adhuc monumenti luto ſic imprimunt, ut ſufficiens roſtrorum & frontium pars emineat, cornibus, prout nata ſunt, exporrectis. Hora nondum exſpiraverat gemina; ubi turris feliciter erat abſoluta. Et mox Princeps ſublatâ menſâ comparens, longo tacitoque intuitu peregrini operis, quod aream brevi ante inanem & apricam premebat, approbationem teſtatus, &, an extructionis velocitatem, vel magiſtri ingenium magis laudaret dubius, tandem ad Præſidem converſus ait: *Tu, quid nunc judicas de architecto noſtro, cujus ingenio tantopere invides?* Gliſcentem in ſe Regis iram haud odoratus Præſes, imprudenter regerit: *Imperfectum opus eſſe, cui, ut in ſtructore cerebrum, ita in faſtigio caput deficiat, neceſſarium monumen-*

numen-


Turris cornuta

numento decus & complementum. Reſponſô exacerbatus Princeps: *Ergo*, inquit, *tuum caput*, *malevole*, *imponi volo;* & amputatum â ſatellite inferri jubet. Hæc extructionis hiſtoria eſt; quam tamen alii narrant absque cruentâ clauſulâ.

Sepulchrũ equi *Gaſèl*.

§ III.

Alterum, quod famam conciliat, ſepulchrum eſt Equi, *Gaſèl* dicti, ex ſtupendâ curſûs, dum viveret, velocitate celebris; dicitur enim triduum impaſtus, & uno die paraſangas quadraginta cucurriſſe. Hujus beſtiæ, quovis theſauro ſibi carioris, exuvias hîc prope baſim tumulari curavit Sereniſſimus Poſſeſſor *Abâs I*, nepos Thamaſii Regis. Generoſiſſimæ indolis Rex, ut erat admodum curioſus, ita rariora quævis & æſtimatione digna poſſidendi flagrabat deſiderio. Is ſæpe audiebat prædicari equum incomparabilis elegantiæ & celeritatis, quem haberet Imperator Turcicus. Imperatorem ubi de beſtiâ quantolibet pretio ſibi vendendâ fruſtra rogaſſet, vehementer de repulſâ doluit. كلب عنايت *Kalèb Enajèt*, contractè *Kalenajèt* dictus, morio erat Sereniſſimi, vir ut ſine exemplo feſtivus, ita verò mirè ſagax, conſilio facilis, & vultu, quando volebat, gravis; cujus leporibus Rex adeo conſueverat, ut præſentiâ ægrè careret. Hic beſtiam ſine pretio ſtaturum ſpondet, ſi ſibi per ſemeſtre cum pace Regis abeſſe liceat. Impetratâ veniâ, Conſtantinopolim proficiſcitur, & ingreſſus circulos Aulæ, expeditam invenit occaſionem colloquendi cum equiſone quodam ejusdem ſtabuli, quod retinebat equum prælaudati nominis. Poſt multa; cum eodem equiſone, Arabem ſe mentitus, paciſcitur: purgaturum ſe indies equos ei commiſſos, ſi partem cibi ſuperfluam ſibi pro alimento concederet, quoniam non haberet exul, unde ſuſtentaret vitam, nec in patriâ aliud didicerit præterquam curare equos. Sciendum

dum eſt, in equilibus Principum obtinere, ut binis quibusque equis unus præſit cuſtos, atque is, ſi haberi poſſit, Arabs. Ut brevis ſim: Neo-ſtabularius commiſſa ita curat, ut Præfectus ſtabuli, quoties intrabat, *Bigdamíri* (hoc erat equiſoni nomen) præ ceteris obſervaret equos, tempeſtivè & elegantiùs purgatos; Et mox idem factus generalis omnium equilium inſpector, præfecturam cedit Bigdamiro, Viro, quod putabat, induſtrio & equorum amantiſſimo: qui ipſe vero novi muneris vicariatum credit Kalenajeto ſuo, cujus vigilantiam, in parvis ſibi exploratam, hâc ſpartâ cenſebat digniſſimam. Kalenajetus, ſi unquam aliàs, ſanè nunc in functione & fide ſimulandâ ſedulus, uti ceterorum, ita præcipuè equi, quem furto deſtinaverat, curam egit peraſſiduam, velut tantopere ab invictiſſimo Imperatore æſtimati. Et quaſi cauturus, ne ex otio rigeſcerent crura, eundem indies lentis paſſibus circumduxit; haud paſſus alios tam mollis equi tergum conſcendere, ipſe equeſtrem artem apprimè edoctus. Tandem ubi Aula peregrè abſens ſubductioni aperuiſſet fores, tanquam equum pro more educturus, contendit ad trajectum Boſphori, eo tempore, quo navis ordinatim ſolvebat in Anatoliam, & feliciter transvectus, viam continuo curſu perſequitur Iſphahanum; ubi *Abaſſo*, intra definitum tempus, ſolvit promiſſum. Mirè Rex exhilaratus fuit oblatione tam præſtantis equi, cujus tergo nihil commodiùs, ungulis nihil velociùs natura ulli unquam jumento dederat; ex quo & nomen *Gaſèl*, ſive cervæ, proprium à Sereniſſimo poſſeſſore impoſitum meruit. Equum deinde, ab annorum aliquot decurſu mortuum, Rex tumulari ad pedem cornutæ turris curavit, ſuperſtructô, quod turrim circumdat, ædificio duplicis contignationis, in formâ æſtuarii, nunc propemodum deſolatò, prout Figura indicat à me ad vivum expreſſa.

Oo 3 §. IV.

Kalenajéti facetiæ.

§. IV.

De *Kalenajeto* multa extant geſta dictaque lepidiſſima, quibus præſertim & delectare Principem ſuum, & bene de aliis mereri ſtuduerat: quo ipſo ſui deſiderium & poſthumam ſagaciſſimi ingenii gloriam, apud plurimos, reliquit. Non piget ſpecimina narrare, ex quibus viri genius pateſcat, velut ex ungue leo. *Abaſſus I,* ut ſolers in regionibus excolendis œconomus, ita in expoliendis ſubditorum moribus cenſor perſtrenuus, cum Opium, ſive ſuccum capitum papaveris, tam vehementer expetitum à civibus videret, re penſitatâ, hoc pharmaci genus Reip. judicavit damnoſum, quippe quod manducantes redderet ſocordes, ſtupidos & ad munia ſua ineptos; quòd plebs paupercula opii guſtu effaſcinata nummos profunderet inutiliter & in ſui detrimentum, à cibo quippe malens, quàm ab ejus eſu abſtinere; tum quòd agri, frugibus ferendis apti nati, dum papavere conſeruntur, à vero uſu diſtraherentur in hominum perniciem. Sub pœna igitur capitis, præconibus emiſſis, Opii interdixit culturam, commercium, eſum, in toto regno; dira & illi minatus, qui ſanctioni intervenerit. Abſtinentiâ à pharmaco naturæ familiari, multa regno contagio & ſtrages hominum incidit, ipſâ peſte atrocior. Cauſam Sereniſſimo indicare, vel ſupplicare pro lege revocandâ, cum nemo auderet, *Kalenajetus*, à Senatu rogatus, conſilium ſuppeditat: Cras, inquit, Principem, cum ad hortum equitaverit, non per pontem, ſed ſecus eundem per alveum ducite; ibi in foro ſcrutario ſtabo, cauſam veſtram acturus. Quibus promiſſis, transportari in locum curat cumulos panni goſſypini, quo ex Lege Religionis funera obvolvi & octo ejus ulnæ pro adultis ſingulis adhiberi debent. Mercibus vendibili pretio expoſitis, turba accurrit emptorum; quibus dum cinctus venditor, auctionando, volvendo, emetiendo ſtrenuè occupatur, prætervectus Rex, con-

concurſûs cauſam ſcitatur. Refert nuncius: *Kalenajetum* adeſſe, qui turbâ emptorum cinctus, lintea venundaret pro amiculis funebribus. Adequitans Rex, fruſtra alloquitur, quaſi interpellari renuentem; & inſtans, hoc demum reſponſi accipit: *Sereniſſime! à quo Opium interdixiſti, ad hanc mercaturam me applicui diteſcendi animo. Et proſperè ſuccedit! Unico die lucrari poſſum, quantum in aulâ adulando, nugando & paraſitæ munus proſpicienter fungendo vix annô licet. Valeas cum Tuis; ego in hoc genere perſeverabo, quàm diu Tua lex vigebit.* Dicto Rex conſternatus, viam meditans perſequitur; & mox à deambulatione citiùs ſolito reverſus, rem à Præſide percunctatur. Cauſam edoctus: promulgata jubet revocari citra temporis diſpendium, emiſſis qui Opii mercaturam, eſum, culturam libera proclamarent. Quo facto, ceſſavit contagio.

Aliquo tempore Rex ex aucupio redux, falconem ubi magiſtro redderet: *Curam*, ait, *hujus avis gerite, quia nihil illâ mihi carius! primus, qui mortuum mihi dixerit, morietur!* Paucis poſt diebus falco moritur. Magiſter, conſilii inops, invitatis Senatoribus oſtendit cadaver, avis ſibi funeſtæ, ſi primus mortuum nunciaverit. De modo ambigui, *Kalenajetum* advocant, qui referat. Is verò: *quando me vitæ pœnitebit, faciam*, inquit. Gemebundi inſtantes, tandem impetrant. Ad Regem igitur ingreſſus, cum quid novi vidiſſet, interrogaretur; hiſtricis geſtibus graphicèque narrat, quid ſpectaverit in Ornithotrophio, à morte falconis cautiſſimè abſtinens: nimirum, ſe vidiſſe, dicit, avem pulcherrimam, jacentem in aulæo, ad magnificentiam expanſo, capite, alis cruribusque decorè extenſis; circumſediſſe Senatores demiſſis vultibus ſuſpirantes: plorantem verò falconum magiſtrum, de corio ſuo ſolicitum. Quo ipſo Rex rem intelligens; *Quid*, ait, *num falco meus mortuus eſt?* Tum *Kalena-*

lenajetus: Indoleo, Rex, Tuæ vitæ, quia primus dixiſti falconem mortuum. Ita declinato à Magnatibus fato, Principem inultus edocuit.

Ipſe *Kalenajetus* (alii ſaccularium quendam Regi familiarem ſubſtituunt) Gratiâ aliquando exciderat. Rex mortem illi minatus, cùm intercederent adſtantes: *Tum,* inquit, *condonabo tibi delictum, ſi hoc ſtrophiolum* (quod geſtabat ex Zonâ) *mihi abſtuleris intra triduum. Interim nunc apage, & cave te videam.* Dimiſſus, quòd ſciret Sereniſſimum, pro luſtrandis armis, poſtridiè diſceſſurum eſſe in arcem, eremitæ habitum induit, applicatâ barbâ prælongâ incanâ, quâ ſenectam fingeret; augebat ſpeciem gibbus in dorſo formatus, vox ſubmiſſa & anhela, inceſſusque demiſſâ cervice trepidans ac ſcipione fultus. Sedentem in viâ Rex eminus conſpicatur; & dum appropinquans venerabundam Viri tam decrepiti admiratur faciem, ſurgens eremita ſic orditur: *Deſcende Rex, ut revelata Tibi eloquar!* Rex devotione motus, cum deſcendiſſet, pergit falſarius: *Ego intra triduum in Paradiſum diſceſſurus, hoc cælitus accepi mandatum, ut trino circuitu benedicam Majeſtati Tuæ; quò cedant feliciter actiones; contingat vita longiſſima; ſequatur diſceſſus ex hac valle beatus!* Quæ recitans, dum Principem circumire, ſtrophiolum ſingulari aſtu ſurripit. Dolum Rex, nil ſuſpicatus, non ſentiebat; quin verò religione ſpectaculi & auditæ revelationis, incredibile quantum, commotus, poſtulabat aquam ex paterâ cucurbitinâ, quam eremita (pro more religioſorum) ex femore geſtabat, ſibi propinandam; nam hæc reverentiæ & ſuprema devotionis teſſera eſt. Poſtridiè *Kalenajetus*, quaſi expiatâ inclementiâ, atrium audacter intrat, & oblato Regi ſtrophiolo: *reddere ſe,* ait, *capitis ſui* κόσμον, *quod pridie in paradiſum migraturus abſtulerit.*

Scurrandi pariter haud imprudens, multa edidit perface-

faceta, præſertim in conviviis. Quandoquidem nil Principi gratiùs, quàm ſi videret inter convivas reciprocari ſcommata, & pro genio quemque ſuo liberè jocari. Sit venia exemplo: Aliquando in convivio *Kalenajetus*, urgente alvo, diſceſſum quærebat. Videns gravatum Rex, retineri jubet. At niſi dimittatur, urgeri ſe, ait, ut exportanda deponat in atrium. *Depone*, inquit Rex. *Kalenajetus* juſſo Regis & naturæ parens, ſolvit caligas. Rex ubi videt ſeria moliri: *at cave*, inquit, *ultra drachmam deponas*. Unus ex nobilibus *Kalenajetum* provocans, ſpondet pretio, eum pondus definitum non eſſe præſtiturum. Sponſione initâ, ingenti acervo ſe exonerat. Exploditur à circumſtantibus & provocante, tanquam ſponſione victus. *Kalenajetus* cauſam ſalvaturus, dum eâdem occaſione ulciſcitur, quos Regi inviſos noverat, reſpondet: *Quaſi verò tibi ſoli cacaverim! capiat præſens Dominus Legatus Magni Mogolis libram unam, capiat hic N., ille N., iſte N., ſinguli unciam unam, ſic remanebit pro parte ſponſoris drachma unica; id quod erat demonſtrandum.*

Extat *Kalenajeti* hortus vaſtiſſimus, extra portam *Derdeſjt*, muro in quadratum cinctus, æſtuario inſtructus magnifico, & ditatus perfluente ramo inſignis fluminis *Senderuut*. Ex quo locupletem fuiſſe cognoſco; quanquam modò vaſtitate ſuâ & poſſeſſoris incuriâ ſterileſcat. Sed pergo ad ſeria.

RELATIO IV.

Monimenta campi Perſepolitani, rupi inſculpta, quæ vocant نقش رستم *Nakſji Ruſtaam*, id eſt, *Simulacra Ruſtamica*.

§. I. Prænotiones.

Campus antiquæ Perſepolis, qui hodie vocatur *Ulkèh Merdèſt*, i. e. *Tractus Merdeſtanus*, vaſta eſt planities, Locus.

paſſim montibus præruptisque rupibus circumvallata, ſub elevat. Pol. 33, longit. 94, 15. Limites conſtituunt verſus meridiem oryzæ dives tractus *Kulbaar;* ad occidentem flumen veteribus *Araxis* dictum; ſeptentrionem verſus mœnia inter duo montium juga, nunc ſolo æquata; orientem claudunt petroſi montes *Kuhi Rehmèd* & *Kuhi Achtopèh*, quorum radices exhibent ſuperba antiquitatis monumenta, Relationis noſtræ argumentum. Longitudo campi, quæ à boreâ in meridiem vergit, paraſangas ſeptem, latitudo ab oriente in occidentem omnino tres exhibet. Omnem hanc peramplam planitiem, nunc pagorum plurimorum complexum, unica repleviſſe perhibetur *Perſepolis*, regni Perſarum caput, & urbs omnium ſub ſole ditiſſima, uti vocatur à *Diod. Sicul. L. XVII. c. 70.* Firmitatem ei tribuiſſe dicuntur ſeptem caſtella, circa totidem aditus in montium faſtigiis locata, quorum, ceteris abolitis, tria ſpectanda præbent ſua rudera. Situs campi planus eſt, agris, paſcuis, paludibus & memorabili pagorum numero ditatus; ex parte etiam ſabuloſus & ſterilis, præſertim circa montium radices, utpote editiores & minimè irriguos. Terra ibidem fert oryzam, hordeum, goſſypium, melones, citrullos, uvas, mala Perſica, citrina, cydonia & granata, ut olera taceam; alit præterea oves, vaccas, capros, aſinos, mulos & equos. Sylvæ, vel domus ligneæ, nullæ uſpiam oculos ſubeunt; velut has incendio deleverit M. Alexander, illas Cyrus exſciderit, cum Perſepolitanos ad militandum excitaret. Duo campum fœcundant flumina: *Palowaar* & *Araxis.* *Palowaar* amnis ex monte *Parù*, duobus à campo paraſangis verſus orientem diſſito enatus, poſtquam pagis *Isfabanì, Imemabaad, Mewinabaad, Harunì* & aliis, liquore ſuo profuiſſet, inter prænominatos montes, *Achtopèh* & *Rahmèd*, campum illabitur; & mox pro fœcundando ſolo multifariam diviſus, in occidentalem & orientalem campi partes

tes

tes ſilenti undâ devolvitur, donec abſumptis humoribus evaneſcat, vel cùm exundat, partem ſui in *Araxem* exoneret. *Araxis* profundo vaſtoque littore ex boreali parte appellens, occidentalem campi faciem magno ſtrepitu lambit, & ab incultis montibus ſeparat. Oritur circa montem *Kongrì*, duabus diætis hinc diſſitum, & multis in decurſu receptis amnibus turget; Merdeſtanos deinde limites emenſa, ingentibus ſaxis in legem cataractæ congeſtis, divellitur in plures meatus, qui per planiſſimi campi fundos ad fertilitatem inferendam diſtributi, duabus citra cataractam diætis paulatim abſumuntur. Irrigata his aquis tellus, omnium totius Regni provinciarum oryzam fert lautiſſimam, quæ menſis principum dicata, inde aliorſum diſtrahitur ſub nomine *Birindſj Sjiraſì*, i. e. oryzæ Sjiraſenſis, mutuato à proximâ urbe *Sjiraas:* quamvis genuina Sjiraſenſis oryza, intra fines accumbentis campi nata, nuſquam transvehatur. Debetur cataractæ ſtructura cuidam *Emiir*, ſive Principi, à quo ea famoſam apud indigenas nomen *Bènde Emiir*, i. e. cataractæ Principis obtinet. Duobus flumen pontibus ſternitur ſaxeis & ingentibus: uno Merdeſtano, qui littora jungit circa medium campum, & quatuor paraſangis à remorâ Emirianâ diſſidet, vetuſtus & rudioris ſtructuræ, longus 150 paſſus, & ob duos, qui medium fulciunt, vaſtiores arcus, inſolenter altus, à ſtructore quondam ſuo dictus *Pyli Chaan*, i. e. pons Gubernatoris: Altero, qui prædictum ab intervallo quatuor paraſangarum, & extra campum anticipat, ex quadratis lapidibus recentiori artificio magnificè & ad pompam extructus, vulgo ad prioris differentiam appellatus *Pyli noo*, i. e. pons novus. Hunc Isfahano, illum ex campo Perſepolitano venientes Sjiraſum, tranſeunt. Amnis univerſus nomen proprium apud Perſas non habet, ſed ad modum aliorum, à ſtructuris incumbentibus, vel locis adſitis, appellationem ſortitur: adeoque circa

Araxis flumen.

pontem novum vocatur *Rudchonèh pyli noo*, i. e. flumen pontis novi; circa pontem Merdeſtanum *Rudchoneh pyli Chaan*, i. e. flumen pontis Gubernatoris; circa cataractam *Rudchonèh bend Emiir*, id eſt, flumen temoræ Emirianæ. Obiter inſero, poſtremum hoc nomen rectè notari ab *Hornio Orb. Pol. Lib.* 4. *p.m.* 68; perperam verò, quod flumen illud *Sjiraſum* alluat; cum hæc urbs vaſtis, quibus circumvallatur montibus, procul à flumine disjungatur, videlicet à proximo ponte Merdeſtano leucis novem, à cataractâ Emirianâ omnino duodecim; quod equidem non miror, cùm eundem errorem viatores quidam in hodœporicis hallucinati ſint. Nobis cum *Q. Curtio Lib.* 4. & *Strabone Lib.* 15. placuit adoptare nomen *Araxis*, quamvis hoc appellativum ſit, quo Perſæ antiqui (velut Brahmenes in India *Gangis*, & Gothi *Albis*, ſive Elbe vocabulis) majora quævis flumina deſignabant; cùm genius vocis abundantiam, vim & rapacitatem aquarum inſinuet; prout idem nuper oſtendit in etymo vocis *Ararat*, *Cl. Otrokocſi in Orig. Hung. P.* 2. *§ 66. & ſeqq.* Hinc idem quoque nomen *Herodotus in fin. L.* 1. & *Juſtinus Lib.* 1. *Oxo Usbeciæ*, & *Ptolemæus*, *Mela* & *Plutarchus* τῷ *Aràs* Armeniæ, fluminibus tribuunt. Geographi *Merdeſtanum* flumen in mappis protrahunt usque in Sinum Perſicum, (præeunte Ptolemæo, qui illud appellat *Rhogomanes*) decepti equidem alio prorſus flumine, quod ultra montes illos, citra quos *Araxis* deſierat, ex plurimis fontibus coaleſcit; vel ſeducti ab ipſis accolis, qui aquas in Kulbarenſi ſolo abſorptas, ultra montes, velut in loco depreſſiori, reſurgere perhibent, ac redivivum flumen conſtituere. Atqui hæc demum *Araxis nova*, cum priori haud continua, Sinum Perſicum, quinque à portu *Bender Riik* verſùs Eurum paraſangis, illabitur, poſtquam urbem *Kaſeruun*, quinque à cataractâ diætis diſſitum, deinde *Kumarets*, *Geſjt*, *Nergiſì*, *Diſtuun*, pluraque oppidula &

pagos

pagos minùs famoſa alluiſſet, ante illapſum intenſâ ſalſugine, à montibus, quos lambit, nitroſis, inquinata.

Urbs Perſepolis.

Urbs ipſa, inter Perſiæ, poſt Orbis diluvium, antiquiſſimas, recenſenda videtur; ſive ab ipſo *Elam*, Noæ nepote, à quo Perſas Hebræi Elamitas vel Elymæos vocant, rudimenta acceperit; ſive condita ſit à *Kijuumerès*, *Semi* nepote quodam, quem primum Perſarum Regem fuiſſe, ac primo poſt diluvium ſeculo vixiſſe refert Perſarum Clariſſimus Chronologus, *Mirchond*, in ſuo *Tariich*; ſive ædificari cœperit, quod vulgò conjiciunt, à *Farès*, filio *Fahlù*, filio *Sum*, (Sem) filio *Nuh*, (Noæ) quem Gentis conditorem ac primum Principem eſſe, à quo ea & nomen ſortita, & linguam τȣ̃ فهلو *Fahlù* (quam Arabicam putant) receperit, multis contendit recentiſſimus auctor شيخ زركوب الشيرازي *Sjeich Serrikuub Sjiraſì*, in ſuâ شيراز نامه *Sjiraas nomèh*, ſive hiſtoriâ novæ Perſepolis. (Quis autem fuerit *Farès*, an unus ex *Arphaxadi* in SS. innominatis filiis, aut nepotibus? quis Fahlù, an Phaleg? non dixerim.) Non enim abſurdum eſt exiſtimare, ab eo conditam eſſe, à quo gens & regio, velut à capite ac primo Principe ſuo, appellationem nactæ ſint; cùm prima procul dubio cura fuerit Principi, ut Regiam ſibi, & regno emporium conderet. Verùm, qui tot gentium meminêre, *Moſes* Ebræorum, & *Homerus* Græcorum, primi & antiquiſſimi Scriptores, nomen hujus gentis nunquam attigerunt: ex quo dubium non eſt, regnum gentemque multis à diluvio ſeculis latuiſſe, ſub nomine nobis ignoto, usque ad *Cyrum*, primum Perſarum Monarcham. A quo tempore Perſarum nomen tum ſacris, tum profanis hiſtoriis, ſatis eſt vulgatum. Quo minùs ex Græcis credimus vel *Xenophonti*, qui gentem à Græco Rege *Perſeo* (ſeculis, qui tribus ante Homerum, ſeptem ante Cyrum vixerat) appella-

pellatam tradit *L.* 1, *de Pæd. Cyri, p. m.* 2; vel *Herodoto*, qui à prædicti Perſei Danaës filii, & Andromadæ Cephei filiæ, utriusque ob ſapientiam inter ſidera relati parentis, filio *Perſes* dicto, *Perſas* cognomen ſortitos refert; cum antea à Græcis *Cephenes*, à ſe ipſis & accolis *Artæi* vocarentur *Lib. VII. num.* 177. *pag. m.* 438. Critici noſtri appellationem ducunt ab Hebræo פרש *paraſj* equite, quod Arabico فروس & فراس, tum Germanico 𝔓𝔢𝔢𝔯𝔡 & 𝔓𝔣𝔢𝔯𝔡 conſonat, quaſi Regio ſit فارس i. e. equitum, adſcito nomine, ſub Cyro, primo Monarchâ, decimo octavo demum ſeculo poſt diluvium; de quo prolixiùs *Bochard. L. IV. cap.* 10. *Geograph. Sacræ Part. I.* Verùm, hæ derivationes ſæpe luxuriantium ingeniorum figmenta ſunt, ex quibus nihil certi concluditur. Lentè urbem & multorum Principum ac ſeculorum operâ increviſſe videtur, antequam ad ſummam perveniſſet magnitudinem ac ſplendorem, quo ante exitioſum Græcorum adventum inclaruit. Inde in veterum Manuſcriptis à populari traditione diverſa obtruduntur ex diverſis ſeculis conditorum nomina: quorum alios ſaltem fuiſſe amplificatores urbis, vel novorum in eâ operum ædificatores, veriſimile eſt. Præfatus auctor *Serri kuub* multas ex aliorum Manuſcriptis excerpſit notitias, quarum aliquas, quæ magis ad rem præſentem faciunt, hîc tranſcribemus: *In Perſiâ*, ait, *antiquitus quinque claruiße urbes, plerasque à Rege fundatore nomen adeptas: videlicet Kurei* اصطخر *Iſtachr, ſive Perſepolim, Kurei Darabdſjird* (à Dario notho?) *Kurei Ardeſjir* (ab Artaxerxe, ſive Ahasvero, Eſtheris marito) *Kurei Sjapuur* (à Sapore quodam) *& Kurei Kobaad; quarum omnium primam atque celeberrimam fuiſſe Iſtachr, hoc nomine appellatam à baſilicâ marmoreâ, cujus etiam hodie locus & rudera appellantur Iſtachr. Regem*

كيومرث *Kjumerets, familiæ* پيشداديان *Piiſjdadiaan, prima dediſſe urbi & auſpicia, & progreſſus pene incredibiles, extenſis pomœriis in complexum quinque ſupra quinquaginta paraſangarum.* جمشيد *Dſjemſjiid,* (quintum, aliis ſextum Perſiæ) *Regem, eam extendiſſe, auctario quatuordecim leucarum; eandemque muniviſſe tribus arcibus, nimirum Iſtachr, Sjikaſteh & Saknaun, quas trigonum fornicatum appellaverat. Statuiſſe præterea* 140 *columnas ad radicem montis, ſupra quas atrium extruxerit, cujus longitudo* 160 *ulnarum, ut ei ſimile nullus mortalium Rex ante ipſum fecerit, vel viderit. Ejus reliqua à priſco ſplendore rudera hodie appellari Tſjihilminar. Sedem fuiſſe in illo palatio priſcorum Regum; Credi à multis, fuiſſe quoque Salomonis benedicti; & ex quadam Corani paragrapho apparere, quòd typum Salomonis templi expreſſerit. Oddedauletum in arce Iſtachr condidiſſe ciſternam* 17 *pedum profunditatis, amplitudinis unius Kafìs,* (menſuræ geometricæ nomen eſt) *proinde vaſtam adeo, ut dum mille homines ex illâ integro anno ad ſatietatem biberent, vix aqua uno pede ampliùs decreverit. Tegiſſe ciſternam lacunar fornicatum, columnis innixum triginta tribus, ex lapide gypſoque ſtructis.* Et poſt multa: *Religionem ſuſcepiſſe Mahhammedanam, anno decimo ſexto poſt fugam Mahhammedis,* (anno Chriſti 606.) *à devictore Calipha Aali benedicto, qui, miſſo Abdullâi filio Abaſſi, cum militari Arabum Muſulmannorum manu, uti circumſitas provincias, ita & urbem Perſopolitanam expugnaverit; quadraginta millia civium, antequam ſe dederet arx, ad ſupplicium raptis; ceteris deinde ad ſuſcipiendam religionem amicè perſuaſis: poſtquam priùs ipſe Rex Perſiæ Sjeherek, filius Marſhuun, infelici cum ſummo hoſtium duce Hokèm, filio Abelliaas, prælio ſuperatus pœnas repudiatæ Legis, quam Aali amicis literis obtulerat, cruento ſupplicio perſolviſſet. Kitabe Sende Serduuſt,*

ſive

ſive *libros ſacros Zoroaſtris, in Iſtachr aſſervatos, ab Emiir Salim raptos ac protinus annihilatos fuiſſe.* Hæc Ille paſſim. Ex quibus uti perantiqua urbis primordia eſſe cognoſcimus: ita etiam magnitudinem & majeſtatem, quæ ad ſera usque, & inundationis Mahhammedanæ ſecula duraverit. Unde fas eſt conjicere: urbem per Macedones haud dirutam adeo atque ad incitas (ut hyperbolicè Curtius ſcribit) redactam eſſe, ne deinde formam urbis, quanquam ſine priſco ſplendore, recuperaverit; milite procul dubio, per occaſionem dati tridui, non tam in deſtruendis ædificiis occupato, quàm in rapiendis & congerendis opibus atque divitiis; quas in hoc orbis emporium omnis Aſiæ manus ſubdita, à Cyro usque ad Darium ultimum, depoſuerat: quarum vel ſolius Alexandri pars prædata, magno mulorum numero & ter mille camelis clitellariis avecta, valuiſſe centum & viginti millia talentûm, ſcribit *Diod. Siculus:* cujus, de opulentiâ hujus urbis, legi merentur *Capita* 70. 71. *&* 72. *Libri LXVII.* Ex hâc tam amplâ & opulentiſſimâ totius mundi urbe, quam ob celebritatem, non alio nomine, quàm شهر فارس *Sjehri Fars*, i. e. *urbem Perſidis*, Græcè Περσέπολιν appellabant, poſtquam Mahhammedanam Legem ſuſceperat, livore temporis ita defecit atque annihilata eſt, ut nihil amplius domiciliorum ætas noſtra conſpiciat, præterquam unum, circa centrum campi, vicum *Myrgaſcuun*, i. e. *principum familiarium*, ſcilicet Regis; ita dictum: quòd in illa urbis parte primarii, à latere Regis, manſiones habuerint; ipſis nunc eorum palatiis etiam in domunculas luteas & ruſticorum habitacula converſis. Priſci ſplendoris teſtes ſaltem duo ſuperſunt monimenta, adeo ſanè magnifica, ut quicquid ſuperbæ antiquitatis oſtentant Græcia, Latium & Ægyptus, his noſtris neutiquam comparanda mihi perhibuerint Reverendi viatores Miſſiona-

ſionarii, qui hæc & illa ſe vidiſſe teſtati ſunt. Primum monumentnm eſt rupes excelſa montis *Achtopèb* dicti, multis conſpicua ſculpturis, quas indigenæ vocant *Nakſji Ruſtaam*, ſeu *Ruſtem*, i. e. imagines Ruſtamicas. Alterum, rudera ſunt Palatii *Iſtachr*, i. e. operis marmorei dicti, in radice montis *Rahhmèd*, quod vulgo appellant *Tſjihìl menaar*, i. e. quadraginta turres, eò quòd totidem rotundo numero columnas exhibeat.

§. II.

Nakſji Ruſtem.

Ad ſpectandum monumenta, deflexìmus (die 1 Decembris anni 1686) à viâ publicâ, quæ Isfahano Sjiraſum ducit, ad lævam; excepti planitie intermontanâ, mille & ampliùs paſſus lata, valde lapidoſâ, raris Piſtaceis, & Amygdalis ſponte naſcentibus conſitâ. Non procul à ſemitâ noſtrâ conſidebant 46 nigra tentoria, ſub radice montis in unam ſeriem explicata; Ad quæ digreſſus, habitatores inveni ex tribu Turcicâ, qui pro tempore hîc ſuos colebant Lares, maritis plerisque abſentibus cum pecore, aliis cum prole intus deſidioſè ſedentibus, fœminis ſub dio, ſtaminibus in ſolo expanſis, telas laneas nectentibus, pro mapaliis ſtruendis. In quo negotio mireris adeo validum & præſtans opus, tam rudium, vel nullâ pene inſtrumentorum ope confici. Recuſaverat ductor ante lucis ortum vallem ingredi, infeſtam, quod dicebat, ex ſubleſto hoc paſtorum genere, dum ad prædam tenebræ invitarent. Paraſangam unicam verſùs auſtro-eurum (S.O.) provecti, offendimus murorum baſes geminas, interſtitio diſſidentes triginta paſſuum, inde à monte, qui dextram ſpectabat, obliquè protenſæ verſùs montem ſiniſtri lateris, cujus radicem longo tractu comitabantur. Urbis Perſepolitanæ hic initium, & hæc mœnia fuiſſe conjicio; niſi ipſa arx fuerit, quam triplici muro circumdatam ex ſumptuoſo opere laudat *Diod. Sic. l. c.* Progredientibus plura occurrêrunt quaſi palatiorum veſtigia, ſolo æquata & ut

ut plurimùm cooperta; & ad ultimùm, muri baſis utrinq; longiſſimè extenſa, fortaſſe ad radices montium, quousq; eas non ſum proſecutus. Montes ad dextram gemini, in faſtigiis petroſis & præcipitibus bajulabant fortalitiorum rudera, è longinquo conſpicua, quæ ruſtici appellabant, priora quidem *Kalèh ſalèh*, poſteriora *Kalèh Sjikarſì*. Poſtpoſitis murorum veſtigiis, quæ per dimidiam paraſangam calcaveramus, campus in anguſtiam quadraginta paſſuum contractus, recedente à dextra jugo, protinus ſe expandebat in vaſtam planitiem: dum montes ſiniſtri lateris continuo tenore verſùs auſtrum (paulò in eurum) procurrerent. His ducibus per ſabuloſam atque clivoſam tellurem, multa Glycyrrhizâ conſitam, pergentibus, ſpatioſus cœmeterii locus, mox aquæ ductus ſubterranei, & paulò ultra, quatuor occurrebant memorabiles tumuli, in quadratum ad mutuam 25 paſſuum diſtantiam locati, ſinguli longitudinis 50 paſſuum; quo fine facti, quidve condant, incertum. Mox pago excipimur *Berebèt*, ab adſito monte etiam *Jermoà* dicto, qui dicebatur à ruderum ingreſſu unicâ, à monumentis Ruſtamicis ſeſquiparaſangis diſſitus. Hîc nobis eminus ſpectandus monſtrabatur vicus *Myrgaſcuun*, (quamvis pridem à me viſus) accuratè verſùs auſtrum ſitus. Prætervecti deinde pagos *Hakièh* & *Filabaad*, ſub eodem montium jugo poſitos, devenimus tandem ad deſideratum monimenti Ruſtamici locum.

Montium contigua & confuſa ad lævam ſeries fuerat, & in auſtrum hactenus protenſa, (cujus faciem annexæ Tabulæ pars ſuperior exhibet) nunc ea protinus in eurum convertitur, adſcitoque nomine montis *Achtopèh*, frontem induit ad prodigium magnificè à naturâ & arte elaboratum. Baſis petram refert perpendiculariter ſurrectam, & ad centenos aliquot paſſus, ſculpturis, quas Monimenta Ruſtamica appellavimus, inſignitam; ſub-

ſtan-



J W·B· fecit


Fi. II
F. IV
F. III

ſtantiæ primùm arenoſæ, ſubalbicantis & quodammodo alabaſtrinæ, mox fuſcæ ſiliceæ, tandem variegatæ marmoreæ. (Vide prædictæ Tabulæ partem inferiorem, quæ figuras omnes, ſuo quasque loco exhibet, uno intuitu ſpectandas) Figuræ pleræque Equos & Homines referunt, multum excedentes naturalem, quam noſtra ætas fert, magnitudinem; non illos integrè fictos, ſed mediâ craſſitie protuberantes; quale ſculpturæ genus architecti vocant *baſim relevatam.* Figurarum aliæ, tempeſtati magis expoſitæ, quâ parte petra mollior fuerat, ſemeſæ & fœdatæ ſunt; pleræque nullam ab imbribus noxam paſſæ, inoffenſum exhibent ſplendorem primæ nativitatis ſuæ. Vocantur autem Ruſtamicæ, quaſi dicamus Herculeæ vel Simſonicæ, eò quod Ruſtami res geſtas exponant. *Ruſtam* enim traditur Gabrorum, ſive Geberorum, (quo nomine hodie appellant cives veteris Perſiæ, qui ignem inſtar Numinis colunt) fortiſſimus Heros & Princeps fuiſſe; cui vero omnium, quæ extant, facinorum commenta, quibus veri auctores deficiunt; tum quæcunque gigantei Principes *Sjah Buur* & *Sjah Bahruum* præclara ac portentoſa geſſerant, promiſcuè imputantur. Sufficit inter Perſas, ſi ſciſcitantibus de prodigii alicujus auctore, vel de conditore monimentorum, quæ paſſim inacceſſæ crepidines exhibent, Ruſtamica eſſe, & reliquias Gaberorum, reſpondeatur; de alio veroque auctore minùs ſolicitis. A me igitur, præter vulgi Ruſtamum, Figurarum verum auctorem, vel earundem hiſtoricam explicationem, nemo deſideret. Videntur autem non unius ævi, ſed diverſorum Imperiorum, ſeculorum & religionum eſſe: quarum aliæ regionis, vel Regni Principum, res geſtas, victorias, connubia, & pacis fœderumque cum finitimis ſanctiones indigitent; aliæ, præſertim quæ in crucis formâ extant, Abrahami theologiam exprimant, & Judaiſmum ſapiant. Nonnullæ ſculpturæ recentioribus

ſeculis additæ, & quaſi manu Gothicâ fabrefactæ, vix videntur habere in receſſu quicquam indagatione dignum. Poſtremi generis eſt

Figura I.

Hæc *Sengi Salmuun*, i. e. Petra (ſapientiſſimi Regis) Salomonis dicta, ante finem jugi, quà in eurum vertitur, conſpicua, duos juxta invicem exhibet quaſi pharos, ſub monte in petrâ excifos, ſeſqui orgyiæ ſupra ſolum altitudine. Fortaſſe biceps cautes dederat ſculpendi occaſionem otioſo latomo. Non enim ſatis ad normam ſculpti ſunt, ſed pro ſaxi conditione formam imparem, inæqualem & impolitam obtinent, tetrapedali ſubſellio ſimilem, ſummitate utcunque rotundâ & in pinnas, ſeſqui ſpithamam altas, unus quindecim, alter plures crenati, in formâ coronæ. Pharos autem fuiſſe conjicio, cum ex ſitu loci, toti campo ex jugi angulo conſpicui, tum verò ex inſigni cavitate, quæ in utriusque baſi excifa eſt, in quâ flammæ materia commodè foveri potuit. Duæ locum ſtipant columnæ: una in ſummo monte poſita; altera non procul hinc in plano campo; breves, ſeſquiorgyiam longæ, amplexu humano craſſiores & cylindraceæ; quarum effigies in Tabula ob anguſtiam omiſſæ ſunt. Hinc 150 paſſibus vertenti in eurum petræ inſculpta eſt

Figura II.

Quæ tribus pene orgyjis à communi ſolo incipiens, non auſtrum, velut proximè ſequentes, ſed auſtro occidentem reſpicit. Longitudo paſſus habet octo; altitudo orgyjis circiter duabus cum dimidiâ abſolvitur: Limen ambiens, rupi inciſum, latitudinem occupat bipedalem, cui reſpondet ſculpturarum craſſities, ſive protuberantia. In hâc ſpectantur duo giganteæ magnitudinis Heroës equites, quorum alter (verbis vulgi loquor) *Ruſtami Saal* (Ruſtaam, filius Saal) faſciam exhibet τῶ *Ruſtaami Koledèh*,


Fig: II.

dèh, cujus à tergo ſtat pedes *Paal wanuum kaſì*. Equorum ungulis ſubjacent duo Principes quaſi devicti; quorum figura ex vetuſtate & ſordibus in margine collectis pene abolita, infernè non agnoſcitur: unde adminiculo lacunarum, in adverſa rupe, limen conſcendi & delineavi. Habitus corporum, & in his capilli fluentes, barbæ longæ, tegumenta capitum, amicula, togæ talares prælongæ; equorum quoque phaleræ, jubara detonſa, globi ſub ventrem demiſſi, & quæ alia in vetuſto cultu edax rerum vetuſtas non vitiavit, ex picturâ ſatis cognoſci poſſunt, ſine prolixâ deſcriptione. Videt quisque, monimentum eſſe memoriale duorum Principum, qui devicto utrinque hoſte, victoriæ & fœderis teſſeram diviſerint. Hanc figuram dicebant propriè vocari Ruſtamicam, à quâ tota figurarum ſeries, Ruſtamica appellata ſit. Paucis hinc paſſibus ſpectatur

Figura III,


& in illâ Rex (*Ruſtaam*) ſuis, ſive magis, quos dicebant, ſive commilitonibus utrinque ſtipatus; ille integer, his umbilico tenus exſculptis. Ima horum corpora latomus nondum abſolverat; vel partem illam repleturus fuerat Inſcriptione; quod videntur fata temporum non permiſiſſe. Vides in figurâ Regis cidarim globoſam faſciâ firmatam, capillum in floccos diviſum, barbam promiſſam & inſigni nodo, ne difflueret, plicatam, collum cinctum coralliis, manus romphæa (niſi ferulâ) inſtructas, pedes denique nullos, injectis petulanter lapidibus, ſabuloque vento interſperſo, obrutos. Paludamentum & reliquum corporis habitum vetuſtas eroſerat. Eandem injuriam luebat cultus ceterorum: in quibus ſaltem capitiorum multiplex genus & monilia quædam, tum integræ facies cum barbâ & capillis paſſim plicatis, illæſa ſpectantur. Regium ſyrma claudunt ad dextram perſona bre-



brevis, redimita peregrino capitis tegumento; ad ſiniſtram verò Janus aliquis, altero fronte valde naſutus. Sed hunc credo ſequiori tempore à lapicidâ in contemptum & per laſciviam eſſe additum; quia ſculptus eſt absque artificio & proportione, etiam ultra ſyrmatis tabulam. Huic figuræ ſubtenditur ſpatium quadratum, longum, in formam tabulæ politum, pro Inſcriptione inſerendâ. Figura ceteris omnibus fere longior, non altior eſt; à ſolo vix duas orgyias elevata; extremitatem attingit clivus, ex ſabulis vento congeſtis compactus: quo loco paulò retrocedit rupes: eò quòd lacunis abundaret, nullum cœlum experta, ſpatio 160 paſſuum. Quibus poſtpoſitis, ſequuntur

Figuræ IV. V. VI. & VII.

ſucceſſivè & per intervalla paucorum paſſuum; Has uno ſchemate damus, quia omnes invicem planè, ut ovum ovo, ſunt ſimiles & ſolo numero diſtinctæ. Saltem poſtrema ceteris præcellit integritate & nitore; integritatem ſubjecto debet, quod hoc loco exhibet ſolidiſſimum marmor (nonnihil variegatum ex albo, rubro & luteo) nitorem verò ſitui, quo infeſtos ſibi imbres eludit: exſculpta enim eſt in rupis protuberantis latere occidentali, quod tempeſtates, hoc climate magis ab euro ſpirantes, eludit. Non poſſum, quin moroſitatem accuſem mei chalcographi, qui ad ectypum haud ſatis attentus, dum illud ex folio, uti vocant, in minorem formam redigeret, genium marmoris nimium ſaturavit, & novis implevit flammulis, præter rei veritatem; de quo Lectorem monendum duxi. Ingens & pulcherrima figura eſt, quæ ceteris excelſior ac toties iterata, univerſo rupis faſtigio anteriori magnificentiam tribuit. Magnitudo, quia extra contactum remota, definiri accuratè non potuit; latitudinem à dextrâ ad ſiniſtram in ſolo ſubtenſo (quanquam ubique clivoſo & ſaxis obruto) paſſibus aſſecutus ſum triginta quinque; quam



R r   S. W. Brandshagen Sculp.

quam verò in altum vergens longitudo utcunque ſuperat. Triplicem figura compagem, ſive ſtructuram, exhibet: diverſa ſculpturarum ſpecie, nec eâdem profunditate exciſam; exteriori margine, qui totum opus ambit, ad æqualem normam facto, bipedalis circiter profunditatis, latitudinis tetrapedalis vel ampliùs. Prima vel infima compages tota inſtar raſæ tabulæ nuda ac glabra eſt, magnitudine & proportione reſpondens ſtructuræ supremæ. Altera ſeu media, prædictæ magnitudinem utrinq; quinis vel ſenis paſſibus excedit, hoc ipſo totam figuram diſtendens in formam crucis. Hæc ceteris paulò inciſa eſt altiùs, & poſt commune limen depreſſa per gradus aliquot limborum; quorum unus pendentibus pinnis exornatur, ceteri plani ſunt & inanes. Area columnas relevatas ſiſtit quatuor, æquali intervallo disjunctas, eo poſitu, ut incumbentem ſibi molem ſuperioris ſtructuræ, ſive tabernaculi in eâ ſpectabilis, ſuffulcire videantur. Tenues ſunt & cylindraceæ, baſibus nixæ cubicis, infernè vix conſpicuis, capitellis in faſtigio geminis quadratis, quæ utrinque pectus & caput bovinum in ſpeciem telamonum exerunt. Medium occupat ſimulacrum oſtii quadrati oblongioris, in ambitu limbis ſucceſſivè depreſſioribus, roſeoque flore per anaglypticen elaboratis, decorati. Patet oſtii quaſi ſupernè retracti pars pro ingreſſu in antrum rupis; non quidem aſcenſu per ſcalas, quas tantæ altitudinis hæc regio non novit, ſed, ſi cures te funiculo demitti ex montis faſtigio. Fabulabantur ruricolæ vicini pagi: reverſos ex ſpecu, qui ſe demiſerant, præterquam quod in eo ſepulchrum ex ſolido rupe fictum viderint, de nullâ re loqui, quàm de ſpectris; quibus in tenebris territi, exitum maturaverint; quandoque etiam immiſſos nunquam reverſos, ſed à geniis ſuffocatos fuiſſe. Unus adſtantium teſtabatur, ſe in primum ſpecu, Figurâ IV. exhibitum (quia ſubjacens terra hîc altior & antro propior eſt) variis adminiculis, ſed non ſine periculo pene-

netraſſe. Is ſanctè affirmabat, ſe veniſſe in cryptam parvam, cælo excavatam in formâ cellæ, & in ejus medio offendiſſe tumbam, altitudinis penè unius orgyiæ, ex ſolidâ petrâ factam: in cujus operculo cum deprehenderet foramen rotundum, ſe immiſſo brachio, omnes ope ſcipionis, perquiſiviſſe angulos, & nihil objectorum, neque vel oſſiculi particulam, inveniſſe. Non eſt credibile, cryptas tam magnificas & tam in illuſtri loco, præter gravem cauſam factas eſſe. Regum Gebrorum ſepulturis dicatas fuiſſe credunt magis, quàm ſciunt, regionis incolæ; nec errare tamen videntur, ſi fides eſt *Diod. Siculo*, qui Lib. XVII. cap. 71. ait: *Ad orientalem arcis* (Perſepolitanæ) *partem mons intervallo fermè pedum quadringentorum diſtabat, qui Regius nuncupabatur, ubi Regum inerant ſepulchra. Petra erat ingens exciſa, in cujus medio plura facta fuerant domicilia, defunctorum Regum ſedes. Neq; aditus quiſpiam manu factus ducebat in locum eum; ſed inſtrumentis quibusdam ſublata cadaverum conditoria illic reponebantur.* H. J. Margo ac limen ambiens utrinque decoratur novem ſatellitibus, in ternos ordines, ſuper invicem locatos, diſtinctis, ita ut ſubinde unus interius limen, duo exteriorem marginem occupent, vultibus ad figuram converſis. Magnitudo humanam vix excedit; Veſtitus illis toga fluens ad ſuras demiſſa, manicis valde laxis, ne cinctus ventris appareat; capitis tegmen aliis rotundum eſt & breve, aliis utcunque faſtigiatum; capilli fluentes breves, barba longior acuminata, pedes nudi. Manibus alii haſtam tenent, alii aliud quippiam, cujus ſpecies infernè non poterat agnoſci. Suprema, ſive tertia compages pari ſatellitio per margines exornata, hieroglyphicis notis & emblematibus inſignitur. In eâ ſpectatur ſtructura quaſi theatri, ſive fortaſſis arcæ alicujus, non procul abludentis ab arcâ fœderis Iſraëlitarum. Latus conſpicuum gemina decoratur ſerie quatuordecim atlantum, qui capitibus, & extenſis utrinque

 bra-

brachiis, limbum incumbentem quaſi bajulant. Angularis columella in faſtigio caput exerit Draconis, vel qualiscunque beſtiæ monocerotis; ſub quo ſtat averſo vultu vir togatus, quaſi theatri cuſtos, mitra coopertus ſtrictâ, rotundâ, minimè faſtigiata, prout perperam expreſſit chalcographus. Ipſa theatri area, ſive arcæ lacunar, à ſiniſtrâ exhibet Aram ex limbis gradatim ambientibus venuſtam, & in eâ ovatum corpus, triplici radiorum ordine cancellatum, quod ignem notat: cui ſuſpenſus in æthere Sol imminet globo expreſſus. A dextrâ, in ſcabello (quod omiſit chalcographus) gradato, quale eſt baſis aræ oppoſitæ, ſtat nudis pedibus magus aliquis, vel Pontifex, vel ipſe Patriarcha *Abraham*, togâ indutus talari cum laxis manicis, capite mitrato, capillo laxo, barbâ ſenili, facie ad aram converſâ, dextrâ oſtendens adverſum ſibi phænomenon, de quo mox dicemus, ſiniſtrâ ſive ſerpentem, ſive arcum, continens. Inter Aram & Pontificem hæret ſuſpenſum phænomenon, ſive emblema multæ indaginis; videlicet Vir ventre tenus conſpicuus, facie ſuâ ſenili ac habitu corporis oppoſito mago ſimilis; ad quem converſus, dextram, exerto indice, elevat, ſiniſtrâ præbet ſerpentem, qui caudam propriam ore retinens, annuli figuram conſtituit, quali ſolemus æternitatem deſcribere. Abdominis loco ſpectatur circulus ingens, punctatus inſtar ſerpentinæ cutis: à quo utrinque ſive alarum, ſive qualecunque genus ornamenti in transverſum extenditur; inferiùs pendet cauda velut aquilina, ſuperno corpori in perpendiculum reſpondens; ex quâ totum phænomenon figuram crucis induit. Inter caudam & alas diagonaliter exporriguntur crura, fortaſſe aquilina, tribus ungulis conſpicua. Cetera videantur in ipſâ Tabulâ. Videtur ſcena hæc plena myſterii, & à Perſepolitanis in veneratione habita; quâ, ad illuſtranda tot Principum mauſolea, nulla inventa fuit dignior; nam eadem in rupe montis *Rahmèd*, qui incumbit Perſepolitano Palatio,

bis

bis iterata, (quamvis minori artificio) & figura in circulo repræſentata in ipſius palatii ſuperliminaribus aliquoties artificioſè inſculpta proponitur. Sibyllinam verò conjicio, quâ præfiguretur *CHRISTUS* ab æterno genitus, pro nobis in arâ crucis factus ſacrificium & ænei ſerpentis *Num.* 21. complementum. Authorem vulgus prædicat زردوشت *Serduſtum*, ſive *Zoroaſtrem*, qui, cùm olim Prophetæ alicujus Iſraëlitici (*Esdræ*) ſervus ac diſcipulus fuiſſet, poſt Solis ac Ignis cultum, de Deo verò doctrinam Abrahamitanam, â præceptore ſuo hauſtam, Aulæ *Darii Hyſtaſpis* totique genti primus intuliſſe creditur. Verùm, ſi illa eſt *Serduuſti* religio, quam ſe intemeratam colere conteſtantur ſuperſtites Gabri ignicolæ, ſive Perſes, ut in Indiâ vocantur; ſanè *Serduuſtus* ille quisquis fuerit, præterquam quòd gentem præceptis moralibus inſtrueret, eam potiùs à pyroduliâ ſaniori & à ſacrificiis Judaiſmum ſapientibus (quæ hôc cœlo ab antiquiſſimis temporibus, Herodoto ac Xenophonte teſtibus, adeoque longè antè Zoroaſtrem viguerunt) abduxiſſe, & ſubſtitutis quibusdam, à Judaico cultu alienis ritibus, religionem veterem, ad ſpem venturi Meſſiæ magis directam, depravaſſe dicendus eſt. Præter alia, hôc Legislatore, ſerpentum atque omne inſectorum venenatorum genus adeo Gebris execrabile redditum eſt, ut teſtamento morituri jubeant, certum eorum numerum extirpare; tantum abeſt, ut conditoria maximorum Orbis Principum atque ſacram Baſilicam deteſtabili ſimulacro venuſtari voluerit; vel ſchematis inventio natales ingenio ejus debeat. Meruit figura, quam doctorum contemplationi ſubjicerem, à mè, attentis etiam minutiſſimis, fideliter delineatam; quamvis moroſus & infelicis ingenii ſculptor non æquè attentè minutias omnes expreſſerit. Effigies, quam αὐτόπτης prodit *Thevenotus*, Gallus, Itinerarii Lib. 3. c. 7. minùs accurata & hiulca eſt, nec vel magnitudinem vel ambitum rectè exprimit. Cl. *Thomas Hyde*, Anglus,

Vir in linguis & rebus exoticis præclarè doctus, in Hiſt. Relig. vet. Perſ. & Med. cap. 23. partem hujus Figuræ ſiſtit pulchrè pictam ſculptamque, ſed non ad typum; puto ſaltem ad ideam, quam ex narratione viatoris inde reverſi aſſecutus eſt: quomodo pleraque ſtructurarum ſimulacra in hodœporicis efficta ſunt.

Figura VIII.

ſub deſcripto ſchemate quarto, vix pedes aliquot ſupra collinam humum elevata, ſiſtit duellum, tantâ vehementiâ



initum, ut neglectis haſtis, quibus armantur, prælongis, ipſi invicem in corpus ruituri videantur. Verùm, quòd ſaxi partem molliorem ſortita fuerit, à vetuſtate penè abolita eſt, ne quid præter capita integrum appareat. Signum ♀ quod cervicibus inſiſtit, fortaſſis otioſa manus addidit. Triginta hinc paſſibus per lapidum fragmenta & ſabula pergentibus objicitur

Figura IX,

humili adeo loco poſita, ut penè humum attingat. In eâ ſpe-

ſpectatur redimitus coronâ heros eques, dextrâ elevatâ frenum, ſiniſtrâ ingentem gladii ſpeciem tenens. Pepla à tergo fluctuant; toga prælonga eſt, vetuſtate exeſa. Tergum premit tabula rupi inſculpta, poſteriorem equi par-



tem tegens, quam obiter aſpectam, facilè quis pro ſyrmate paludamenti habeat. Ante Regem comparent viri duo, unus genu dextro innixus, alter erectus, forma corporis & habitu penè per vetuſtatem abolitis. Tabula compreſſam viginti linearum Inſcriptionem continet, non eam profectò, quam Dn. *Sam. Flowerus* Angliæ intulit, à Clariſſimo *Hydeo* in Appendice laudati Operis citatam, ſed prorſus aliam; neq; enim ullibi in hâc figurarum Ruſtamicâ univerſitate aliud Inſcriptionis veſtigium conſpicitur. Characteres articulum pollicis longitudine non excedunt; compreſſi ſunt, altè exſculpti & atro colore tincti, adeoque ſatis conſpicui, modò non eroſi. Ipſæ lineæ arctæ ſunt & ad finem tabulæ (cujus inferior pars longior eſt) ubiq; productæ,

ductæ, ut horis aliquot opus habeat, qui deſcripturus ſit. Veſpera, cum meo magno dolore ingruens, non permiſit, quin deſcriberem; ſaltem obvias primo adſpectu & facilè imitabiles litteras hinc inde excerpſi, & quaſi prædatus ſum, quas hic ſiſto in ſchemate, partim Syriacis & Hebraicis ſimiles, partim etiam ignotas; quandoquidem in ſcripturis hodierni Orientis (Sinicâ, Japonicâ, Siamenſi, Palicâ, Javanicâ, Malabaricâ, Tamulicâ, Samscreticâ, Georgianâ, Armenâ, ſed quæ noviter efficta eſt) nullas invenio, quæ illarum ductus exprimant, niſi fortè unam vel alteram in ſcriptis Benjanorum.

Figura X.

priorem ſine intervallo excipiens Hieroglyphicæ ſextæ æqualiter ſupponitur, ejusque imo limini longitudine re-



ſpondet. Valde craſſas ſiſtit icones duorum equitum, qui lanceis in ſe invicem directis acerrimè dimicant, ex quo equi

equi in clunes agi præcipites videntur. Alter dimicantium ex caſſide in orbem faſtigiatâ, ac pediſequo comite (quamvis vetuſtate penè abolito) Ruſtamus eſſe cognoſcitur. Character Veneris (grandior) hîc quoque inſculptus eſt. Paucis hinc paſſibus progredienti occurrit prope humum conſpicua

Figura XI.

inſculpta rupi, contiguæ magis quàm continuæ, planæ tamen, & ſurrectæ pariter. In ejus medio cataphractus ſtat Ruſtam, ſiniſtrâ ſcipionem tenens, ad latus demiſſum, exertoque indice Reginæ colloquens. Hæc ad Regem



converſa, levatâ dextrâ, indici indicem jungit. In Ruſtami pediſequo idem ſpectatur geſtus qui in domino. Inter Reginam & Ruſtamum pectore tenus prominet pygmea puella, ſive filia, ſingulari capitis & pectoris ornatu.

In hac figurâ habitum nonnihil temeravit vetuſtas; redimicula tamen in ſingulis diverſa & notabilis formæ, capilli in Ruſtamo ſoluti, in ceteris plicati; tum monilia ex globulis confecta, illæſa ſunt & ſatis expreſſa. Crura tegunt in tumulos coacervata pulvis & ſabulum. Hanc excipit altiori loco conſpicua

Figura XII.

ſpatium exhibens quadratum, glabrum & omnis ſculpturæ vacuum, præter trium riſcorum, quibus olim infixa fuit Tabula ex pretioſo, quod dicunt, ære; quæ verò dudum ablata eſſe potuit. Hanc ſequitur


Figura XIII.

in pariete rupis transverſæ, prope ſolum, exſculpta ſub Hieroglyphicâ quartâ, Duellum exhibens duorum equitum heroum, ſimile ei, quod ſtitimus Fig. VIII. & X. Pro

Figura XIV.


exhibemus Ædificium ex candidiſſimo & polito marmore, quod extat ſexaginta à rupe paſſibus, è regione Figuræ quartæ, ſive Hieroglyphicæ primæ. Forma ejus cubica eſt, cujus ſingula latera paſſus habent in latitudine duodecim, plures in altitudine. Structura eſt quaſi in duas diſtincta contignationes, quarum inferior vel cæmento farta eſt, vel muro recluſa, ne acceſſus pateat; ſuperior, cameram refert unicam & obſcuram, ad quam penetrare diurna lux niſi per oſtium poteſt. Saxa, ex quibus conſtruitur, tantæ molis ſunt, ut in ſingulis parietibus duo juxta ſe locata, palatii latitudinem, altitudinem quindena ſupra invicem poſita abſolvant; uno præter hæc incumbente, pro operis coronide, cujus longitudo totam ſternit parietis latitudinem. Tria domûs exteriora latera, ſex loculos ſingula exhibent, triplici ſerie locatos, quadratos, in formâ feneſtrarum, ambientibus limbis gradatim


Figur. XIV.



F. W. Brandshag

tim depreſſioribus; tum multos præterea riſcos ſuperficie tenus exciſos, quorum numerum & ſitum vide in Icone. Dicebantur loculi aureas tabulas, riſci, ejusdem metalli bracteas tenuiſſe, inſertas pro ſplendore ædificii: quas verò rapax ſequioris ævi conditio expunxerit. Frons ſeptentrionem, ſive rupem, reſpiciens, tribus circiter à terrâ orgyjis patulum præbet oſtium; à cujus limine ingens decurrit hiatus, parietem usque ad fundum dividens: Dicerem terræ motu factum eſſe, qui etiam ſupremum ſaxum, ex ſuo loco (ut in icone vides) excuſſerit, niſi probabilius fuerit, gradus pro aſcenſu ei olim inhæſiſſe, arte infixos, qui verò effracti diſtractique lacunam reliquerint. Difficile erat, nec ſine periculo, aſcenſum tentare absque ſcalis: his ego deſtitutus, cùm & lux & tempus deficerent, penetrare non potui. Inſcriptionem quadruplicis characteris inde depromptam mihi communicavit Cl. Dn. *Jagerus;* Verùm, quòd non ex ipſo loco, ſed ab Anglo, oculato teſte, communicatam deſcripſerit, pro verâ ejus præſentiâ fidem meam non interponam. Chalcographus meus illam ſiſtit in Tabulâ ante montem deſuper pendente: clariùs eam ex communicatione *Floweri* propoſuit Cl. Dn. *Hyde*, in laudato opere; ſed quam perperam refert in Equi ſyrmate inveniri. Domum hanc accolæ vocabant *Nagara chonèh*, i. e. tympanorum domum, ex quâ ſtatis horis muſica ſolita ſit intonari; Verùm hoc genus muſices & theatrorum muſicorum ſerioribus ſeculis Perſiæ inductum eſt à Tamerlane: Satiùs crediderim, domum fuiſſe ſacram, in quâ Magi ignem coluerint in honorem Mithræ, quod in ſpelæo & obſcuris peragi debebat. Similis domus, diſtractis ſaxis, penè diruta extabat hinc, ab aliquot teli jactibus verſùs eurum, in eâdem, quæ ad palatium collimat, lineâ; quò verò, quòd inter duo fluminis brachia poſita eſſet, viam dirigere non licebat. Ad lævam igitur digreſſi ſumus, & prope pagum


FRONTISPICIUM PALATII PERSEPOLITANI
P. 325


P. 325
J. v. Branshagen

gum *Sjuul* tranſitum adepti, perreximus unam paraſangam in crepuſculo, & prætervecti Perſepolitanum palatium, pervenimus ad vicum *Myr gaſcuun.* Divertimus hîc in Xenodochio peramplo, cujus hoſpes, vel cuſtos, pro more loci, erat meretrix publica. Poſtridie cum diluculo, tranſimus viâ dimidiæ horæ, ad ſpectandum alterum Monimentum, videlicet rudera Regiæ Perſepolitanæ.

RELATIO V.

Palatii *Iſtachr*, ſive Perſepolitani, rudera, vulgo *Tſjehìl menaar* dicta.

§. I.

Operis conditor.

Antiqua Regum Perſicorum ſedes, quam in ruderibus hîc contemplabimur, diverſis appellatur nominibus; quorum hodie vulgatiſſimum eſt چهل منار *Tſjehìl menaar*, i. e. Τεσσαρακοντάστυλος, ſive quadraginta turres, petitum à multitudine columnarum in eâ ſpectabilium; prout ſolent Perſæ hoc numero multitudinem exprimere. Vocatur etiam, præſertim in ſcriptis, اصطخر vel ſecundum ſcriptionem Perſicam استخر *Iſtachr*, vocabulo obſoleto, quod lapideam, ſive marmoream, operis ſubſtantiam inſinuat: quo verò & ipſa arx, quæ olim palatium complexa eſt, quin univerſa urbs, & urbis locus etiam denotari ſolet. Audivi ab aliis appellari خانه دارا *Chonèh Darà*, i. e. *Domus Darii*, quem Perſæ دارا کوچک *Darà Kutſjùk*, i. e. *Darium minorem*, ex rebus obſcurè & infeliciter geſtis, Latini *Darium Codomannum* vocant, velut noviſſimi in eâ reſidentis Monarchæ, ſub cujus fatis illa à Victore temulento exitium paſſa eſt. Legitur tribus

ſeculis in extruendâ laboratum fuiſſe, donec tota abſolveretur; ſi modò unquam abſoluta, vel tota lacunaribus operta fuit. Ajunt, lacunaria ac parietum interſtitia fuiſſe cedrina; quæ verò ab Alexandro incenſa conflagraverint, ſuperſtite incorruptoque marmore, ac paſſim aliorſum transvecto. Sunt qui eam non Regum ſedem, ſed mauſoleum & locum devotionis fuiſſe judicant, ex ſacris iconibus, quas ſtructuræ quædam præferunt, tum ex conjecturis chronologorum quanquam recentiorum temporum, qui ædificium illud ad typum templi Salomonis factum ſcribunt, & ex textu quodam ipſius Corani comprobant. Verùm nil impedit, locum ſacrari Religioni, aut Principum manibus Fana extrui intra Aulæ pomœria; quandoquidem præter ſculpturas quorundam conclavium, quæ ſacerdotales ritus & habitum oſtentant, in aliis ruderibus etiam ſpectantur hiſtoriæ ſecularium geſtorum, theriomachiæ & triumphalis ambitûs hiſtoriæ, quæ cum ædis ſanctitate minùs convenirent. Conditorem alii inducunt *Ardeſjir Behmèn*, ſive *Ahasverum*, quem Græci vocant *Artaxerxem;* negantes, ante eum Iſtacheriani Palatii præſentiam, cum alioqui Rex inclytum illud convivium, de quo Sacra Biblia referunt, in illo potiùs ſplendidiſſimo orbis theatro, quàm in arce Suſâ celebraſſet.

كتاب تاريخ *Kitaabi Tariich*, ſive liber Chronologicus, (ita κατ' ἐξοχὴν, appellantur *Emiir Chani* ſeptem de rebus patriæ volumina) operis inchoatorem inducit Regem *Dſjemdſjid;* cui doctorum plerique aſſentiunt. Nonnulli altiùs, & ex diluvii ſeculo fundatorem repetunt Regem *Kijumerèts*, ſive *Khejomerès;* cum probabile ſit, qui primus gentem & urbem genti condiderit, eum & ſibi de Regiâ proſpexiſſe Sede. Quisquis fuerit, ex ſculpturis conclavium colligitur, Principem fuiſſe ejus gentis, quæ Abrahami Religioni, vel, ſi placet, Legi Judaicæ ſubſcri-

-pſerit:

pſerit: quòd Abrahami, quin etiam Salomonis ævo multas feciſſe gentes exteras, maximè veriſimile eſt: nec de Perſis quidem dubitari poteſt; quorum Monarcham, *Cyrum*, S. Scriptura Dei ſervum, appellat, & *Darium Hyſtaſpis, Ahasverum, Dariumq; Nothum* propitio in Judæos affectu promoviſſe templi Hieroſolymitani extructionem memorat. Nam laudatus *Emiir Chaan* Regem *Dſjemdſjid* ait initio religioſiſſimum fuiſſe, & foviſſe religionem *Idris*, i. e. *Enochi* Prophetæ, adeoque Deo vero ſacrificaſſe; verùm, rerum ſuarum ſucceſſu eò prolapſum arrogantiæ fuiſſe, ut ſuam coli imaginem ac divino cultu venerari juſſerit. *Dſjemſjidis* in throno ſedentis ſimulacrum portis inſculptum mihi monſtravere ductores mei, ſed ignari hiſtoriarum, nec ſatis fide digni. Pro meliori dictorum intelligentiâ, ex Perſarum traditione, ſubjungo ſuccinctam ſeriem primævorum Regum cum annis regiminis. Primus regnaſſe ſcribitur *Khejomerès* annos ſexaginta. (2) *Huſjeng* annos nonaginta, (3) *Tehmurès*, (4) *Dſjemdſjid*, (5) *Sohhaak* annos mille, (6) *Freiduun* annos quingentos, (7) *Manutſjehhr* annos quadraginta, (8) *Nauſer* ſeptem, (9) *Kei Kobaal* triginta tres, (10) *Kei Kaujuus* ſeptuaginta novem, (11) *Kei Goſro* (Cyrus) ſexaginta tres, (12) *Lohraſp* viginti, (13) *Guſtaſp* (*Hyſtaſpes*) quadraginta, (14) *Behmen* ſive *Ardeſjir*, (15) *Darab*, (16) *Dara*, (17) *Iskander Filakuus*. (*Alexander Magnus*.) Paucos hos Reges memorant & partim longiſſimi regiminis, quia obſcuriores omittunt; eorum & interregni annos priorum regimini accenſentes: ex quo *Sohhaaki* & *Freiduuni* regno plura attributa ſunt ſecula.


§. II.

Palatii ſitus & deſcriptio generalis.

Palatii quadrata baſis eſt, ad occidentale latus excelſi & inconditi montis *Rahmèd*, in formam theatri condita & à tellure elevata, ſitum obtinens ſuper petram, quam ajunt mar-

marmoream, ita ut toti patenti campo occidentale latus ſuum, velut operis frontem, objiciat, atque olim urbi ampliſſimæ, quæ campum repleverat, ubiq; conſpicuam expoſuerit ſtructuræ ſuæ magnificentiam. Campus, quà palatium ambit, planus, ſabuloſus & incultus eſt, ad radicem montis clivoſus & accolarum expers, præterquam opilionum, qui cum ſuis mapaliis per ſubmontana vagantur. Rudera in propinquo ſpectantur duobus in locis, indices magnificorum olim conclavium, quæ ipſi palatio coæva eſſe, teſtatur marmoris & ſtructuræ genus. Priora nomino areolam, palatii angulo meridionali à centum & quinquaginta paſſibus oppoſitam, quadris marmoreis ex cœruleo nigricantibus (majori parte evulſis) ſtratam, quæ columnam exhibet unicam, inter ceteras undecim prolapſas, immobili talo conſiſtentem, marmoream, canaliculis ſtriatam, fictam ex uno continuo lapide, orgyias referentem duas & dimidiam in craſſitie, novem (ſi conjecturæ fides eſt) in longitudine. Ex ceteris vel baſes, vel baſium ſaltem veſtigia, conſpiciuntur, ſcapis ex lapſu diminutis & partim ablatis; Parietum reliquiæ adſunt marmorea quædam ſaxa, quinque & ſex paſſus longa lataque, minoribus paſſim avectis. Poſteriora rudera conſtituunt non procul à palatii latere boreali ſpectabiles portæ rubidæ, marmoreæ; una erecta, ex tribus ſaxis (uno quod ſuperliminare, duobus quæ poſtes referunt) conſtructa; & paucæ aliæ proſtratæ & partim etiam diſtractæ. Mons palatio adſitus, quamvis in abdito ſinu elegans marmor foveat, triſtem tamen præbet faciem, ex margâ, petrâ ſabuloque compactam, decolorem, lacunoſam & nullâ fronde honeſtatam. Palatii baſis, ſive area, formam refert theatri, cujus latera ad cardines mundi (ſi orientale excipio) accuratè producuntur, quadraturâ tamen minùs exactâ vel æquilaterâ. Nam tractus montis quadantenus in arcum recedit, & ex auſtro declinat

in


Merid.
Septen
Occid
Oriens
Structur I
Str II
Str III
Str IV
Str V
Str VI
Str VII
Scala paſſuum
10 20 30 40 50 100 150
F.W.B. Sculp.

in orientem, ex quo annexæ areæ limes orientalis in eandem formam provehitur, auſtralis verò exſurgit boreali paulò longior. Præterea ipſa theatri latera amuſſim non ubique ſervant, ſed parietes alios podiorum inſtar projectos exhibent, alios intra lineam retractos, pro occaſione vel commoditate ædificiorum, ſive conclavium, quæ inibi extruenda conditori placuit. Projecturæ, quas in boreali & auſtrali latere ſatis inordinatas, nec ubique paris altitudinis conſpicimus, plures ſucceſſivè conditores arguunt, per quos baſis hæc ſubindè novis aucta progreſſibus in majorem molem excreverit. Longitudo, quæ ab Oriente in Occidentem, id eſt, à monte ad campeſtrem terminum, protenditur, paſſus meos habet rotundo numero 570, latitudo maxima, quæ à borea vergit in meridiem, paſſus quadringentos. Murus, ſive paries, qui ubique perpendicularis eſt, altitudinem obtinet orgyiarum ſex, plurium vel pauciorum, i. e. ubique non eandem, eò quod ſolum ad boreale latus ſit magis acclivum, declive circa occidêntale & auſtrale. Structura parietum priſcam exprimit Operis magnificentiam, ſaxa ubique præbens marmorea atra, vel in cœruleum atricantia; qualibus paſſim & ipſa area ſive pavimentum ſternitur. Saxa ad aſſem quadrata ſunt, externâ facie nitidè polita. Eorum jure mireris inſolitam magnitudinem: quoniam minima duas & tres, cetera quatuor, quinque & plures paſſus in omni dimenſione exhibent. Scribunt, ex ipſo ſolo, ſive rupe, quæ ſtructuram bajulat, deprompta eſſe, non aliunde transvecta; qui ſanè labor mortalium viribus fuiſſet ſuperior. Triplex hujus theatri latus (nam quartum mons conſtituit) tot ſeculorum tempeſtatibus vix temeratum eſt tantopere, ne, velut nuper ſtructum ſit, nitore parum amiſſo, glaberrimam referat ſuperficiem. Facies borealis furtivas manus paſſa, multos lapides angulares in faſtigio amiſerat, priùs, quod avehi ob ma-

magnitudinem integri non poſſent, in quatuor partes, magno, ob duritiem, labore diviſos; prout plures ſemi diviſi & derelicti oſtendunt.


§. III.

Ignoti characteres Palatii.

Facies meridionalis, non procul ab occidentali termino, quatuor circiter ab humo orgyjis, Inſcriptionem exhibet, expreſſam characteribus peregrinis, formam habentibus cuneolorum; quales (præterquam in conclavibus ipſius palatii) nullibi terrarum reperiuntur, neque à quoquam mortalium hactenus poſſunt intelligi: cum & ipſa lingua, qualis ſit, ignoretur; & an ſimplices literas, prout Europæorum, an ſyllabarum ſonos, ut Japonenſium ductûs, an integras res, exemplo Sinenſium, exprimant, incertum ſit. Ego poſtremum auguror, & cuneolos, pro diverſo poſitu & compoſitione, aliam atque aliam denotare rem; adeoque parum referre, quo idiomate lectio inveſtigetur. Paucitas cuneorum in uno charactere, cum Sinenſium virgulæ ſæpè multò plures ſint, nihil me ab hâc ſententiâ dimovet; Tantâ enim hîc non opus eſt in rebus exprimendis copiâ cuneorum, quantâ in Sinenſium ſcripturâ virgularum opus eſt; cùm virgulæ Sinenſes caudâ & capite careant, vel ſi ob καλογραφίαν habeant, carere tamen ſine detrimento ſenſûs poſſint, adeoque in uno ſitu ſaltem unam ſignificationem inferant; noſtri verò cuneoli in eodem poſitu, ſi invertantur, duas inſinuare valeant ſignificationes, adeoque minori apparatu & compendio res ſuas deſcribere. Characteres, quòd nullibi præterea reperiantur, Palatio Iſtacheriano proprii ac domeſtici dicendi ſunt, quibus perquam curioſè venuſtiſſimèq; inſculptis (non exſculptis) ſtructuras in ipſâ theatri areâ exiſtentes, videlicet portas, feneſtras, ſtatuas, parietes illuſtrare, conditori placuit. Narrant foveas characterum auro impletas fuiſſe, ſed quod hoſtiles manus

ſequiorum temporum expunxerint. Aureum ſane colorem in nonnullis characteribus ſuperioris areæ obſervavi; an obryzi reliquias, an deaurationis ſaltem, non dixerim. Characterem à *Zerduſto* inventum eſſe, ne credas vulgo! coævus eſt palatio, & in primâ marmorum conſtructione inciſus. Biblia quæ à *Zerduſto* accepit *Darius Hyſtaſpis*, atque in hâc arce ſuâ aſſervavit, deſcripta fuerunt veteri ejus ſeculi linguâ & charactere Perſico, quo hodierni *Gabri*, ſive veteris religionis aſſeclæ, etiamnum utuntur, ſed plurimùm immutato & ad Arabicæ ſcriptionis genium accommodato. Inſcriptio, de quâ loquor, lapidem occupat decem paſſus longum, tres circiter latum, longitudine ſuâ non in perpendiculum, ſed horizontaliter inſertum. Videtur autem non marmoreus, ſed ſubſtantiæ mollioris eſſe, quia paſſim characteres amiſerat injuriâ temporis exeſos. Inſcriptionis quadruplex quaſi tabula ſpectatur, intergerinis virgulis diviſa; quarum unaquæque lineis abſolvitur viginti quatuor; characteres tanti ſunt, ut pollicarem longitudinem videantur excedere. Ego ex tabulis illam hîc exhibeo, quæ latus claudit ſiniſtrum, & legentis dextræ opponitur: ſive prima, ſive poſtrema dicenda ſit. Ab hâc deſcriptionem auſpicatus ſum, quòd *mola*, ſive theologus, quem in vico exploraveram, dixiſſet mihi: *Scripturam hanc æquivalere characteri Hebraico;* quem à ſiniſtrâ oriendum eſſe ducebam. Verùm, unius deſcriptio tam longam mihi faceſſebat operam (ob loci altitudinem & ſolares radios permoleſtam) ut parum abeſſet, quin à ceteris abſtinere coactus fuerim. Videntur autem reliquarum characteres à præſentibus quadantenus variare, & qui in præſenti tabulâ ſurſum ſpectant, in illis cum occurrerent, vel deorſum vel ad latera inverſi. Venuſtatem literarum ſupinus chalcographus meus non eſt aſſecutus: omiſit etiam decens ſpatium, quod characteres ubique diſtinguebat: quo nomine

Inscriptio Persepolitana



mine excuſari ipſam Inſcriptionem volo, quam penes me ad typum exaratam ſervo, multò accuratiorem.

Palatii deſcriptio ſpecialis.

§ IV.

Acceſſus patet in fronte, prope finem borealem, duplici ex eodem termino in eundem locum aſcenſu: uno, quo ad dextram quinquaginta quinque gradibus in podium, & ex hoc viceverſâ ad ſiniſtram, gradibus quinquaginta octo, pergimus in projecturam, cujus longitudo explet paſſus viginti quatuor, latitudo octo; altero, qui ſitu oppoſito primum ad ſiniſtram, deinde ad dextram, totidem, quot dixi, gradibus in eandem perducit projecturam: ex quâ per gradus omnino duos, utrique aſcenſui communes, rectà in aream univerſi operis devenitur. Gradus concolori parietibus marmori, plerumque uni ſaxo duodecim, inciſi ſunt; longitudinem obtinentes paſſuum octo, latitudinem ſeſquipedalem, altitudinem vix amplius palmarem; eo proinde ſitu gaudent, ut equitando etiam penetrare in aream commodè liceat. Area horizontaliter expanſa ac æqualis eſt; niſi quòd cæmenta ex collapſis ædibus, tum ex monte transmiſſa ſabula & pulveres, circa objecta projectorum ruderum accumulata, inæqualitatem pariant. Ædificia ſuſtinuit plura ac ſplendidiſſima; quæ adeo nunc diruta ac proſtrata jacent, ne connexionem, lacunaria, altitudinem, imò vix numerum agnoveris. Rudera nondum peſſundata, antiqui ſplendoris, monarchiæ & priſcorum temporum faſtûs, documenta præbent luculenta. Magnificentiæ major pars conſiſtit in multitudine prægrandium, tum columnarum, quæ ſuſtinuiſſe lacunaria videntur, tum portarum, quæ ædificia clauſerant: quarum illæ ex marmore plerumque albo, hæ ex obſcurè rubido, utræque duriſſimo & perpolito, fabricatæ ſunt: ſaxis ad ſtructuram ſelectis ita magnis, ut quantæcunque columnæ vel portæ fuerint, tribus


pag. 33
Str. II
Structur. I


pag. 334
PALATII·PERSEPOLITANI·RUDERA
Str IV
Str II
Structur I
Str VI
Str V
Str III
Str VII

bus omnino, quatuorve, raro pluribus abſolverentur. Quibus accedit anaglyptarum ſculptura ubique elegans variorum emblematum & hiſtoriarum, de rebus æque ſacris ac profanis; In quam vero venuſtatis partem cum non æque potuiſſet temporum malitia dentes exerere, quod marmor eſſet omni ſilice durius, accidit non multis retro annis, ut quidam archiſatrapa Sjiraſenſis, homo perditus & cum *Heroſt.* æternum tacendus, miſſis latomis, plerasque figuras deturparet, præſertim perſonarum facies, manus & quicquid maximum redoleret artificium: ita, cui hoſtes & tot ſeculorum injuriæ pepercerant, abolere malitioſe conatus. Cauſa homini non alia fuerat, quam tædium amicorum & magnatum, qui aliunde ſpectatum venientes, œconomiæ ſuæ moleſti eſſent. Commiſſo ſcelere, parum abfuiſſe dicitur, quin per alium edoctus Rex, à patratore pœnam capitis exegerit. Ex marmoreis, quæ hodienum conſpiciuntur, ruderibus colligo, ſtructuras illuſtriores per univerſam aream extitiſſe haud amplius octo, (ceteris, ſi forte plures fuerint, disjectis devectisque) videlicet: quatuor ſecundum longitudinem frontiſpicii, quod campo opponitur, ceteras paulo remotiores ad orientalem theatri partem; omnes quidem eo ſitu, ut parietibus ſuis mundi cardines reſpicerent, & hoc ipſo reſponderent quadraturæ communis areæ. Area cum ubique horizontaliter plana ſit, ædificiorum tamen non eſt omnium æquale pavimentum, ſed aliud alio paulo ſublimius, ut per gradus in ipſum aſcendi oporteat. Si quis horum omnium ſculpturas, Inſcriptiones, menſuram, ornamenta & cetera memorabilia velit accurato penicillo deſcribere, ei vix bimeſtris in loco mora ſuffecerit. Ego, quantum ex his unico atque integro triduo aſſecutus ſum, quô nec prandio otium indulſi, fideliter communicabo; ordinis cauſâ ſingulas Structuras numeris diſtincturus.

Stru-

Structura I.

quindecim paſſibus ab aſcenſu incipit, introitum univerſi operis conſtituens. Hæc quatuor abſolvitur parietibus, vel, ſi ita vocare licet, *Statuis*, totidemque *Columnis;* quarum omnium hæc eſt diſpoſito: Opus duæ ordiuntur Statuæ marmoreæ albicantes, vagis quibusdam venulis variegatæ, latitudine ſuâ à ſcalis ad montem, ſive ab occaſu in orientem, extenſæ, ſpatio disjunctæ paſſuum ſaltem quinque. Quas in eâdem lineâ ex brevi intervallo ſequuntur ſubdiales columnæ quatuor, pariter marmoreæ, in quadratum diſpoſitæ, ex quibus duæ poſteriores deſiderantur, pridem collapſæ. Columnas rurſus excipiunt duo parietes, ſive Statuæ, ſubſtantiâ, magnitudine, formâ, poſitu prioribus ſimiles & ab iis triginta paſſus remotæ. Statuarum gigantea prorſus ſtructura eſt; cum enim craſſitiem obtineant duorum, latitudinem octo, altitudinem circiter quatuordecim vel ampliùs paſſuum, ex pluribus tamen quàm duobus ſaxis conſtructæ non ſunt; ita verò affabrè, ne eorum appareat commiſſura. Interiora latera ſingulas exhibent monſtroſæ formæ & magnitudinis belluas, corpore quaſi dimidio prominentes, eo ſitu, ut baſi parietum inſiſtendo totam ſtatuarum latitudinem impleant, & in priori ordine ſcalas, ſive occidentem, in poſteriori montem, ſive auſtrum, reſpiciant. Priores belluæ invicem figurâ ſimiles ſunt; verùm quòd capite mutilatæ ſint, agnoſci non ſatis poſſunt, an Camelo-leonem, vel aliud bruti monſtrum referant: ornatus utrique idem eſt, & plurimus ex roſis & coralliorum globulis. Poſteriores duæ alatis dorſis gryphi æmulantur figuram; facies tamen barbata & humanæ ſimilis eſt, malitioſam populatoris manum paſſa. Ulteriorem deſcriptionem ſupplebit appoſita effigies, quanquàm ruditer ſculpta, in quâ effigiem ſaltem unicam tum ex columnis, tum ex duplici beluarum genere ſtitiſſe, ſufficere nobis viſum eſt. Belluis triplex immi-



imminet areola ſive tabula, quælibet duabus ſupra viginti lineis characterum cuneatorum (quales ſupra dedimus) inſculpta. Lacunæ quædam in iis aureo micant colore, quaſi hoc metallo olim oblitæ vel repletæ fuerint. Statua utriusque paris dextra, facie auſtro obverſâ, lacunam refert ex faſtigio demiſſam, luculentum teſtem effracti olim muri contigui; qui inde verſùs proximam, eamque palmariam univerſi operis, ſtructuram protenſus, Regii illius atrii conſtituiſſe videtur propylæum, velut idem apparet ex murorum intervallo, marmoribus ſtrato. Columnis forma cylindracea & craſſities æqualis eſt, orgyjas in ambitu referens duas & dimidiam; longitudo altitudinem ſtatuarum duplo & ampliùs ſuperat; baſes, ſabulo tectæ, vix conſpicuæ ſunt; ſcapus ex quatuor ſaxis componitur denſis canaliculis ſtriatus; capitellum ſculpturis & coronamentis variè exornatum refert calathum. Altera columnarum quadruplici nido ciconiarum, ſuper invicem aggeſto, premitur, neq; alius præterea nidus ibidem ſpectatur. Ab hâc Structurâ triginta paſſus progredienti, verſùs montem, cumulus occurrit ingentium ſaxorum, ſabulo pene ſepultorum: quorum pars à magiſtris jam tractata, ultimas expectat cælatorum manus. Ex his ob magnitudinem memorari meretur pars columnæ nondum politæ, quæ diametrum obtinet unius orgyiæ; tum hydria, ſeu linter, cujus profunditas pene orgyiam, longitudo ſeptem, latitudo ſex paſſus exhibet, oræ craſſities tres ſpithamas: videbatur autem petroſo ſolo continuus, i. e. ex caute prominente efformatus; quia ipſum ſolum hôc loco petram refert. A columnis circiter quadraginta paſſus verſùs meridiem progredientes, ſiſtimur ante

Structuram II.

Primaria hæc & onomaſtica eſt univerſi operis, columnarum magnificam ſiſtens congeriem, vulgo à Perſis *Tſjehìl*

hil menaar dictam; quam nos ob loquendi commoditatem *Stylo-meſaulium* appellabimus. Hæc Structura ſupra communem baſim muris atris marmoreis ad ſeſqui orgyiæ altitudinem elevata, ſpeciem præbet novi ac ſublimioris theatri: cujus quadrata forma eſt, circiter 140 paſſus protenſa ab oriente in occidentem, ſive ad finem Palatii, quà campo imminet, longiùs à ſeptentrione in auſtrum, & ad novi ædificii ſtructuram usque. Frontiſpicium (quod boreale latus conſtituit,) quatuor exhibet aſcenſus, ſive ſcalas: quarum priores duæ adverſa occupant latera projecturæ, ſive podii, in medio frontiſpicio poſiti, ita ut una ſcala ab occidente ad orientem, altera ab oriente in occidentem vergant; à quibus utrinque quadraginta paſſus recedenti duæ ſe offerunt ſcalæ poſteriores, pari ſitu locatæ: muro frontiſpicii in tantum retracto, quantum illæ requirebant ſpatii. Aſcenſus leviter acclivis eſt, per gradus (ſex paſſus longos) omnino triginta, unico marmori inciſos; ſed qui in ſcalis poſterioribus ſunt diruti & vix numerabiles. Ipſe frontiſpicii paries, ubique latiſſimo marmore conveſtitus, duplici ſerie variarum ſculpturarum exornatur: quarum plurimæ ruinis ac cæmento tectæ, haud integrè agnoſci poſſunt, niſi impedimentis remotis, nec omnes depingi accuratè, niſi longioris otii impendio; non paucas etiam vitiavit vetuſtas, communis rerum humanarum corruptrix. Sculpturæ in duas diſponuntur ſeries, intergerino limbo in ſuperiorem & inferiorem diſcretas. Utraque ſolennem exhibet ſive ſacrificalem, ſive triumphalem ambitum, qui protenditur à ſcalis campo propinquis ad ſcalas monti oppoſitas, id eſt, ab occidente in orientem. Ambitum orditur in ordine ſuperiori Eques, quem birota excipit, â viris duobus quaſi ſubjugibus protracta; inferiori ordine alatus leo colluctans cum tauro monocerote: cui jungitur longa tabula, carminibus inſcripta viginti quatuor, ex cha-

ractere cuneato, Palatio huic proprio. Uterque ordo ab occidentalibus ſcalis ad projecturam usque viros ſiſtit vario veſtitu, rebusque diverſis, quas manibus geſtant, conſpicuos, quibus paſſim inſeritur mulus, bos, ovis, camelus vel Cupreſſus: A projecturâ ad ſcalas usque orientales, meros exhibet ſatellites, qui dextris haſtam, humeris pharetram ferunt, togis laxis induti, capitis ornatu nonnunquam coronæ ſimili: Quali etiam ſatellitio venuſtantur interiores omnium ſcalarum parietes. Projectura hunc ambitum (ſive unum, ſive duplicem) interrumpens, in exteriori ſcalarum facie, utrinque duplicem quoque ſiſtit iconum ſeriem, in imâ, præter plantas Aloæ vel Cinaræ Indicæ ſimiles, leonem cum tauro luctantem, in ſuperiori Cupreſſos, vaſis Adoneis inſitas. Saxum, (quod podii frontem clauſerat, & totius frontiſpicii centrum conſtituit) paſſus octo longum, ſex latum, ex pariete dilapſum & inverſum jacet, ſculpturas ſuas hoc poſitu abſcondens. Adumbrationem ambitûs hujus tentavi, ſed penicillo, quàm par erat, fugaciori & ad omnia non ſatis attento. Eam magis deturpavit chalcographus, dum particulatim pictam, me abſente ſculperet, in iconum proportione non minùs, quàm in ordine & locatione hallucinatus, nec integram aſſecutus quidem, quòd delinearat in formâ minori. Qualiscunque ſit, apponendum tamen duxi, ut ſuperſederem prolixæ deſcriptioni, terſiorem daturus loco alio. Aream conſcendens, ſcenam video ſplendida præbentem fulcra Imperatorii quondam, uti videtur, conclavis: Columnas videlicet ſeptendecim, ex ſeptuaginta duobus, quantum ex ordine & veſtigiis colligo, ſuperſtites; ceteræ lapſu comminutæ disjectæque pavimentum operiunt. Videntur autem diſpoſitæ fuiſſe in quatuor claſſes; ſingulas muro olim diſcretas atro marmoreo, cujus quædam ſaxa prominent pene orgyiam alta, longa paſſus ſex, craſſa unicum. Columnæ vel earum

rum



rum baſes & veſtigia intervallo disjuncta ſunt novem paſſuum, innixa quadris, quibus ſolum ſternitur, marmoreis, ſex paſſus in utraque dimenſione referentibus. Figura omnibus non eſt eadem; nam anteriores, quas ad projecturam conſpicio, & quæ his in ſerie reſpondent, Columnæ claſſis mediæ, ad unum typum fictæ ſunt, planè cum columnis ſtructuræ præcedentis primæ, ſcapis donatæ ſtriatis, & in faſtigio extuberantibus anaglypticæ artis ſculpturis variè decoratis. Ab his non abludunt Columnæ claſſis vicinæ, quæ orientem ſpectat, niſi quòd calathi decore careant. Occidentalis claſſis Columnas obtinet læves & ſine ornatu, præterquam quòd in faſtigiis quædam bajulent fragmenta beſtiarum, quas, ob altitudinem & quod tempeſtate vitiatæ ſint, agnoſcere non potui; ſaltem leonini unum, aliud bovini pectoris mihi viſum eſt. Pro columnarum varietate triplex ſpectatur forma baſium; una quadrata & valde Gothica; duæ verò rotundæ, quarum prior præter nitidam ſuperficiem nihil habet artificii, altera foliis liliaceis in ſeriem deſuper pendentibus per anaglypticen decoratur. Scapi, ſive ſtriati, ſive læves, cylindraceam & æqualem ubique rotunditatem exhibent, craſſitiem verò tantam, quæ complexum trium fere orgyiarum impleat. Ipſam metiri altitudinem non licuit, niſi per conjecturam; quâ ſpondere auſim in plerisque longitudinêm quindecim orgyiarum, minorem in iis, quæ faſtigii jacturam paſſæ ſunt. Ut Columnarum omnium priſcus ordo, ac ſuperſtitum ſitus cognoſcatur, planographica Tabula inſpicienda eſt: in quâ orbiculi punctis conſignati notant columnarum prolapſarum loca, baſes vel veſtigia: orbiculi integri cruce inſigniti, columnas ſtriatas cum faſtigii ſculpturis operoſè elaboratis; orbiculi unicâ virgulâ diviſi, columnas ſtriatas ſine alio ornatu; orbiculi in centro punctati, columnas læves, omni ornatu carentes. Teſſerulæ notant marmorea parietum veſti-

veſtigia; lineolæ parallelæ cuniculum ſub pavimento, qui olim pro aquæ ductu ſerviviſſe videtur. Sequitur

Structura III.

Deſcribendæ in auſtrali tractu duæ reſtant Structuræ: verùm, ut præveniremus confuſioni, viſum eſt ad hanc priùs deflectere ſtylo-meſaulio & monti interpoſitam, ac reliquorum omnium maximam illuſtriſſimamque; quanquam ejus ac ceterarum, quæ ſequuntur, reliquiæ conſiſtant ſolummodo in Portarum magnificis poſtibus, iisdemque, per intervalla aliquot pedum, inſertis quibusdam ſaxis prægrandibus, ex quorum ſerie muros & magnitudinem conclavium colligimus. Præſentis Structuræ (quæ diſtat à priori ſexaginta paſſus) quadrata æquilatera figura eſt; area interior in utramque dimenſionem octoginta quinque paſſus expanſa, ubique plana & inanis, niſi quòd hinc inde ex ſolo promineant ſtriatæ quædam particulæ columnarum, quibus lacunar ſuffultum fuiſſe conjicimus. Singuli parietes, ſive muri, duas oſtentant portas prægrandes, quinque ferè orgyiarum altitudinis, ex ſaxis omnino octo, vel paucioribus, conſtructæ. Has in boreali latere intercipiunt tres portæ minores, ex tribus factæ lapidibus, ſeſquiorgyiam altæ; quarum in ceteris parietibus locum ſupplent marmora in oſtii, vel veriùs in repoſitorii, ſpeciem efformata, ita ut prædictis figurâ, ſitu & magnitudine reſpondeant. Portarum (majorum) poſtes latitudinem referunt quinque paſſuum, craſſitiem duorum, communem cum ceteris parietum ruderibus. Superficies ubique figuris elevatis pereleganter exſculpta eſt, exemplar inſigne ſiſtens, ex quo antiquiſſimorum temporum artificium, geniumque artis perſpicias. Dolenda verò eſt tyrannis tam ſceleratæ manûs, quæ deturpavit imaginum partes præcipuas, tum ſeculorum invidia, quæ pleraque ſuperliminaria, & poſtium quoq; partes

tes




tes, peſſumdedit, ab accolis deinde in privatos uſus ſucceſſivè ablata. Sculpturarum non idem typus eſt: In poſtibus aliis, quatuor ſpectantur ſuper invicem locati ordines Atlantum, ſculptorum, quaſi exſertis brachiis bajulent onus; in aliis tres, quatuor vel quinque præbentur ſeries, tum ſatellitum, pharatris, clypeis, lanceisque inſtructorum, tum verò togatorum virorum diverſo veſtitu & actione, quos Clerum cum Epiſcopo referre, ex ſacrâ judicaveris ſupellectili, quâ videntur inſtructi eſſe. Interior omnium poſtium facies, duellum ſiſtit gigantis, hîc cum gryphe, ibi cum leone dimicantis, quos infixo pectori pugione victor interimit. Superliminaria, præter ornamenta alia, hieroglyphicam oſtentant Homaquilæ figuram, non multum abſimilem eis, quas vidimus exſculptas in rupe Ruſtamicâ montis Achtopèh. Pro deſcriptionis compendio ideam ſiſto unius portæ integrioris, (muri occidentalis) ad quam ceterarum ſpeciem liceat conjicere. Diſcrimen ſculpturis non leve quidem intercedit, ſed id fortaſſe ab ingenio ſolius architecti profectum. Murus orientalis monti obverſus extra pomœrii quadraturam in ſeptentrionem extenditur, portarum ſpargens veſtigia quædam marmorea coloris atro cinerei, ſculpturis etiam conſpicua; quibus in eodem tractu, octoginta ab hôc conclavi paſſibus, duo reſpondent poſtes ſolitarii, integritate viduati: ex quo contiguum aliquod conclave, vel porticum, eo uſque excurriſſe judico.

Structura IV.

Hæc cum Stylo-meſaulio (à quo quadraginta paſſibus diſſidet) in eâdem areâ (teſſellatâ, ſi impedimenta removes) collocata videtur; verùm muro atro marmoreo in altiorem ſitum elevatâ, in ſpeciem ſingularis theatri: cujus in boreali latere, gemino loco, decem gradibus aſcenditur, in oppoſitâ meridionali unico loco & gradibus ſal-

tem quatuor, cum ceteros ruinæ abſorpſerint. Tota hæc ſtructura circiter quadraginta in longum latumq; extenſa eſt paſſibus, &, veſtigiis ſi credimus, in plures olim diviſa fuit cameras: quarum interior haud vitiata exhibet rudera ſpectatiſſima, videlicet omnes portas, feneſtras, & ad harum ſimilitudinem cælata quædam marmora. Ex ceteris, quicquid ad orientem ſteterat, id omne unà cum theatri muro proſtratum ſabulisque ſepultum jacet; Ad occidentem, unius portæ poſtes adſunt, ſitu inclinantes, quaſi nondum fuerint erectæ, vel ex perpendiculo receſſerint; ad ſeptentrionem exigua prominent muri veſtigia, juxta theatri marginem. Latus auſtrale duas refert in fine theatri ſtatuas quadratas, ſitu reſpondentes interioris cameræ parietibus: quarum quæ ad lævam ſpectatur, ſemidiruta eſt; altera verò altitudinem conſervat integram ſex pene orgyiarum, in faſtigio tribus inſignita tabulis Inſcriptionum. Interior camera aream claudit ſedecim paſſus latam longamque, ſed cumulo obrutam ingenti ſphæricæ figuræ; an totus ex ruinis & cæmentis conſtet; an intus foveat fornicem balneariam, quod volebat plebejus ductor? me latet: aqualium ſane cuniculorum in hoc theatro non deerant veſtigia. Parietes ejus, tam orientalem quam occidentalem, utrinque procurriſſe ad fines theatri, & intergerinos conſtituiſſe aliarum camerarum, id equidem collocatæ in eodem ſitu portæ ac marmora remotiora, luculenter patefaciunt. Marmorum ſitum & numerum vide ſis in Ichnographiæ generalis figura IV, in qua litera (a) denotat portas, (b) feneſtras, (c) in feneſtrarum ſpeciem excurata marmora. Portæ palmarium ſtructuræ huic decus ſunt; altitudo earum quatuor videtur tranſcendere orgyias: quanquam, quod mireris, ex tribus tantum ſaxis, videlicet, duobus poſtibus & ſuperliminari uno fabrefactæ ſint; Poſtium latitudo trium eſt paſſuum, craſſities duorum, diſtantia pro-

por-



Typus
Feneſtrarum in Struct. IV.
cum Inſcriptione

portione altitudinis anguſtior & vix trium paſſuum. Media ſaltem Porta, quam paries auſtralis obtinet, largiùs multò patet, poſtibus etiam latioribus craſſioribusque donata. Reliqua marmora longè inter prædictam altitudinem ſubſiſtunt, & ſaltem ex unico ſaxo fabrefacta ſunt. Figuras portæ ſummo artificio atque ſtudio exſculptas exhibent: Earum triplex hîc varietas cernitur; prima eſt ſatellitum, qui ſubinde gemini, haſtis pharetrisve inſtructi, plerorumque poſtium externa latera occupant; altera eſt herois pugione interimentis belluam, quam referunt interiora poſtium: bellua illa in aliis poſtibus leo alatus, in aliis equus cornutus eſt; tertia eſt Pontificis ſtantis cum duobus pediſequis, uno qui ambabus umbraculum, altero qui lituum epiſcopalem tenet: quam exhibent trium portarum illæ facies, quæ introſpiciunt; cum eo ſaltem diſcrimine, quod uni figuræ deeſſet umbraculum, alteri triplex in faſtigio incumberet Inſcriptio, unaquæque ſex linearum. Marmora, quæ in feneſtrarum formam pertuſa ſunt, circumductâ exornantur ſerie characterum; quorum hic unicum appono exemplum. Præter has & aliæ paſſim occurrunt ſculpturæ memorabiles: ita in externa muri auſtralis facie, quam ruinæ totam fere obruunt, ſatellites obſervavi haſtatos plurimos, pectoretenus prominentes; tum Inſcriptiones tres, unam in medio, alteram atque tertiam juxta utrumque finem. Ceteros taceo ornatus, quos ad aſſem enotare ſingulos, tridui mei limites non permiſêre. Audivi, cum campo exceſſiſſem, *Timurlanem* Perſepolitana rudera dum ſpectaret, curaviſſe ſuum nomen hîc inſculpi charactere Arabico; quem verò nuſpiam vidi, vel ob multitudinem objectorum non obſervavi.

Structura V.

Antequam ſequentem in auſtrali ordine luſtremus, digredi non multos paſſus ad lævam placet. Sitæ hîc ſunt in

imâ

imâ areâ inter tertiam & quartam Structuram poſtes trium portarum, in trigonum ad mutuum duodecim paſſuum intervallum diſpoſitæ, prominentibus in medio duarum columnarum baſibus, ſabulo pene ſepultis. Pauca ſunt rudera, ſed magnifica & ſuperbi olim ædificii indicia. Poſtium alii ad quartam aſcendunt orgyiam; omnes latitudinem obtinent trium, craſſitiem paſſuum duorum, intervallo pervii trium quoque paſſuum. Poſtis geminus orientalis imo loco triplicem refert ordinem Atlantum, novenos in unâquaque ſerie, qui ſurſum extenſis brachiis, crucium formant figuras. Sunt illi ſaltem bipedalis longitudinis, adeoque humanâ magnitudine inferiores. His inſiſtit ſcena alia, ſiſtens Pontificem ſedentem, cum ſtante pediſequo, qui dextrâ florem, tulipæ ſimilem, tenet, ſiniſtram vacuam elevat. Huic incumbit ornatus ex variis ductibus & triplici roſarum ſerie. In faſtigio demum Homaquila ex orbe comparet, dextram elevans, ſiniſtrâ annulum continens: ipſa nimirum figura hieroglyphica, quæ in Structurâ tertiâ ſuperliminaria decoraverat. In poſte geminâ boreali, & una ſolitariâ auſtrali (nam altera hîc deſiderabatur) idem Pontifex ſtans conſpicitur, dextrâ longum tenens ſcipionem, ſiniſtrâ breve lignum, in extremitate ſuperiori tribus tuberculis pulvinatum, ſimile oſſi cruris humani. Hunc à tergo excipit geminus miniſter; primus qui utrâque manu caput Pontificis tuetur umbraculo; alter qui pedum epiſcopale vel quid ſimile dextrâ, ſiniſtrâ verò mantile gerit longum, ad terram usque fluens. A portâ orienti adverſâ utrinque in auſtrum & ſeptentrionem procurrunt muri marmorei veſtigia, tractu paucorum paſſuum conſpicua, deinde terrâ ſabuloque obruta, ne, quousque protenderit, cerni poſſit. Eandem ſortem hîc luunt columnarum quædam, & plurimæ marmorum aliorum ruinæ.

Structura VI.

Priorem quartam ab intervallo triginta paſſuum in eadem linea excipit, quamvis paulò extra ſeriem remota, verſùs orientem. Extima eſt in hoc ordine, & aliquâ ſui parte limites contingit univerſalis areæ. Situm obtinet in rupe protuberante marmoreâ, cujus latus auſtrale in muri ſpeciem exciſa eſt, cetera muro clauſa ſunt marmoreo, duas orgyias alto, in formam novi theatri. In aream ſcalis aſcenditur ſemidirutis, à ſeptentrionali latere quidem gradibus paucis, ab auſtrali gradibus fere quadraginta, ex ſolidâ quoque rupe efformatis. Areola hæc quinquaginta circiter paſſus in longum, pauciores in latum extenſa, ſaltem rudera exhibet rariora, ſed ex quibus mihi in proclivi fuit, conclavium diſtinctiones, ſive numerum, & remotis alicubi impedimentis, veſtigia cognoſcere columnarum triginta ſex, quibus innixa lacunaria fuerant; adeoque priſci ædificii Ichnographiam fingere; quam hic pro deſcriptionis compendio in Sciagraphia univerſali appono. In eâ orbiculi columellarum locum, punctatæ lineæ per medium conclave & ſecus parietem ductæ incilium veſtigia, cetera portas & ſtatuas denotant. Ornatus ſaxis plerisque haſtati viri ſunt: in uno obſervavi epiſcopum cum duobus pediſequis, primo qui umbraculum, altero qui lituum epiſcopalem gerit; quibus deſuper imminent Inſcriptiones tres, ſingulæ conſtantes tribus lineis. Portæ trium excedunt orgyiarum altitudinem; poſtium latitudinem tribus metitus ſum paſſibus, latitudinem unico: ex his alii tantùm ex uno ſaxo conſtant.

Structura VII.

Exiguæ molis eſt, ad Structuræ prioris angulũ, verſùs borea-orientem conſita; non aliud referens quam ſolidam baſin operis alicujus, ex atris marmoreis quadris coagmentatam;

tatam; in cujus areolam quaternis ſcalis aſcenſus olim ab omni parte patuit. Structuræ longitudo à boreali ad auſtralem terminum triginta exhibet paſſus. Scalæ ſingulæ duodecim conſtant gradibus, tres paſſus longis, ſed modò, præter veſtigia, dirutis. Stipant occidentale latus quatuor marmora fortaſſe poſtium, & à fine auſtrali alia extendunt muri alicujus veſtigia ſabulis obruta, documenta majoris quondam Structuræ: qualisnam & cujus formæ, incertum. Unum Structuræ latus refert dimicantem cum leone monocerotem taurum, cum ſemi exeſâ Inſcriptione: ceteros ornatus tempeſtates aboleverant. Ab hâc in orientem, ſive verſùs montem, quinquaginta paſſus protendenti occurrit, in imâ areâ,

Structura VIII;

Cujus primum conclave habet paſſus in utraque dimenſione viginti; alterum illi præliminare, paulò eſt anguſtius, muro verſùs boream carens, ibidemque duas oſtentans Statuas quadratas, æquilateras, craſſitiem obtinentes duorum paſſuum, altitudinem, quantum aſpectu conjicio, quinque orgyjarum. Portas habet ſuperſtites quinque, orgyias duas cum dimidiâ altas, ſingulas ex tribus ſaxis marmoreis fabrefactas. Harum interſtitia occupant cælata in ſpeciem repoſitorii marmora, atra, quadrata. Sculpturæ in poſtibus conſpicuæ ſunt milites haſtati, ſubinde gemini in eodem latere: in aliis patriarcha ſtans, duobus comitatus pediſequis, uno qui umbraculum, altero qui pedum tenet epiſcopale (in unâ portarum umbraculi geſtator deſideratur); in aliis heros, qui gryphum comâ frontali apprehenſum pugione (ſiniſtrâ accepto) interficit. Marmorum magna portio, & cum his perſonæ pectore tenus omnes, arenis & limoſæ terræ immerſæ ſunt. Saburræ hujus molem ex monte transmiſſam, tot ſeculorum tempeſtates hôc loco congeſſerat. Multa de figuris

&

& ſaxorum conditione loqui ſupervacaneum eſt, quia à prioribus non diſcrepant.

Structuras IX. & X.

vocamus cryptas duas, in petroſâ parte montis excavatas, frontiſpicioque decoratas magnifico. Prima harum meſaulas reſpicit, altera auſtrales ultra theatri fines remota, ruderibus campi opponitur. Sufficit poſtremam deſcripſiſſe, quia par eſt utriusque Structura & conditio. Enitimur trecentis paſſibus per marmorea fragmenta ædificiorum. Frontiſpicium ad modulum normamq́ factum eſt eorum, quæ in *Nakſji Ruſtaam* luſtravimus, (vide in priori Relatione Fig. IV. V. VI. & VII.) manu tamen non æquè plenâ & elaboratâ. Nam tota deficit ima compages, ſive areola, niſi fortaſſe obruta cæmentis lateat; altera igitur hîc primam conſtituit, ſed ea non amplius viginti quatuor paſſus in longitudine exhibet; margo quoque ambiens raſa & inanis eſt, ſatellite & quovis ornatu carens. In ceteris differentia levior, atque hæc eſt: Limen interius tetrapedali, adeoque largiori, profunditate patens, ſatellites non ſingulos, ſed geminos eodem loco exhibet; quorum qui in ſuperiori compage latus ſiniſtrum occupant, inermes ſunt, ſiniſtram manum præbentes ori, dextram extendentes demiſſam, in reverentiæ ſpeciem; reliqui omnes pari ſitu ſtant haſtati, haſtis paulo ultra cervicem prominentibus, quas utroque pugno comprehendunt. Sunt verò omnes humanæ magnitudinis, togis induti ultra ſuras fluentibus, pedibus nudi, capitibus, ne capilli appareant, coopertis, pileis quidem faſtigiatis & imâ parte circumdatis protuberante ingenti piloſâ fimbriâ; qualis etiam collum cingere videtur, niſi ſculptura luxuriantis barbæ fuerit. Margo horizontalis Structuram dividens, qui anguſtior & inanis eſt in *Naktſji Ruſtaam*, hîc ſupra propendentes pinnos exhibet ſeriem octo-

octodecim pardo-leonum, vel qualiumcunque belluarum, qui utrinque noveni, capitibus ſtant verſus medium, clunibus retro converſis, dentibus conſpicui exſertis longis, humeris verò ſive alatis, ſive ſignatis figurâ quadam, quæ literam S majuſculam quodammodo exprimit. Circulus Homaquilam ſive ornithanthropum referens, non eſt hîc ſquamoſus, ſed glaber ac ſimplici annulo ſimilis. Hæc de exteriori diſcrepantiâ. Per oſtiolum, inclinato corpore, ingreſſo halitus adſpiravit quodammodo ſulphureus, qualis ſolet in cupri fodinis. Spelunca eſt unius fornicis, paſſus longa quindecim, lata quatuor, alta pedes octo; latitudo continuis gaudet tribus cavitatibus, in intimum montem productis; quarum media ciſternam exhibet, aquâ plenam; exterior utraque ſaxum læve, longum, convexum, cum rupe reliquâ marmoreæ quodammodo ſubſtantiæ; an ſarcophagi operculum? non agnovi, quia partem inferiorem abſcondit uda & lutoſa humus, longo ſeculorum tractu congeſta. Ciſterna ſepto in longitudinem diſtincta, ſtillantem eo loco aquam limpidiſſimam excipit, quæ modò inutilis diffluit, olim per latentes cuniculos in ſtructuras palatiorum delata. At hoc pacto aliunde ſuppetias accepiſſe veriſimile eſt. De cryptis ſub baſi Iſtacherianâ latentibus, cum inde diſceſſeram, multa mihi narravit vel fabulatus eſt Europæus quidam, qui ſe, face accenſâ, eas pererraſſe affirmabat. Quod ſi adſunt; miror me præſentem nullibi offendiſſe aditum, nec de iis quicquam audiviſſe à Myrgaſcunenſibus. Eâdem fide ductorum unus refert de ſculpturis, unâ hinc paraſangâ, in orientali montis facie, inciſis, eiſque vicinis ruderibus domûs marmoreæ, quæ dicatur *matris Salomonis* fuiſſe mauſoleum. Quibus verò ob incertitudinem inſuper habitis, pergimus ad alia.

RELATIO VI.

Antiquitatis monumenta in campo *Sjubaſàr* novæ Perſepolis.

Templum matris Salomonis.

§. I.

Ex Merdeſtano antiquæ Perſepolis, tranſimus itinere unius diei in campum *Sjubaſàr*, hodierni emporii Perſidis شیراز *Sjiraas*, quædam etiam in eo ſpectaturi antiquitatis rudera. Campus duo oſtendit monimenta, planè ad typum Perſepolitanum facta, ejus tamen magnitudini, ſplendori & magnificentiæ nullo pacto comparanda: quorum primum, ruinæ ſunt marmoreæ, reliquiæ ædis, quam vocant مسجد مادر سليمان *Meſdſjéddi maderri Solymuun*, i. e. *Templum matris Salomonis;* alterum, Simulacra Ruſtamica, cauti inſculpta, quæ à loci genio appellantur برمه دلک *Bermèh delèk.* Ad hæc videnda, ex Sjiraſo urbe multo mane diſcedo, comite R. P. *Franciſco*, Carmelit., natione Hiſpano, viro egregio atq; docto. Equitamus per plana ſabuloſa, ſecus tractum montis *Kuhi tengi ſelm*, qui lævam claudebat; prætervectique tuguria quædam leproſorum, abſolutâ unicâ paraſangâ, contingimus deſiderata rudera *templi*, quod dicunt, *matris Salomonis.* Sita ea ſunt in colle, ante radicem imminentis jugi. Collis, ſive naturæ opus ſit, ſive ruderum collapſorum acervus, multa fovet veſtigia murorum, ſabulo cæmentisque obrutorum, ex quibus nec ordo conclavium, nec univerſæ ſtructuræ forma & magnitudo cognoſci poteſt: ſaltem in collis faſtigio, humus quadratis ſtrata lapidibus, & marmoreæ murorum prominentium reliquiæ, iisque inſiſtentes portæ ſuperſtites, definiunt limina unici conclavis; Cujus forma eſt quadrata, longitudinis



dinis & latitudinis quindecim paſſuum; non ad plagas mundi, ſed à borea-occidente in auſtro-orientem vergens, ut frontem campo exponeret. Marmorum fragmenta, remotis impedimentis, veſtigia exhibent inciſorum ſatellitum, quorum manus haſta armat, verticem ſupereminens; caput cæſarie ornatũ mitra operit; reliquum corpus togâ induitur talari, manicis laxioribus, perinde ut in hieroglyphicis campi Merdeſtani. Portæ adſunt non ampliùs tres, ex rubido marmore fabrefactæ, trium pene orgyjarum altitudinis: duæ invicem adverſæ, tertia in medio latere quod Cæciam ſpectat, & jugo montis opponitur. Superficies eorum exterior plana eſt & polita, nullum à tempeſtatibus vitium paſſa, omnique ſculpturâ carens; interior viros, (fortaſſe Magos) refert utrinque ſingulos, in baſi relevatâ, quam vocant, cælatos, humanâ formâ paulò majores; capite & facie paſſim, non invidiâ temporum, ſed malitioſi quondam Provinciæ Gubernatoris, vitiatis. Habitus eis laxus, ad talos demiſſus, fortaſſe ſacerdotalis, axillas ad manus usque tegente, ſive humerali brevi, ſive laxiori manicâ multis plicis conſpicuâ. Magorum ſitus is eſt, ut in portis ſingulis unus introrſum, alter foras vadere vel ſpectare videatur. In portâ verſùs borea-occidentem uterq; in omnibus invicem ſimilis, ſiniſtrâ gerit urnam, fortaſſe luſtralem, dextrâ elevatum thuribulum, lucernam, vel quid ſimile. In portâ oppoſitâ, is qui intro ſpectat, eâdem ſupellectili inſtructus; alter capite manibusque truncatus eſt. In portâ verſùs Cæciam, unus eandem lanienam paſſus erat, alter, intro converſus, ſiniſtrâ faſciam offert, dextrâ florem, fructum, vel quid ſimile. In Tabulâ eos ſeorſim ſtitimus, quò meliùs conſpicerentur. Latus cameræ verſùs auſtro-occidentem, quod campum reſpicit, loco portæ catinum exhibet lapideum, humo infixum, quaſi aquæ luſtralis receptaculũ, foramine donatum, per quod aqua affluxiſſe vel effluxiſſe potuit. Hunc limitem

tem

tem area excipit ejusdem amplitudinis quadrata, uno gradu depreſſior, ſed, ob effoſſos lapides, non ſatis diſtincta. Terminum monti oppoſitum excepiſſe videtur conclave ſubterraneum quadratum, ſed cujus fornix collapſus cavitatem repleverat, ſaxis longo ſeculorum tractu ad peregrina opera avectis. Centenis hinc paſſibus antiquiſſimi Caſtelli baſin exprimunt rudera duplicis propugnaculi, ex rudi ſaxo. Appellatur locus ex fonticulo illic ſaliente *Abi murguun*. Hæc de templo.

§. II.

Mille paſſus inde progreſſis comparuit ad dextram clivus ſaxeus; in cujus ſinu ſalit fonticulus, ſepto circumdatus, criſtallo clarior, in parvum ſtagnum ſe effundens, ſalice, fraxino & ſylveſtri ficu conveſtitum. Vocatur fons خدر زنده *Chedr ſindeh*, i. e. *caſtrati viventis*, puta Prophetæ *Eliæ*, qui hoc loco commoratus, eum prolexiſſe juſſu & virtute ſuâ creditur. *Eliam* appellant *caſtratum*, quòd uxorem non agnoverit; *viventem*, quòd non ſit mortuus. Teſtantur inſita rupi veſtigia, hîc quondam extitiſſe domicilium, fortaſſe cuſtodis tam ſacri fontis: cujus modò inſpectorem ſe gloriabatur opilio gregis, non procul inde palantis. Memorandum ſanè monimentum; ſi traditio vera ſit! Aſt, ſuſpectam reddit pluralitas locorum paſſim occurrentium, in quibus Propheta diverſatus, vel poſt aſſumptionem apparuiſſe traditur. Vocatur ejusmodi locus, قدم گاه *Khadem gah*, i. e. *locus veſtigiorum*, & plerumq; donatur uno pluribusve fonticulis prodigioſè ſalientibus; Qualem exhibent: mons Sjiraſo imminens, prope ſepulturam *Sjeich Saadi;* portus *Bander riik* ad Sinum Perſicum; inſula urbi Baſræ vicina, inde *Djjeſireh chedr*, i. e. *inſula caſtrati* dicta; & in *Mediâ* mons *Barmach*, prope mare Caſpium. Prædictorum omnium locus hic poſtremò dictus maximè ſpectabilis

Propheta S. Eliæ veſtigia.

eſt: quippe in editiſſimo cacumine rupes exſerens perpendiculariter ſurrectas & præaltas; quarum apices naturæ prodigio aquam fundunt, quam Propheta hîc in ſublimi ſolitudine, quaſi in mundi ſpeculâ, demoratus, infixâ haſtâ, cum ſitiret, prolexiſſe creditur. Meretur ſtupenda montis conditio, cujus hiſtoriam ex Hodœporico meo huc verbotenus tranſcribam; prætermiſſis ſaltem, quæ non ſunt hujus loci.

Mons Barmach. Mons ex figurâ digitorum, quos pro cynoſurâ navigantibus exhibet, Turcicâ, hîc populari, linguâ appellatur *Barmach*. Eſt ille Caucaſii jugi, quà mare reſpicit, uti altiſſimus, ita littori hîc maximè vicinus, citra diſtantiam dimidiæ *agaatſj*, ſeu paraſangæ: Unde priſca Medorum gens commoditati ſerviens, regionem hoc loco muniverat; productis à jugi radice ad littus maris duobus muris, ad trecentorum paſſuum intercapedinem, quæ civitatem (exemplo Derbenti) concluſiſſe potuit, vel in bello refugium præbuiſſe ruricolis; nam ante unam paraſangam pariter murus ex ſummi montis apice per vagos valles ad mare demiſſus, Elyſiam hanc Mediæ planitiem intercluſerat, ſed modò dirutus ceſpiteq; humatus. Mons ex cautibus & terrâ limoſâ conſtans, ad radicem iter facientibus præbet xenodochium; ex quo cum ſociis progreſſus, eques diu aſcendo, donec abrupti colles ungulas ampliùs non reciperent; unde dimiſſo equo, reliquum viæ pedes occipio, inde à diverſorio eluctatus duarũ horarum impendio. Faſtigium à trecentis paſſibus porta anticipat, præaltum bajulans & magnificum, ex quadrato lapide, propugnaculum, decumano labore rupis præruptæ dorſo affixum, ex quo aditus defendi, & arceri hoſtis potuit. Inde per anfractus pergenti, ad lævam ſe produnt hypogea quædam, ex cæſo coctoque latere, olim, quod videtur, præſidiarii militis, nunc lacertarum & ſolitudinis hoſpitia. Faſtigium dirutæ arcis aream exhibet planam, quadratam,


Faſtigium montis
Barmach.

tam, æquilateram, ferè ducentorum paſſuum: cujus tria latera muris & propugnaculis incumbunt ex quadrato ſaxo; quartum rupe clauditur editâ, albicante, in ramos quaſi divulſa; quorum duo exteriores cylindracei & inacceſſi, procul diſtantibus ſimulacra extenſorum digitorum referunt: tertius iis intermedius, qui paulò brevior, latior & informis eſt, inſignem in cacumine diviſionem & in eâ S. Prophetæ manſionem exhibet. In hanc ſolùm aſcenſus patet, ſed præceps & difficilis per 92. gradus arte factos, exiguos & fere dilapſos; quos crebra intercipiunt ſpatia, ſine graduum adminiculo rimanda. Statio hîc datur paucorum hominum capax, terribilis, nec tuta ſatis, niſi in diviſionis crenâ; per quam, ſuperatis gradibus, ad Eliæ ſedem pergimus. Memorabilia hîc ſpectantur (1) crypta ſ. ſpelunca rupem pervadens, obſcura, anguſta, vix orgyiam alta, Prophetæ, quod perhibent, hoſpitium. (2) duo rupis articuli; *hinc major* ante ſpeluncam; areolam, inſtar meniani, ſuſtinens quadratam, ex cæſo lapide, in quâ ſanctus aliquis anonymus ſub Eliæ protectione oſſa ſua condi curaverat; ſepulchro unicâ lampade, & multis impendentibus cervorum cornibus, arcuumque militarium icunculis ornato: *Illinc* ex adverſâ parte, *minor* & inacceſſus; Granatum alens pulcherrimam, ſitu prodigioſo, & ſine horrore vel admiratione vix intuendo. (3) Stillicidia quædam ex ſolido ſaxo promanantis lymphæ gelidæ & limpidiſſimæ: primum in apice rupis cylindraceæ inacceſſæ, quà aſcendentis dextram reſpicit. Scatet ea ex transverſo foramine ſpithamali, velut haſtæ impreſſæ veſtigio, guttulis ſubinde rarioribus, quæ ex alto caſu diſperguntur, (oportuit infligendo vulneri adhibita fuiſſe lancea inſolitæ magnitudinis & decempedâ duplo longior, cùm brevior non pertingat.) Alterum ad lævam in rupeculâ, cujus crenam pervadimus ad cryptam & ſepulchrum: cujus verò liquoris, exſudan-

Memorabilia montis.

ſudantis magis quàm ſtillantis, collectio negligitur. Tertium in ipſâ ſpeluncâ, quà hiat verſus podium ſepulchrale; cujus aqua, ditiori venâ prodiens, puteolo excipitur, in uſum ſitientium. Quæ vis aquam in hos propellat apices, circumſitis montibus celſiores, diſquirent alii: ego, ſoluto pauperibus nummo, quem ſepulchri cuſtos poſtulat, ad xenodochium remeo. Solum hic olim fuiſſe habitatum & cultum, nec dum ſterile eſſe, teſtatur Morus celſa frequens, in aſcenſu obvia, montis oppoſiti vinea & pagus, haud procul ab arce, in valle montanâ, conſpicuus.

§. III.

Bermeh delèk, ſive Simulacra Ruſtamica.

Paſſus mille, vel ultra, provectis, meta comparuit noſtri excurſûs, in angulo petroſi montis. Hic ſimulacra exhibet Ruſtamica, abrupto parieti, quà Cæciam reſpicit, inſculpta, ad illorum, quæ in Merdeſtano vidimus, ſimilitudinem; ſed vetuſtate magis exeſa, tum facta etiam rudiori manu, vel minori induſtriâ. Angulus lapidoſus eſt, ex denſâ Ficu opacus, plurimis ſcatens fonticulis ibidem ſtagnantis aquæ limpidiſſimæ, quæ ad baſin pede ſicco accedere non permittit. Ipſe paries rudis & impolitus eſt, arborum ramis coopertus, ab imbribus & vetuſtate ſqualidus, herbas hinc inde alens in fiſſuris & ambitu, quas capræ, per montis ſalebras & declivia palantes, depaſcebant. Sculpturarum duplex eſt ſcena, tribus à terrâ orgyjis elevata, ab invicem paſſibus totidem disjuncta. Prior, quaſi in raſâ tabulâ, exponit virum, quem appellabant *Ruſtamum*, & fœminam, quam vocabant *Reginam*, invicem adverſos & velut colloquentes. *Ille*, ſtaturâ corporis humanâ paulò major, caput habet galeatum, cæſarie barbâque brevi; collum torque cingitur admodum laxo, unionum ſerie decorato; pectus & venter exeſa ſunt, ne habitus agnoſcatur; femora & crura velantur paludamento, ad talos demiſſo & multis plicis

 fluctu-



fluctuante. Hæc, venuſta humanæ ſtaturæ fœmina, fronte redimiculâ, occipite cincinnis, collo monili, multis quaſi unionibus bullato, ornata eſt; Pectus valde exeſum, thorace, ut apparet, induitur brevi, anguſto, infernè laciniato; femur ni fallor, ſupparus, & varii fluctuantesque pepli operiunt. Ille ſiniſtram pectori imponens, dextrâ florem offert Reginæ; hæc ſimili geſtu florem ſiniſtrâ accipiens, dextrâ reddit fructum pomo vel pyro ſimilem. Altera ſcena in impolito pariete duos exhibet heroas, ſive Reges, quorum prior *Ruſtamus* dictus, ſtaturâ corporis donatur ſeſquiorgyiam longâ, toroſâ ac pene giganteâ; caput mitrâ tegitur, in ingentem bullam ſupra verticem expanſâ; cæſaries criſpa eſt & retro flexa, barba brevis, vetuſtate exeſâ; venter togâ talari tegitur, in femore conſtrictâ, per crura decorè plicatâ & fluctuante. Poſterior, ſtaturâ minor, eundem exhibet corporis habitum, ſed magis exeſum; capitis tegmine non turgente ultra mitræ formam. Hic dextrâ annulum oſtendit digitis comprehenſum; in quem prior indicem intendit; uterque ſiniſtrâ claudit manubrium, fuſtis neſcio an frameæ, longæ, rectæ & in terram usque demiſſæ, ſed per vetuſtatem eroſæ, ne, quale armorum genus ſit, agnoſcatur. Si annulus ille fuerit pronubus, miror magnitudinem; nil dubitaturus, quin figuræ hiſtoriam deſponſationis notent. Vocatur locus *Bermeh delèk* à conditione ſuâ: *bermeh* enim ſignificat confluxum ſtagnantis aquæ fontanæ; *delèk* rupturam montis, quæ hic inciſas refert imagines.

§. IV.

Plura Regio operum antiquiſſimorum rudera paſſim exhibet; quorum placet pro colophone recenſere nomina locorum: ut habeat viator per has partes migraturus, quæ ulteriùs poſſit in Reip. literariæ uſum expingere: nonnihil enim momenti conferent ad illuſtrandam hiſto- *Antiquitatis monumenta paſſim obvia.*

Zz 2 riam

riam antiquitatis. Duplex invenio genus ruderum: Primum eorum, quibus antiquitus Dynaſtæ ſecuritati ſuæ proſpexerant; qualia ſunt cryptæ Gabricæ, à naturâ & arte factæ, deſolata montium celſiſſimorum caſtella, & clauſtra vallium, anguſtis faucibus, quandoque & portis olim ferreis munita: tum verò eorum, quibus bellicoſa antiquitas præclarè geſta ſua oſtentavit ac memoriæ poſteritatis tradidit. Ex priori genere plurima non modò in Perſide, ſed in univerſitate imperii paſſim occurrunt. Nec enim vallem peragraveris, quæ non, in adſiti montis cacumine, veſtigium quoddam munimenti præbeat; nonnunquam ſociati hypogeis & inexplicabilium cuniculorum anfractibus: quale Sjiraſô Ormuſium proficiſcenti, paulò extra viam, omnium celeberrimum objicit mons prope pagum *Tadewaan*. Poſteriori & maximè notabili genere ſola ſuperbit Perſis antiqua & propriè ſic dicta; quaſi hæc maximorum Principum ac heroum mater, præclara omnia, ac digna poſteritatis memoriæ facinora, in ſuo ambitu geri ac patrari voluerit. Ex his, uti Perſepolitana ſunt celebriora, ac ceteris omnibus magnificentiâ atque dignitate præferenda; ita nec poſtrema, ſed ſimulacris Merdeſtani montis comparanda ſunt, quæ exhibet كوه شاه پور *Kuhi Sjah puur*, i. e. *mons Regis Saporis*, Sjiraſo verſus *Bander riik* contendenti à paraſangis 24. (ab oppido *Kaſeruun* quatuor) non procul à viâ obvius, in campo pinguis glebæ, fontibus, arboribus, paſcuis & pagis ad voluptatem ditato. Mons duas exhibet rupes excelſas, abruptas, interjecto duplici magnorum fontium ſcaturigine invicem oppoſitas: quæ armatum exercitum, ſummo artificio & labore exſculptum, aliaque obſoletæ antiquitatis apocrypha utrinque ſiſtunt; planè ad nitorem Perſepolitanorum. Nomen obtinent à Rege *Sjah puur*, quem hoc loco cum hoſte (vulgus ait cum *Alexandro*)

dro) conflixiſſe, incertâ fide traditur. Inde quinque paraſangis mons بهرام شاه *Sjah Bahraam*, ſeu *Regis Bahruum*, fortitudine & jaculandi arte celebris, figuras quoque non paucas exhibet, pari artificio exciſas; indices cladis, quam Rex ibidem hoſtibus inflixiſſe dicitur. Monti vicini ſunt thermæ ſulphureæ, *abi Gerrò* dictæ, quibus ſaxum adjacet quadratum decem ulnarum longitudinis, quod eodem Regis nomine appellatur *Hahmaam Sjah Behraam*, i. e. balneum Regis *Bahruum*. Totidem leucas progredientibus occurrunt rudera سفيد قلعه *Khalai Sefiid*, i. e. *arcis albæ*, à سفيد ديو *Dive Sefiid*, illuſtri apud Perſas cacodæmone, extructæ, multisque gigantomachiæ fabulis inclytæ: cujus ad rupem ſimulacrum pugnantis, quod ajunt, Darii, aliorumque ruderum apparatus in faſtigio montis conſpicitur. Nec prætereundæ ſunt figuræ rupium bellicæ; ſedecim paraſangis Sjiraſô in anguſtiis montium زنجيران تنگي *Tengi Sindſjiruun* conſpicuæ. Eas contingimus deflectendo in viâ Ormuſiâ mox à *pylli Feſſà* vel *Peſſà*, vel ut alii vocant, *pylli Fars*, i. e. ponte Perſidis verſùs dextram, quà in Suſianam tenditur. Hunc pontem, qui Sjiraſo tribus paraſangis diſtat, conjicio reliquias eſſe urbis, quam *Qu. Curtius Paſagardum* vocat, à *Cyro* conditam, cujus interitus *Sjiraſo* incrementum dediſſe potuit: fauces verò *Sindſjiruun* ipſas eſſe *Suſias pylas*, quas pervadere ad interiorem Perſidem fruſtra tentaverat Alexander, demum per invia montium deductus à paſtore; referente *Curtio* Lib. V. Urbium quoque *Firuſabaad* & *Daraab* vicini montes Sculpturis Ruſtamicis, quas vocant, ſuperbire dicuntur: ut ceteras omittam obſcurioris famæ, vel ex fato mollioris ſaxi, nimium obſoletas.

RELATIO VII.

Sjeich Chodſja Hafès & *Sjeich Saädi Sjiraſi*, illuſtrium Perſiæ Poëtarum, Sepulturæ.

Laus Sjiraſi urbis.

§ I.

Sjiraſum, quod hodie *Sjehhri Fars*, i. e. *Urbs Perſidis*, velut, abolitâ veteri, nova Perſepolis appellatur, civitas eſt inclyta & auſpicati nominis: in cujus felicitatem annona rerum, auræ cœliq; temperies, indoles manſueta civium, & quæcunque deſiderari poſſent conditiones, jugiter conſpirant. Situm ſupra fidem ſortita eſt venuſtum; hinc campum reſpiciens planum & apertum, illinc falcato vaſtiſſimorum montium ſinu circumdata. Campus agris, pagis & paſcuis dives, paraſangis ferè duabus in latitudinem, tribus in longitudinem extenditur, continuis montibus undiquaq; cinctus, & ad Vulturnum in lacum terminans ſex paraſangarum, ſi circumiri poſſet, ambitûs; qui ſal copioſum, ſolari radio coctum, cuivis ſine pretio hauriendum exhibet. Montium accumbens tractus multis lacunis, faſtigiis & articulis interrumpitur, hinc inde læto germinans ceſpite, majori parte ſterilis atque nuda. Multa verò inveſtigatoribus viſenda objicit, non modò antiqua monumenta artis, variis commentis illuſtria, verùm etiam naſcentes inſolito naturæ beneficio fontes, copioſi & limpidiſſimi liquoris: quem per rupium hiatus & graminoſas declivitates præcipitem viridaria, horti & cupreſſeta urbis magno ſui commodo excipiunt, pro irrigandis areolis diſtribuunt, & in lacuſculos, vivaria artificioſèque ſalientes fonticulos convertunt. Hortorum magnus urbem amplexatur numerus: nullibi proniori aurâ, uberiori lymphâ, lætiori Florâ beatos in toto me vidiſſe regno memini. Ex Cupreſſis verò maximus

mus hortis & urbi decor eſt & magnificentia; telluris genio earum vigori ſingulariter favente. Denſiſſimis enim conſitæ ordinibus ubique ad jactûs ſclopi altitudinem æquali citoque incremento exſurgunt, ſervatâ rectiſſimi ſtemmatis, comæque intra turbinatam legem pertinaci decore. Audeo affirmare, nusquam terrarum exſtare, vel tantam uno loco Cupreſſorum multitudinem, vel tam alto faſtigio, tam læto & concordi elegantiâ luxuriantium. Unicum illud ſuburbium, quod laudatiſſimus quondam Gubernator & Princeps *Imam Culi chaan* in tractu terræ *Muſalla* dicto, ad ideam *Tſjarbachi Isphahanenſis* condidit, & ab aſperrimi montis hiatu, per quem urbem ingredimur, ad usque baſilicam *Sjah Myr Hamſeh* produxit, luculentum laudatæ pulchritudinis argumentum objicit advenis viatoribus: qui per ſabuloſas ſolitudines toto die luctati, dum inopinato Elyſium hunc portum conſpiciunt, non poſſunt quin verbis & votis in τὸ *Allah ekber*, i. e. ſit laus Deo! erumpant. Ex quo etiam hæ fauces *Tengi allah ekber*, id eſt, pylarum laudis Dei, nomen ſortitæ ſunt. In harum conſtituti portâ, magnificâ & ad ſolam pompam extructâ, urbis nullibi clauſæ, nullibi munitionibus ſeptæ, omnem uno ictu terræ *Muſallà*, & penè totius urbis Majeſtatem capimus, ſtrepentes per mediam viæ Regiæ longitudinem aquarum criſtallos, hinc inde ciſternis interceptos, hinc inde vario luſu & arte tripudiantes audimus; tot deſuper intuemur Cupreſſorum denſas ſeries, cum ad viæ latera, tum per viridariorum margines conſitas, quæ velut haſtatas ſatellitum copias, & neſcio qualem ineffabilis magnificentiæ ſpeciem imaginationi noſtræ objiciunt; adſpectu, quo nullum elegantiorem, collatis in unum ſtudiis, ars & natura poſſunt efficere. Laudat hinc vena Perſica Sjiraſum, & imperii ocellum, delicium ſuum & paradiſum vocat: in quem Dii ipſi ſedem fixuri ſint, ſi ſe ad cohabitandum mortalibus demiſſu-


miſſuri in terras fuerint. Hæ urbis deliciæ, ab omni ævo, quo floruit, doctorum tranquillos animos pellexêre, ut ſuas Muſas in eâ locaverint Theologi, Philoſophi & Poëtæ præſtantiſſimi. Ex quo etiam civitas laudem meruit, ut in libris & diplomatis دار العلم *Dari ilm*, id eſt, habitatio ſcientiæ appellari, & totius imperii Academia prædicari ſoleat. Teſtatur id multa ſeges ſepulchralium, quæ virorum ex omni ævo doctiſſimorum exuvias condunt; mille & unum recenſet auctor Libri, qui inſcribitur هزار و يك مزار *Haſaar we jek meſaar*, i. e. *mille & unum meſaulea*: quorum in numero ſunt شيخ خواجه حافظ *Sjeich Chodſja Hafès* & شيخ سعدي شيرازي *Sjeich Saädi Sjiraſì*, duo Poëtarum ac Philoſophorum præſtantiſſima, dum viverent, lumina, ſcriptisque ſuis etiam apud exteros inclyta. Horum ſepulchra brevi viſitatione venerabimur.

Poëtæ Chodſja Hafès laus & ſepultura.

§. II.

Godſja Hafès, moralium in ligatâ ſcriptor venuſtiſſimus, ſed perquam difficilis eſt, qui ſaltem intelligi à doctis, nec ab his legi, niſi cum admiratione poteſt. Stylus conciſus eſt & gravis, periodi ſententiarum momenta ſunt, verba ingenio & acumine referta, connexio facilis atque elegans, ut, qui voculam mutat vel demit, acumini, elegantiæ, facilitati plagam inferat inemendabilem. Divino igitur ſpiritu ejus poëmata exarata ac myſterii plena creduntur; ex quibus ſuperſtitioſa gens eventus rerum dubiarum & conſilia agendorum, præmiſſis ad Deum ſuſpiriis, ſciſcitatur, pro oraculo excipiens periodum, in quam evoluto libro fortunà incidit, ex ejus affirmatione vel negatione agendæ vel omittendæ rei conſilium repetens. Poëta igitur merito jure Orientis appellatur doctiſſimus, ipſiq; *Homero* eruditione ac gravitate venæ comparandus; eo tamen fortunis ſuperior ac longè felicior: quòd

quòd tranquillam ſuis Muſis ſedem in ſinu patrii emporii, & in ejus fundo ſuburbano *Muſellì*, vel,ut vulgò pronunciant, *Muſallà*, requiem exuviis ſuis invenerit; non ex precario *Jênſium* ærario, ſed ex propriis divitiis ſplendidè tumulatus. Cæmeterium ejus quadratum eſt & ſpatioſum, rarâ Populo umbroſum; introitum utrinq; leo ornat ex ſaxo fictus; murus lateritius affabrè factus eſt, venuſtatis partem capiens ex Cupreſſo ambientis horti. Solum lapidibus & diviti ſepulchralium ſegete ſternitur, eorum, qui ſub vatis præſidio hîc tumulari deſideraverant. Unâ donatur ciſternâ, religioſæ ablutioni dicatâ, quæ aquam per cuniculum recipit. Intranti ex vicino horto,qui ſepulturæ legatus eſt, cuſtos (*a*) mox occurrit, qui deducat in ſepul-



chri areolam. Hæc in quadratum cancellis cincta, præter vatis noſtri, tres tumbas claudit, unam Principis ſecularis,

reliquas duas illuſtrium theologorum, ejuſdem vatis, dum viverent, diſcipulorum. Sedet hîc in cavædio prælector, (*b*) Mola vel ſtudioſus, & ex *Corano*, ſuper quatuor defunctos, unâ opera verba recitat: quem penſo defunctum excipit alter atq; tertius, in ſubdiali requietorio (*c*), vel in conclavi vicino vices ſuas expectantes. Sepulchra in unam locata ſunt ſeriem, parvo admodum ſpatio disjuncta: primum eſt *Myrſæ*, ſive prædicti Principis, alterum *Poëtæ noſtri*, tertium & quartum theologorum *Alì Sjiraſì* & *Sahad Dekèh*. Eadem his omnibus forma eſt (*d*), ſtructura ex cæſo lapide obſoleto & impolito, magnitudo ad ſarcophagi capacitatem expanſa, utrinq; terminata ſaxo orgyiam alto. Latus utrumque cum imo margine verſus Corani exhibet, atro charactere inſculptos. Saxa ad pedes conſita exteriori facie ſingulorum encomia exponunt turgido, eleganti & ingenioſo epigrammate. Ego, ceteris omiſſis, epigraphen noſtri ſaltem vatis exhibeo, ſed quæ Latio donata ſuam amittit gratiam. Ultimus verſus annum, quo obiit, in terrâ cæmeteri quærendum jubet: quia collectæ vocum numerales literæ, ſecundum *Hiſaäb heſorg*, ſive numerum majorem, dictum, reddunt annum Hedſjiræ 791, qui eſt à nato Chriſto 1340.

تاريخ خواجه حافظ

چراغ اهل معني خواجه حافظ
كه شمعي بود از نور تجلّي
چو در خاك مصلي ساخت منزل
بجو تاريخش از خاك مصلّي

Tariich Chodſjeh Hafès.

Tſjiraach èhheli maäni Chodſjeh Hafès,
Keh ſjemmaï buud es nuri tedſalì
Tſje der chaaki Muſellì ſaacht menſìl
Bidſju tarichſj es chaaki Muſellì.

Elo-

Elogium & æra Chodſja Hafès.

Lampas ſcientiæ ſolida Chodſjeh Hafès eſt,
Cujus candela lucet ex ſplendore divino.
Quoniam in terrâ MUSELLI *iter finivit:*
Quære æram ejus ex terrâ MUSELLI.

§. III.

Poëtæ *Saâdi* laus & ſepultura.

Poëtarum alter eſt *Sjeich Saädì*, *Sjiraſì*, id eſt, Doctor *Saädi*, natione Sjiraſenſis, cujus hiſtoriæ, plenæ apophthegmatis, ſtyloque facili & eleganti conſcriptæ, manibus hîc teruntur omnium, qui literas norunt; pars etiam *Guliſtaan*, ſeu *Roſetum*, in noſtras linguas translata, à Germanis & Gallis legitur. Floruit ſeculo ære Mahhammedanæ ſexcenteſimo, Chriſtianæ duodecimo; educatus in aulâ *Abubekr* Regis *Damaſco*, & in aulis Turcicis diu verſatus eſt; vidit Ægyptum & Italiam; linguarum orientalium apprimè fuit doctus; calluiſſe etiam latinam dicitur, & Senecæ opuſcula ſedulò pervolviſſe. Vitæ demum aulicæ & peregrinationum pertæſus revertit ad Lares civitatis patriæ, in quâ ille longâ & tranquillâ ſenectute defunctus, centenario major obiit. Nactus eſt ſepulturam longè extra *Muſallà*, ſub eâ montium parte, quæ notatur veſtigiis S. Eliæ, & ab his nomen nacta eſt *Kuhi Kadèm Chedr*, id eſt, mons veſtigiorum Prophetæ. Tria hîc ſpectantur inſignita Poëtæ nomine: videlicet Hortus, domus ſepulturæ, & fons. Hortus ſabuloſi fundi, omnique cultu deſtitutus & neglectus, nihil quod prædicare poſſim, calamo ſubſtituit. Domus intra horti pomœria conſitus à communi mauſoleorum formâ & magnitudine non recedit; cubica eſt, circiter decem paſſuum quadratorum, unico fornice cooperta, ſtructuræ lateritiæ; introitu in cavædium (*eiwaan*) expanſo; faſtigio trium fornicum ſerie exornato, in ſpeciem ſuperioris contignationis. Intus nihil ſpectatur, præter lapideæ ſtructuræ tum-

bam, omni ornatu cuſtode & lectore orbatam, nudosque parietes ex flammâ lampadum, quæ olim honori vatis arſerant, ſqualidos & obſcuros. Totum mauſoleum vetuſtate deturpatum, ad ruinam graviter inclinat. Fons extra hortum ſpectabilis ædiculâ tegitur ſuperbi operis, non in eâ ſcaturiens, ſed per terræ cuniculum placido raptu devolutus, &, terrâ in parvi putei formam effoſſâ, conſpicuus. Oritur ex petroſo ſinu vicini montis, & ſubterranei ductûs tractum emenſus, in telluris ſuperficiem effunditur. Ædicula ex quadrato lapide, nitido & polito, fabricata, formam habet octogonam; ſingula latera trium paſſuum latitudinem referunt, alternè vel patula, vel fornice (qualem Galli *niche* vocant) ad ornatum clauſa. Superliminaria inſcriptionibus decorata ſunt, ſed tempeſtate paſſim exeſis & mutilis. Intus per lapideos gradus, ad formam ædium circumductos, omnino quatuor & viginti deſcenditur ad ſuperficiem fontis: qui tres pedes in profunditate, plures in latitudine exhibens, ſummâ claritate & intenſo algore ſuo mirè ſe commendat. Primarium quod hîc oblectat, piſciculi ſunt, à frequenti hoſpite, datis eduliis, pene cicurati: nam injectis granis, actutum ex latebris proſiliunt in conſpectum, prædâque certatim abreptâ ad cuniculos victores refugiunt; mox præſto iterum hoſpitum obſervant manus, & liberalitatem expectant. Piſciculis ſuperſtitio venerationem ex ſanctitate vatis tribuit; inde eos capere, turbare vel quovis modo offendere nefas eſt. Vivarium totâ Perſiâ famoſum eſt, & hoſpitibus, urbis memorabilia viſuris, primo loco oſtenditur. Hæc de monumentis Poëtæ *Saädi.*

Scripta utriusq; laudati auctoris tantâ in æſtimatione ſunt, ut bonum virum negent, qui non legerit, vel reconditam in iis ſapientiam & vitæ regulas non veneretur. Invenies illa in collegiis & ſcholis, in palatiis & caſis, in officinis & tabernis. Non ſatis admirabêre, quantâ cum animi

mi delectatione otioſum vulgus in foris & officinis ſuis, quin in ipſis Cofeæ popinis (quæ noſtris tabernis cereviſiariis & vinariis reſpondent) ſcripta hæc lectitent, & ex iis ingenii nectar capiat: dum conſidentium is, qui libro inſtructus eſt, epiphonema attentis ſociis prælegit, mox librum claudit, ut meditandi ſilentium indulgeat; tum lectionem iterat, interpoſitâ ſubinde ad meditandum morâ, donec interveniat, quod lectionem interrumpat, vel diſſolvat conſeſſum.

RELATIO VIII.

Oenopoeia Sjiraſenſis.

§. I.

Roſa Sjiraſenſis.

Spectatis antiquitatibus, Perſepolim relinquerem, niſi etiam inclyta loci Ceres, adeo dives atque proma, calamum adhuc invitaret. Ex floribus *Roſam*, ex fructibus *Uvam*, illam hortorum delicium, hanc vitam atque animam eſſe, nemo ignorat. Utramque loci genius progenerat uberrimam; non æquè tamen intra urbis pomœria, quàm in propinquo & urbanæ ditionis pago *Keſſeri Deſjt*, vel ut vulgo vocatur, *Meſcídi Berdì*, geminâ paraſangâ verſùs borea-occidentem (N.W) ad montium radicem poſito; ſimul ac in toto, qui ab urbe ad pagum vergit, clivoſo tractu, civium ac ruſticorum vinetis undique conſerto: cujus loci felicitati ſi fortaſſis quiſquam alius comparari, vel ſitu jucundo, vel ſoli felicitate poſſit; utriusque tamen tum roſæ, tum uvæ præſtantiâ & ubere proventu, nullus in orbe poteſt. Roſam uti Perſia ex omnibus mundi partibus maximè copioſam ac ſuavè olentem gignit, ita *Sjiraſum* ejusve pagus prælaudatus, præ ceteris Perſiæ provinciis, fert copioſiſſimam ac fragrantiſſimam: cujus aqua deſtillata per omnem Indiam, atque ipſius quoque Perſiæ provincias laborioſè divehitur, (vi-

tris in Figurâ notatis literâ *e*) Hæc in conviviis quibuscunque & conventibus amicorum ad luxum expetitur. Nam cum cinamomo & ſaccharo candido cocta, alternè cum *Kahwà* ſorbillanda propinatur; eâdemq; accedentes hoſpites, velut in grati adventûs ſymbolum, aſperguntur: quæ ipſa etiam aſperſio ad menſæ ſecundæ expoſitionem iterari ſolet: niſi potiùs eam celebrare placeat cum *Aráchi ſidnèh*, ſive aquâ ex floribus Jaſmini albi, Vitis, Aurantiorum, Liliorum & Oleæ Bohemicæ parata; ſive etiam cum *Aráchi Büdmìsk*, quæ ex Salicis Moſcatæ julis, cœleſtem prope odorem ſpirantibus, hîc loci copioſa elicitur. Odoris roſaceæ ſuavitatem raſura ligni Santali auget, quam alii roſis deſtillandis addunt. Ex multo igitur uſu, apud gentes abſtemias, aqua hæc ſuperat vini pretium; ipſæque roſæ ſat carè veneunt, nimirum unum *man kohoneh*, non minùs uno, ut plurimùm duobus *Mahmudì*, i. e. dimidio imperiali. Singulare id habet Sjiraſenſis Roſa, ut in deſtillatione fundat pinguedinem butyro ſimilem, quam *Ættr gyl* vocant. Oleum hoc auro contra carius eſt; cum nullius rei odor perinde gratus ac ſuavis ſit. Ex quo pronum eſt judicare, roſam Floræ Perſepolitanæ calidioris naturæ eſſe. Nomen Roſa proprium non habet apud Perſas, niſi generis گل id eſt, *Floris*, quo ob excellentiam indigitatur.

§. II.

Vitium ſpecies, ſeu varietates.

Vitis verò, quam prædicamus, non hîc, velut in Hyrcaniâ (*Gilaan*) ſuæ naturæ relinquitur, ut per terram & arborum faſtigia ſe diffundat, neque in pergulas aliaque opera topiaria flectitur, ut ſaltem oculis ſerviat, ſed omnis curta, i. e. pedata vel proſtrata, & ad fructus ferendos accommodata eſt. Ejus ſpecies hôc ſolo coluntur variæ, diſtinctæ ratione fructuum, ſive uvarum: quarum aliæ ad effuſionem, uti loquuntur, ſive ad vinum fundendum

dum expetuntur; aliæ ſunt eſcariæ, ſive eſui ſaltem dicatæ. Prioris generis ſunt: *Angúri Kiſmiſj* vel *Kiſmiſì:* quæ uvæ ſunt albæ (*anguur* enim uvam ſinificat) acinis minoribus, non modò ad effuſionem, ſed non minùs ad eſcam, ut exſiccentur, delectæ. Exſiccatæ in umbrâ, exponuntur inter obſonia menſæ ſecundæ; inſolando arefactæ immiſcentur coquendæ oryzæ; (*polò*) acidulæ enim ſunt, & paſſularum Corinthiacarum vices præſtant egregiè. Vitis ejus hîc copioſa colitur, æquè ac in Perſiâ auſtrali. *Anguur Aſjì;* uvæ ſunt nigræ, ſive atro purpureæ, acinis carnoſis, ex quibus vinum exprimitur valdè rubicundum, ſaporis adſtringentis & præſtantiſſimum, verùm paucum, adeoque pretioſum, quod comparare audeam vino Gallico *d' eremitage.* Stirpes ſatis hîc frequentes germinant. Vino communiſſimo, quod majori copiâ elaboratur, & hinc paſſim avehitur, quinque uvarum ſpecies ſerviunt, eidem calcatorio unâ operâ ingerendæ. Earum quatuor albæ, ſive fulvæ, ſunt: *Beſj, Gaj kauk, Muſcalì* & *Kalatì* dictæ; quinta *Samarcandì* extrinſecus nigricat, ſucco interiori ſanguineo. Poſtrema hæc vino colorem tribuit ſubrubicundum; ſaturatiorem datura, ſi majori copiâ admiſceas. Nomen ſortita eſt à metropoli Usbeciæ, unde ſtirpes primùm delatæ fuerant. Hæ quinque ſtirpes præ ceteris hîc coluntur, & ex cœli genio luxuriant. Vinum impertiuntur, quod Majeſtatis menſam decorat, ac virtutis famâ omnem implet Aſiam. Eſculentæ & ad expreſſionem rariùs expetitæ ſunt, quæ vel ſuccum fundunt aquoſum & ignobilem, vel pauciſſimum & citra operæ pretium. Sunt ex his duæ ſpecies præcoces, quas Junius menſis parturit: una *anguur Sjahonì*, quæ purpurea, altera *anguur Attabekì*, quæ alba eſt. *Sahebì* rubellæ ſunt, racemis longiuſculis, ſaporis delicati, uvis *Kiſmiſj* & *Aſjì* præſtantiâ & æſtimatione æquales. *Riſji baba*, i. e. barba ſenum, à mirâ racemorum longitudine dicta,

ćta, quam duarum ferè ſpithamarum exhibent; albæ ſunt & pauci humoris, proinde potiſſimùm eſui dicatæ. *Fajekh* prioribus haud multum diſſimiles ſunt, ſed ſucci paucioris, proinde torculari nunquam ſubjiciendæ. *Mader betſjèh*, i. e. mater cum liberis: albæ ſunt, ex acinis mixtæ majuſculis & minutis, unde iis nomen. *Angúri abì*, i. e. uvæ aquoſæ: magnæ ſunt & purpureæ, acinis majuſculis, humore aqueo & ignobili tumentibus, unde parciùs coluntur. *Rehèh* aliis *Sorgèk*, alteram præ ſe ferunt faciem à ſolari radio miniatam. Perpaucæ ſunt, ſubauſteræ & nullius æſtimationis. *Nochudì* vel *nochodèk*, parvæ ſunt, acinis minimis, à vindemiatoribus relinquendæ pro pauperibus, qui ex iis ſyrupum conficiunt.


Quantitas ſucci, qui expreſſione obtinetur, tanta eſt, ut paulo ſuperet dimidium pondus fructuum, adeoque uvarum *man kohonèh* unum, ſive novem libræ Belgicæ, reddunt tantum non vini libras quinque. Isfahanenſis uva (quæ ibi copioſiſſima eſt *Muskalì*, ſeu apiana) quòd ſub cœlo algidiori vigeat, folliculis conſtat tenuioribus & nucleis minoribus, unde major ex eâ vini proventus eſt; nam ex uno *man Sjah*, ſive libris Belgicis duodecim, exprimitur unum *man kohonèh*. Oenopœïam tractantes, cùm vineta ipſi non poſſident, uvas à poſſeſſoribus coëmunt. Veneunt eædem non ſemper æquali pretio: quando annonæ fœcunditas eſt, unum *man kohonèh* emitur *Cas* ſive *Casbegi* quatuor, cum caritas eſt, *Casbegis* duodecim vel quatuordecim. *Casbegi* autem viginti, *Mahmudì* unum, ſive quartam uncialis partem conſtituunt. *Angúri Kiſmìs* & *Sahebì* plerumque duobus *Casbegis* cariores ſunt ceteris ſpeciebus.

§. III.

Vini confectio.

Vini confectio inſtituitur in cellâ, vel intimæ domûs camerâ quadam, à ventorum ingreſſu remotâ. Abſolvitur eadem expreſſione & fermentatione. Expreſſioni ſervit

vit *Karauſſì*, id eſt, calcatorium, ſive camera quadrata, plerumque in angulo ob commoditatem extructa,& gypſo incruſtata, magnitudinis in utrâque dimenſione octo, in profunditate quatuor pedum; ejus nimirum capacitatis, ut 3000 *man kohoneh*, i.e. 18000 libræ Belgicæ, in illam deponi, atque uno actu calcari à viris quinque poſſint: dum per foramen, demiſſiori loco factum, ſuccus expreſſus in lacum ſubjectum defluit, (*vide in Fig. lit. a*) ex quo ſubinde hauſtus, vaſis fictilibus *Gumreh* (*vid. lit. b.*) infundi-



tur,ut in iis fermentatione perficiatur; proinde non omnino implendis,ne effervefcendo exuberent. Vaſa hæc adeo ſunt ventroſa & grandia, ut ſingula 60 vel 70 *man kohoneh* recipiant. Coquuntur hîc & aliis in locis,vinum ferentibus, ex pingui limo, qui quò fideliùs ſubactus eſt, eò fermentatio celeriùs perfici dicitur,præſertim ſi ipſa etiam

 teſta

teſta plus ſolito craſſior fuerit. Mox ipſa vinacia, (*tulf*) ex calcatorio hauſta, iisdem fictilibus immittuntur, à quorum admixtione fermentatio expectanda eſt, intra biduum vel tardiùs, pro qualitate aëris. Aër autem, cooperto vaſe ac clauſâ camerâ, omnino arcendus eſt, ne afflatu algido fermentationem cohibeat: quod ſi evenerit, vel frigidior tempeſtas ingruat, aër illatis prunis temperandus eſt. Fermentatione inchoatâ, quotidie operarius unus cellam ingrediens, nudis lacertis vinacia elevat, & cum ſucco vehementer permiſcet. Quæ permiſtio durare ſolet ad minimum dies octodecim, ad maximum viginti quatuor, donec nimirum ſuccus ſaporem ac characterem novelli vini acquiſiverit. Tum immiſſo cribro, ex bacillis rudi manu textis (*neitſjeh* vocant) à vinaciis ſeparari, & cadis purioribus, perinde aliis, vel iisdem, infundi debet, ad orificium usque implendis; operiendis etiam cum levidenſi ſtoreâ (*piſuur*) ex gramine arundinaceo textâ, ſaltem quæ illapſuros culices & alia inſecta arceat. Ita hæc vina 30 vel 40 diebus immota relinquenda ſunt, donec ſupremum perfectionis gradum adepta, propinari poſſint, & exhauriri in œnophora, quibus commodè transvehatur. Vinacia torculari ligneo (*tengi tiir*) ſubdi, ac ſuccus expreſſus deſtillationi ſubjici ſolet, pro ſpiritu vini obtinendo. Poſſunt, ſi volupe eſt, expreſſa hæc vinacia, affuſâ aquâ, denuo torqueri in eundem deſtillationis uſum; Cui etiam uvæ ſequioris notæ dicari aliquando ſolent.

§. IV.

Vini transvectio & qualitates.

Transvectio.

Ab intervallo totidem, quot dixi, dierum, quodcunque vinum transvectioni deſtinatur (minùs, quod in loco manet) per ſaccum goſſypinum ſubtilioris texturæ colari debet, ut, ſeparatâ impuritate, nequaquam vectione turbari poſſit; depuratum œnophoris, ſive vaſis vitreis, infunditur, ciſtis, quibus commodè devehatur, includendis.

Vaſa

Vaſa vitrea, alia ſunt majora, ampullacea & circumducto ſcirpo tunicata, quæ vocant *Karabà;* (*vid. lit. c.*) alia minora nulloq; ſcirpo munita: (*vid. lit. d.*) Illa vini capiunt *man kohoneb* octo, rariùs novem; hæc unum cum dimidio. Vitra verò in hac ipſâ urbe elaborantur: ſilices ipſa tellus, herbam alcalicam, *Kilià* dictam, ubs vicina *Neris*, ligna valles circumſitæ conferunt. Venit *Karaba* una apud vitriarios duobus *mamudi*, rarò cariùs. Ciſtæ vectiles, quas Perſæ *Sendùk*, exteri *Kaſſa* vocant, ex tenuibus aſſerculis obtuſè ſunt compactæ, & imbecilliores, quàm ut ſufferre iter poſſent, niſi reſtibus circumligatis cautè firmarentur; farctæ priùs ſtramine, quo diſtineantur adverſus impreſſionem. (*vid. lit. f.*) Capiunt ciſtæ ſingulæ lagenas minores circiter decem, rarò plures; *Karabas* verò ſaltem duas, quibus frequentiſſimè lagena minor interponitur. Non rarò lacunis inſeruntur vitra minora (*vid. lit. e.*) plena aquæ roſaceæ. Ciſtæ binæ unum conſtituunt onus muli, quod Perſæ *Karwaar*, exteri *Kárroga* vocant, ita jungendæ, ut utrinque ex tergo ſingulæ dependeant.

Vinum Sjiraſenſe meritò inter generoſiſſima totius Orbis numeratur, quamvis durabilitatem, citra bonitatis decrementum, non ferat. Color fulvus, ſive ſubrubicundus, eſt; Odor gratus ac multo ſpiritu gravidus; de ſapore cum vino Burgundico & Campanico Galliæ ambigens, omnis dulcedinis & acoris expers & leviſſimè adſtringens; quod poſtremum uvis *Samarcandì* acceptum refert. Virtute pollet eximiâ; modico enim uſu mentem mirè exhilarat & appetitum acuit; nimio & ad ebrietatem aſſumptum, ſpiritus vehementer accendit & prope ad furorem usque turbat; poſt crapulam tamen nullum relinquit, vel capiti gravitatem, vel membris laſſitudinem, vel ſtomacho faſtidium cibi. Merobibis regni, Judæis, Chriſtianis, Armenis, nunquam arthritidis creaſſe incommo- *Qualitates.*

 da,

da, quin nec tartari, in cadis ſubſidentis, veſtigia, niſi perrarò, inveniri reſcivimus. Conſervationi nulla opitulatur ars vel ſtudium poſſeſſoris, ſive id virtuti ſuæ, ſive aëris bonitati debeat. Sat eſt, cadi orificium vel linteo obligaſſe, vel ſtoreâ ſaltem impoſitâ defendiſſe ab illapſu inſectorum & quisquiliarum, quibus liquor inquinari poſſet.

Conſervatio.

Vini copia.

§. V.

Uvarum uſus.

Vini magna Sjiraſô vis devehitur, major verò ibidem elaboratur, nec tamen vel tertia annonæ pars expreſſionem ſubit: Uvarum quippe pars non contemnenda quotidiè carpitur, recens cum pane manducanda; pars in cellis ſuſpenditur, plures menſes conſervari pro futuris obſoniis patiens; pars etiam pro uvis paſſis ſiccanda legitur; magna verò pars coctione redigitur in ſyrupum, qui butyri locum in menſis pauperum, & pro abſtemiis, admixtâ aquâ, vini vices ſuppleat. Magiſtri hîc habitant diverſi generis hominum, qui œnopœïæ incumbunt, uvarum vi ex vindemiis omni manè aſportatâ aſininis tergis. Primores nomino Perſas Muſulmannos: nam licet circa objectum immundum verſare, ex juſſu Mahhammedis non audeat abſtemia natio; ex Regiâ tamen diſpenſatione Perſianis quibusdam data eſt facultas elaborandi vinum, pro cellâ Sereniſſimi; (quæ præter Sjiraſenſe etiam admittit Georgianum, quotannis Tefliſo mittendum à Principe, Sjiraſenſi vino rubicundius, tenuius & paulò gratius) Sed hâc illi immunitate freti, etiam aliorum Magnatum cellas implent citra licentiam. Secundæ claſſis ſunt Chriſtiani Armeni, quorum familiæ omnino quinque in urbe habitant, omnes confectores vini, tam venalis, quàm pro uſu domeſtico. Tertiæ claſſis ſunt Judæi, quorum hîc numerari audio ſupra millenas domûs. Vinum & ipſi conficiunt venduntque cupientibus. Ab his, Perſiam peragrantes, vinum ſemper nobiliſſimum obtinui-

nuimus, quod illi in terrâ ſepultum ſervant, interdum in agris procul à Laribus. Quartæ claſſis ſunt ii, quos Societates Europæorum, Regio permiſſu, conſtituunt, vinum ſibi elaborandum, quod mari devehant. Eorum, qui ſub Belgico nomine operantur, quotannis plus minus ter mille ciſtas implent; qui pro Anglis, mille ſaltem; qui pro Luſitanis, vix minùs. Taceo quantitatem ciſtarum, quas mercatores Armeni hîc emptas, lucrificandi cauſa, in Indiam exportant. Ita Vitis unius urbis, tot populorum palatiis ſerviendo id præſtat, quod in Europâ vindemiis multis vix ulla poſſit Provincia.

RELATIO IX.

Memorabilia montis *Bennà*, in Perſidis Provinciâ *Laar.*

§ I.

Iter Gamronô Bochuunum.

Famoſa ſunt & proxima Sinui Perſico æſtiva, pagus بوخون *Bochoon*, vel, ut alii pronunciant, *Bochuun* & *Buchuun*, gelidi montis بنّاه *Bennà* ſeu *Bonnà* inter fauces perraro ſitu reconditus. Ad eum, imminenti Syrio me ſubducturus, receſſi Gamronô, menſe Junio, anni 1686. Dignus deſcriptione locus eſt: cujus hîc ſingularem ſitum, plantas feraſque rariores, Lapidis Bezoar, quem ibi potiſſimùm obſervavi, generationem, procreatricem liquoris balſamini ſpeluncam, thermas circa viam obvias, atque ipſum iter, brevibus exponam. Abiturus inſtruor commendatitiis ad loci præfectum à magnæ auctoritatis mercatore *Córidas*, negotiorum Belgicorum curatore. Is, quod obiter inſero, amico iter diſſuaſurus, argumento utebatur (ut erat vir gentilis) ab augurio apum: quarum ingens examen pridie ante diſceſſum, facto per feneſtram

impetu, in muſeo meo ſedem collocaverat; inſolito ſanè exemplo,& remoraturo, quod ajebat, proſperrima portendente. Repudiato augurio,horâ,quâ calor remiſerat, ſeptimâ veſpertinâ diei decimæ ſextæ prænominati menſis, iter occipio, ciſtæ, quam *Kadſjuwà* vocant, pendente ex camelino dorſo ob infirmitatem inſidens; dum ſervus & ſupellectilia duobus aſinis provehuntur. Viam ingreſſi planam, ſabuloſam, & partim cautibus impeditam, poſt mediam noctem *Iſjiin* pagum conſequimur, abſolutis paraſangis tribus cum dimidiâ.

Die decimâ ſeptimâ (ſic procurante ſervo meo, homine avaro & aſtutiſſimo) in comitatum adſciſcimus agaſones aliquot, qui nos per viam montanam deducant,breviorem quidem, quàm quâ camelis itur. Jumenta dactylis onerantur annotinis,illuc in quæſtum ſervi transferendis, uno aſinorum vacuo relicto, pro futuro inſeſſu meo. Horâ eâdem, quâ heri, decedimus, & thermas Ginauenſes prætervecti, devenimus cum diluculo

Diei decimi octavi ad xenodochium, in deſerto poſitum & ſemidirutum, quod publicani eidem immorantes ab aqua ibidem ſtagnante vocabant *Birkeh teſtèk*, poſtpoſitis totâ nocte paraſangis omnino quatuor per lapidoſam & ſterilem planitiem. Diem hîc exegi in oſtiis fornicati aquarii, (*birkèh* vocant) quâ parte ſol non irradiabatur. Ardentibus ventis,immane quantum hîc ſævientibus, oppoſui lodiculam, in modum papilionis expanſam, quam ſubinde intus humectavi, ut continuò maderet: ita enim aër admirandâ proprietate algeſcit, & corpus contrariâ qualitate afficit. Accidit mihi, quia levi theriſtro induebar, ut, quam partem corporis lodix humida crebriùs attigerat, in eâ poſtridie omnis cuticula, quaſi uſtulata, abſcederet. Eodem præſidio in reditu ceteriſque excurſibus ab æſtuante aurâ, etiam jumentis inſidens, feliciter me conſervavi. Occidente ſole dimoventes, pervadi-

vadimus deſerta ſabuloſa, rivis ſalſiſſimis, hinc inde oberrantibus uda, & ex ſale in ſuperficie concreto (quantum tenebræ prodebant) paſſim albicantia. Aqua pluvialis in angulo rupellæ ſtagnans (locum *Taradeer* vocant) ut ut ſtercore jumentorum inquinata, nobis hîc potum præbuit, & novam hoſpitandi ſtationem, à priori duas ſaltem paraſangas diſſitam.

Hîc diem, videlicet decimum nonum, poſtquam ſub dio, & ob ventos ardentes & loci inhoſpitalem apricationem permoleſtè transegeramus, diſceſſimus ſextâ veſpertinâ; perque ſalebroſam tellurem, plurimis interciſam rivulis, totâ nocte luctati, devenimus horâ tertiâ matutinâ, Diei videlicet vigeſimi, ad pagum *Siahù*, paraſangas non ampliùs quatuor ſupra dimidiam emenſi. Obſcura nox, quamvis accedentibus aſpectum pagi præcluderet, non oberat tamen, quin ex longo intervallo auram, quæ inde adſpirabat, ex humore dulci plantisque viridantibus temperatam ac flagrantem, olfactu perceperimus. Plurimis enim palmetis, pomariis, hortisq; frugiferis & perfluente rivo dulci ad voluptatem usque inſigniter dotabatur; tametſi levidenſi operâ ex frondibus ſaltem palmeis conſtructus. Amnes, quos in viâ vadavimus, muriaticam ſapiunt ſalſedinem ad unum omnes; nec alveis decurrunt, ſed ſuperficiem lambunt ſabuloſæ telluris; ultimus eorum *puſtei ſijah*, & aquarum, quas recipit, pluralitate, *biſti tſjahar*, & ex qualitate ſua communi vocabulo *rudchoneh ſjuur*, i. e. *ſalſum flumen* dictus, rapidè verſùs Sinum profluit, duobus Gamronô milliariis, non procul à pago *Naglanagudà*, ſe exonerans. Vix dies aderat, cùm incolarum comitas rivum, aperto aggere, dimitteret per hortum, in quo me, explicatis ſub umbraculo ſtoreis, hoſpitari cognoverat. Ea enim eſt aquarum dulcium in regno conditio, ut per varios alveos, eam in rem eductos, in quoslibet hortos dimitti poſſint. Hîc, quod eſculentorum

torum vendibilis præberetur copia, jejunos comites monui, diem genialiter meo ære viverent; quod adeo illis cordi fuit, ut à coquinâ rurſus divelli non paterentur ante crepuſculum: quo ingruente, per lapidoſam & inviam planitiem verſus montium jugum ferimur; & poſt unam & dimidiam paraſangam intramus præruptarum rupium fauces, incenſis frondibus palmeis ob anguſtiam inveſtigatas. Peregrina videbatur facies, per flammam non ſatis cognoſcenti, ars ne utrinque ſtructuras magnificas, an luſum natura objiceret. Pergentes excepit vallis anguſta, extenſa in longitudinem dimidiæ paraſangæ, ex amne, qui medium percurrit, ſonora ac gelida; cujus longitudinem emenſos ſtitit oppoſitus mons præaltus, *Kuhi baas*, ſeu falconum, dictus, & ſecus eundem ad ſiniſtram, via ardua & ſalebroſa, nocte obſcurâ haud penetrabilis.

Die vigeſimo primo apparens lux expoſuit nobis ſitum vallis inſolitum & pergratum: præcelſos quippe & aſperrimos ab omni parte ſcopulos, rari ad crepidinem usque frutices, imam verò radicem palmeta quædam decorabant, quibus humor, per editos margines ex rivulo adductus, largiter influebat: Uvidos ſcrobes & lacunas copioſa Ficus & incognitæ contegebant plantæ, ſucculentæ, lacteſcentes, ſpinoſæ, pomiferæ, omnes peregrini genii. In ipſo amne dulci & limpidiſſimo, id mihi jucundum fuit ſpectare, quòd in decurſu ipſe ab arenis ſubinde abſorberetur, & ab intervallo multorum paſſuum denuò erumperet; donec tot hauſtibus imminutus, brevi extra fauces in palmeto quodam extabeſceret. Montis oppoſiti nomen indicavi *Kuhi baas*, ſive *falconum*, ex eo impoſitum, quod in illo falcones (quanquam etiam in vicinis non deſint) notæ primariæ capiantur, pro ornithotrophio Regis. Ejus ex nemoroſis tesquis tuguriola promicabant paſtorum, infernè conſpicua, ad quæ miſſi famuli, lac, butyrum & capellas retulêre, levi pretio comparata. Aura val-

vallis erat gratioſa, nulloque ardore ſub umbroſo ſcopulo demoranti moleſta, Sol quamvis ſummum hodie verticem attingeret, quem ſolſtitialem appellant. Brevi igitur poſt meridiem, camelo (quem viginti *abaſſis* conduxeram) Gamronum dimiſſo, aſini terga conſcendimus, & ad lævam deflectentes, nimirum in occidentem (cum ceteroqui omnis via vergeret in ſeptentrionem, utcunque etiam in Orientem) viam perſequimur petroſam & arduam, adverſo amne; Hic amnis per montis hiatum (quem *ſaaki paiin*, i. e. ſaaki inferiorem vocabant) in ſaxoſo & impedito alveo cum ingenti ſtrepitu defluebat: ripis quidem, (quamvis ob lacunas ſaxoſi fundi & varia impedimenta paſſim inacceſſis) multas referentibus arbuſculas, ſponte cultuque prognatas, præſertim Vites, Granatos, Tamariſcos, Fraxinos, Sabinos, Piſtaceas ſylveſtres; paucos etiam hortos Vite Granatoq; conſitos; quorum abſentes domini, alii vitam ruſticam in pagis longè hinc diſſitis, alii paſtoralem in proximis montibus ducecere dicebantur. Tribus horis feſtinanter vecti, nec tamen ultra paraſangam provecti, vergente die conſedimus ad viæ terminum, ſcopuloſis præruptisque montibus circumvallatum. Pro dormitorio ripam occupamus amnis ſæpe dicti, hîc inter ſylvoſos ſcopulos magno æſtu ſcaturientis atque turgidi: prout in Perſide ea eſt conditio fluminum, ut turgeant in principio, longiori tractu deficiant.

Die vigeſimo ſecundo, cum primo diluculo, ceteri pedites, ego tamen aſino ob infirmitatem vectus, magno niſu & pavore rimati ſumus arduum objecti montis altiſſimi dorſum (*ſaakì balà*, ſeu ſaaki ſuperiorem nuncupatum) ad quem nec aditûs, nec ſemitæ veſtigia, infra conſtitutis, apparuerant. Et tandem poſt ſex horas ad ſummam planitiem montis *Bonnà* feliciter penetravimus, cum à ſtatione vix paraſangam in rectà lineâ profeciſſemus.

Juro me Hyrcaniæ pylas ac Caucaſi præcipitia haud uſquam majori perreptaſſe formidine, quàm quæ me in hâc ſemita exercuit; in quâ & ipſi aſini, montibus rimandis à teneris adſueti, (nec enim alia jumenta hîc vadunt) ſæpe in altiores gradus humeris agaſonum elevandi erant; per aſperrimos murices in profundum ruituri, ſi vel unico gradu erraviſſent. Pro miraculo narrabant, Archiſatrapam Ormuſienſem in Bochunum ante viginti annos viâ aliâ (planiori, ſed longinquâ & multorum dierum) advectum, ſponſione factâ, camelos duos hâc viâ reduci juſſiſſe. Et res contra fidem hominum ita ceſſit, ut hæc tantæ molis jumenta, ſed ex genio ſuo providiſſima, difficiles viæ anguſtias ſine lapſu emerſerint quidem, ſed primâ nocte, quâ planitiem aſſecuta, exſpiraverint. Hîc quanquam in altiſſimâ exiſteremus plagâ, altiores tamen circumquaque protuberantes petræ proſpectum in diſtantiora loca & campos ſuppoſitos intercipiebant; ſaltem verſùs boream palmeta diſtrictus *Dſjehmili dſjahuun*, & verſùs auſtro zephyrum (S. W.) mons *Ginau* rimantium oculis per aëris, quanquam Sereniſſimi, caliginem obſcurè pateſcebant. Ante faſtigium rupis articulus quidam, in areolam ſylvoſam jucundiſſimè expanſus, viatori aquam exhibebat gelidam, quam ex altiori ſcopulo manantem excipiebat crater, longo ſtillicidio excavatus. Ex eâ reſpicienti pagus *Sijahù* ad oculi menſuram apparebat, quaſi non ultra ſeſqui paraſangas diſtaret in rectâ lineâ; cui tamen biduum impendiſſe nil pudebat duces meos. Meridiati ſumus ſub Sabinis bacciferis, quarum nos gelida umbra, & non procul inde ſalientes rivuli invitabant. Tertiâ poſt meridiem, ſomno prandioque refecti, diſcedimus, & in declivem lacunam montis, velut in duo crura hiantis, per ſaxa & ſalebras continuò provecti, metam itineris veſpertinâ ſeptimâ conſequimur: abſolutis nimirum, ob difficiles anfractus & agaſonum ſocordiam non amplius 23 paraſangis

gis

gis ſive milliaribus Germanicis circiter 16 cum dimidio, ſeptem dierum ſpatio; cum univerſum iter, reducendo gyros ad lineam rectam, vergiſſet circiter in ſeptentrionem, (accuratè inter N. t. O & N. N. O) Appulſus curo commendatitias præfecto dari; qui præmiſſo congiario, nimirum placentis, dactylis, & lacte tum dulci tum coagulato, mox ipſus mihi, quamvis in tenebris compareret, præſtitoque ſalutationis officio, multa (ut erat vir ſenex, gravis & eloquens) de loci, in quem venerim, præſtantiâ & antiquitatibus diſſerit: tandem ſua & pagi ſervitia ad nutum meum parata ſtipulatus, profundâ nocte me deſerit. Ego in confabulationis loco expanſâ ſtoreâ, reliquum noctis ſub dio tranſigo.

Poſtero die, qui erat vigeſimus tertius, in hortum introducor, qui pro hoſpitio ſerviat. Is in dorſo petroſi montis verſùs borea eurum (N. O) edito loco poſitus, ceteris dicebatur algidior, & ventis, qui ab occidente per lacunam montis oppoſiti adſpirarent, perflabilis, ſecus ac horti depreſſiores, vel oppoſiti. *Tekjeh* ſive otii ſedem hîc locavi ad quadratam ciſternam, quatuor Aurantiis obumbratam; quam fovebat vena lymphæ, ab altâ rupe manantis. Spatiandi, pro Germanâ otiantium conſuetudine, non dabatur copia; nam ſoli erat plena ſcrobiculis & gradata declivitas: ut taceam morem gentis, quæ hanc ſibi inſuetam itûs & reditûs reciprocationem admiratur, velut deliramentum inſani hominis. Refugium, ſi imbres ingruerent, vicina præbebat ædicula, cubica, ex limo, opere ruſticano congeſta. Sodalem in illâ inveni ingentem anguem, in adverſo lecticæ meæ angulo hoſpitantem, qui ut ſummo mane in ſcopulos proripiebat, ita veſperi repetebat latebram cuniculi ſui; cavente horti domino, ne quas innocenti beſtiæ offenſas aut intrandi obſtacula objicerem. In proximâ apricatione vicinos habui duos lepidiſſimi genii chamæ-leontes, qui ſocietate meâ plurimùm delectabantur;

tur; nam ſubinde foco, dum abiret coquus, vel prandenti mihi, clandeſtino ingreſſu accedebat alteruter, ut ſpolia ex cibo colligeret, vel quâ intentione, neſcio: quam primùm verò ſe ſpectari adverteret, facto clamore inſtar puerilis cachinni, celerrimè refugiebat in aſylum ſuæ arboris. Miſſurus, quas in ulteriori arboreto & contiguâ vineâ vidi beſtias, ſaltem hîc nomino ſciuri quoddam pumile & fugitivum genus, pilis longis, & caudâ compreſſâ, in extremitate, latiſſimâ, de quo, in *Aldrovando* & *Geſnero*, non memini me legiſſe.

Die vigeſimo quarto appulit Gamrono juvenis Tonningâ Holſatus, tormentorum in Surattenſi navi magiſter, ut meo exemplô imbecillitati ſuæ refectionem quæreret: quo cum bonæ indolis Germano in convictum & expenſa admiſſo, horas non injucundè perdidi; adſcitis etiam, qui de linguâ & provinciæ notitiis nos erudirent.

§. II.

Bochon. *Bochon*, quinquaginta familiarum pagus, in abſtruſâ & ſaxoſâ valle, vel, ſi mavis, in hiatu montis *Bennà* ſuper ſabuloſo clivo extructus eſt: qui quamvis axem borealem reſpiciat non ampliùs 28 gradibus elevatum, ob loci tamen editiorem ſitum, uvidum genium, & opacas, quibus circumvallatur, crepidines excelſorum montium, gelidâ beatur aëris temperie, qualis etiam vix ſalubrior alibi. Mediam vallis longitudinem amnis dividit, pagô depreſſior, qui in ſuperiori hiatûs parte inter ſaxa & ſcopulos paſſim proſiliens, per lapidoſam declivitatem præceps delabitur, & ſuperatis, quæ vallem infra pagum claudebant, faucibus anguſtiſſimis, dimidiam paraſangam longis, in vicinam planitiem ſe exonerat. Duo ad pagum dantur aditus: unus deſuper à monte *Bennà*, qui ob ſaxorum impedimenta, ungulis tantùm calcari poteſt aſininis; alter infernè, ex planitie transmontanâ, quo per prædictas rupi-

rupium abruptiſſimarum fauces, etiam cameli enituntur, viâ quidem planiori, ſed ob lapidum copiam etiam difficili. Ipſe loci poſitus intuentem oblectat ſui gratiâ & formidine. Spectatur velut inſolens naturæ theatrum, cujus in imâ parte ingens pagus, multis arboribus frondens, atq; tot vineæ pomœriaque ampliſſima, per radicem montium gradatim conſita, nævi ſaltem dicendi ſunt, ſi magnitudini compares ambientis inculti & aſperrimi jugi, quod ex imâ, quâ flumen devolvitur, anguſtiâ, per acclives petras, lacunas & ſalebras, in immenſum exſurgit circuitum, culminibus quidem inæquali celſitudine & variâ ſpecie mirè ludentibus. Totus pagi tractus, quamvis petræ inædificatus, glebæ ſuperficiali tantùm & ſabuloſo apparatu gaudeat, arborum tamen vitiumque adeo denſam & intricatam exhibet copiam, ut una quaſi opaca ſylva eminus appareat: ſingulis hortis id ſingulare habentibus, ut ex jugi dorſo, aquarum, quibus irrigentur, copioſi rivuli depluant, murmure tam amœno, ut perpetuos ex cœlo imbres audiri putes; adſonante præſertim denſiori ſtrepitu, defluentis per imam vallem rivi majoris. Docebat me informator, vallem hanc aſylum fuiſſe antiquorum Principum, qui in eâ ſeſe, occluſis faucibus, ab inſultibus hoſtium conſervaverint. Id teſtari videbantur in imâ rupe veſtigia cardinum, ex quibus portæ pependerant, quas dicebant fuiſſe ferreas. Ipſa propugnaculi, ſeu caſtelli, rudera exhibebantur in culmine montis ſupra fauces, ex quò portæ, demiſſis ſaxis defendi, ſimul ac hoſtiles à tergo montis impreſſiones eludi potuerunt. Auſcultat pagus imperio Calentarii, ſive præfecti territorii *Farchonaad:* cum quo verò multa illi intercedebat controverſia de tributo; quod is ratione hortorum impoſuerat, quamvis loco ſaxoſo & naturâ ſterili poſitorum; cùm, vigore publicæ conſtitutionis, agri ſaltem fœcundi genii ſub cenſum veniant. Pendebat lis in judicio Larenſis Gu-

bernatoris, cui modò parent, hactenus nondum deciſa. Incolas triplex alit vitæ genus: hortenſe, pecuarium & venatorium. In primo, maximum proventum Vites tribuunt, quæ nullâ jutæ culturâ, palmites per ſumma ſpargunt faſtigia arborum; pari ubertate Juglandes luxuriant; Malis etiam Punicis, Armeniacis, Aurantiis & Cydoniis non minùs gratioſa tellus eſt; iniquior Pomis, Prunis, Palmis, Platanis & Cupreſſis, parcè hîc creſcentibus & triſtiori vultu. Fructus ſuos pagis inferunt vicinis, cum dactylis, oryzâ, hordeo, tritico & eduliis quibusvis permutandos: Permutata grana in molâ ſuâ, quam intra fauces poſſident, comminuunt, excuſſamque farinam, unà cum uvis & nucibus juglandium, in diſtantiora loca venalem tergis aſininis deferunt. Hæc illis ex hortis mercimonia ac emolumenta ſunt. In pecuario genere, uſus eis præcipuus ex capris & ovibus: quibus paſcendis graminoſa patent fruticeta in faſtigiis montium adſitorum; præſertim ejus, qui pago incumbit ab auſtro-occidente. Jucundum eſt ſpectaculum & picturæ, quàm vero phœnomeno, ſimilius, quando greges dorſi tam abrupti & præcelſi faciem ſingulatim longo & continuo ordine conſcendunt; id quod ſingulis mane moleſto niſu faciunt, ante veſperam eodem tramite reverſuri. In ipſo montis faſtigio conſpiciuntur foveæ profundæ, quas affirmant fuiſſe ærifodinas, è quibus, teſte loci Chronico, Caramaniæ & Ormuſii Principes cuprum effoderint antiquitus; Nunc collapſæ vetuſtate, nil niſi vepreta exhibent & latibula tigridum. Venatus victui momentum quoq; tribuit, dum, qui verſare ſclopos nôrunt, intra rupium latebras abſconditi, feras trajiciunt incautas; quarum carnes cum farinâ in pultem excoctæ, pro epulis aliquot menſibus aſſervari poſſunt. Non vidi ex feris aliud genus inſidiis magis expoſitum, quàm پازن *Paſen*, ſive capricervorum; nam & copioſiſſimi ſunt, & præ ceteris deſiderati, quòd intus

intus non raro pignus foveant pretioſum, videlicet lapidem Bezoarticum, hoc quidem in jugo præſtantiſſimum totius Orientis; in cujus contemplationem nunc frena laxabimus.

§. III.

Lapis Bezoar.

Dudum me agitaverat deſiderium videndi matricem tam famoſi lapidis: hoc in me loci ſufflabat occaſio, dum aliquoties adeſſent, qui feras mihi venundarent exenteratas. Voti ut fierem compos, ære meo conduco, qui aſinorum, quod ſolent, tergis juti, integras mihi aſportarent beſtias cum extis. At fruſtra fui; quòd majores, quas peterent, (ita prætendebant) cum inteſtinorum pondere per cautes crepidinum transferri non poſſent: hinnuli verò nullos lapides haberent. Cum iisdem igitur jaculatoribus in montes ipſe proficiſcor, & ante diluculum egreſſus, quousque potui, aſino vehor; cetera pedes incedo, non raro genubus manibusque rimatus, donec nos montis, *Baaſi* dicti, exciperent confinia, transgreſſione, quod dicebant, ob territorii terminum non temeranda. Hìc, ut rem cautè ageremus, diſſociati & ſilentes inceſſimus, & pro inſidiis ſtruendis latebras occupavimus eas, quæ ad globuli jactum ſtagnantem exhibebant pluvialem, ſive fonticuli ſcaturiginem, ad quem beſtiæ potatum venire (ut plurimum horis matutinis) conſueviſſent; ſclopos ex condicto, non in alias directuri, quàm quas lapides geſtare ex ſignis cognoſceretur. Nam ad unicum ſclopi ſonitum longiſſimè omnes aufugiunt, vix diebus aliquot reverſuræ; quod idem, conſpecto igne, faciunt, cum feræ ſint timidiſſimæ, neutiquam feroces, quod vulgo ſcribitur. Primâ, quâ venimus, inſidiarum die, quanquam in fruticoſo antro, adeoque commodiſſimo loco conſtituti, nullam beſtiam vidimus; Deceſſiſſe, conjiciebamus, quia longiùs inde (quod ſerò advertebamus) igniculus fumabat, fortaſſe à paſtore aliquo extructus. Multa adhuc no-

cte

ćte latebras, ductoribus ex aſſe notas, mutavimus; quod ipſum poſt ſingulas exploſiones quoque agitavimus; Donec à longâ in ſpelæis patientiâ, repertus in novenni hirco lapillus voti me fecerit quodammodo compotem. Dico quodammodo; nam in beſtiâ, quam comes meus fundebat, inteſtina, à me ipſo diligentiſſimè perquiſita, nullum lapidem continebant. Pronior alteri apparebat fortuna; qui à nobis longiùs remotus feram, à ſe transfoſſam, dum me non expectato diſſecaret, lapillum reperit elegantiſſimum, tametſi molis perexiguæ. Promiſerat ſibi ex ſignis gemmam majoris pretii; quam quòd mihi invideret, ſectionem, ſecus ac pactum inter nos erat, ſolus inſtituerat, adeptus lapidem, antequam adeſſem. Erat is pollicaris longitudinis, figuræ ad aſſem cylindraceæ, nigricans & glaberrimus, planè ejus notæ, ut genitorem montis *Baarſi* alumnum fuiſſe judicarent. Quo cum operoſo laboris mei brabeo, quamvis levi & non ampliùs ſcrupulum pendente, lætus remigravi; poſtquam ſeparati dies omnino tres in latebris, noctes verò duas conjuncti ſub dio egiſſemus, permoleſtè & ſine foco. Interpoſitâ aliquot dierum morâ idem ſclopetarius, ex venatione reverſus, mihi dono obtulit lapillos, quos in eâdem matrice adeptus erat geminos, ejuſdem cum noſtro figuræ & coloris, ſed tam exiguos, ut uterque ſcrupuli pondus vix attingeret. De Lapidis hujus generatione, quid meâ, quid aliorum experientiâ acceperim, nunc exponam.

Plures ſunt, qui ſub titulo Medicamentoſi lapidis animalis per Aſiam circumferuntur: ex quibus paſſim ad manus meas pervenerunt ſequentes:

Maſſang de Vaca.

(1) *Maſang de vaca;* ita Luſitanicè vocatur, coagulum quoddam biliofum, quod in vaccarum, ſeu boum quorundam, veſiculis felleis, aliquando ad ovi gallinacei magnitudinem concreſcit, figuram obtinens rotundam, colorem luteum, ſubſtantiam levem, friabilem, ſiccam, non

ex


ex cruſtulis invicem contiguis, ſed ex unâ maſſâ compactam, ſaporis ſubamari. Invenitur uti rarô exemplô in regionibus aliis, ita frequentiùs in terrâ Africanâ, circa Inſulam *Moſambeek;* ex qua illud Luſitani, ejus Inſulæ poſſeſſores, in Indiam efferunt. Facultatem præfati venditores ei tribuunt alexipharmacam, præter infallibilem virtutem in Ictero ac quibusvis hypochondriorum obſtructionibus tollendis. In Turciâ, quæ inveniuntur, ad Icterum valere ſcribit *Bellon. lib.* 4. *obſ. c.* 46. Plures ac pene innumeras virtutes recenſet *Ebn Sina l.* 2. *tr.* 2. *c.* 400. Japonibus hæc maſſa tantâ quondam in æſtimatione fuit, ut eam à venditoribus Luſitanis æquo auri pondere compararent; ſed cum jactata virtus expectationi non reſponderet, eviluit ejus pretium cum fide gentis. In damis Alpium ſimilem inveniri referunt.

(2) *Pedra de porco*, ſive lapis hyſtricinus: coagulum eſt bilioſum, rotundum, priori magis compactum, ut plurimum nucis myriſticæ vel juglandis magnitudine, leve, coloris rufi, ſubſtantiæ quodammodo unguinoſæ, ſaporis ſubtiliſſimè amareſcentis. Reperitur in veſiculâ biliariâ hyſtricum, terræ Malaicæ; unde à *Garciâ ab Horto*, ſub titulo lapidis Malacenſis, deſcribitur, *in op. Cluſ. l.* 1. *c.* 46. Tales à Sylvatico *Maſatios*, ab aliis *Acherones* vocari teſtatur *Aldrovandus.* Hoc coagulum bovino longè ſui pretio ac virtutibus antecellit, prout bezoar orientalis occidentali dicto, vel aurum cupro præſtat. Rariùs enim generari accidit; quod ipſum inprimis, præter eximias & præſentiſſimas facultates, pretium ejus extollit, ut in ditiorum duntaxat & principum nigritarum manibus verſetur, qui illud ſphæris aureis argenteisve armari curant, adnexâ ex eodem metallo catenulâ, cujus adminiculo tractari valeat. Uſus ejus eſt, ut ſuſpendatur per horas aliquot, vel unâ alterâque vice agitetur in hauſtu aquæ communis; quem, vix grani pondere imminutus, amarore

Pedra de porco vera.

imbuit. Hauſtus, ita præparatus, habetur ſummè cordialis & alexipharmacus, tum in ictero, febribus putridis malignisque, & in quibuscunque viſcerum obſtructionibus medicamentum efficaciſſimum. Novi Bataviæ, qui poſthabitis Medicis, quicquid ſibi ægritudinis accidebat, hôc ſolo eliminare remedio ſatagebant, Hyſtricem hanc,

1 *Pedra de porco pretioſa Malaccenſis* 2.3.4. *Petræ de porco Spuriæ Ceylanicæ*



utut in multis aliis Aſiæ regionibus, in Africâ etiam, & in his Caucaſiis montibus invenerim, in ipſa tamen reperiri lapidem nunquam cognovi. Ruſticus Bugunô à me vena-


venatum dimiſſus, cum ab hyſtrice ſurâ vulneratus rediret, pinnum, quem in ipſum beſtia exploſerat, mihi offerens, à præſente quidem patre edentulo ac grandævo monebatur; nullam impoſterum negligeret hyſtricem, quin ſectione priùs exploraverit, an lapidem ferret; quem noſſet aliquando hîc inventum fuiſſe incredibilis pretii. Sed quis audeat ex unius viri aſſerto verum concludere? Adjecta Tabula exhibet lapidem Malacenſem, qui, cinctu liberatus, pendet aureos quinque cum dimidio, emptus à poſſeſſore (Ill. Dn. Generali de *Camphuys*) trecentis Joachimicis.

(3) *Pedra de porco ſpuria.* In hoc genus coaguli in Ceylanâ incidi, priori quodammodo ſimile, ſed nigrius, informe & pilis permixtum; de quo easdem prædicabant virtutes, ſed debiliores, tametſi majori doſi propinetur. Dicebatur inveniri in hyſtricum ſuæ terræ ventriculis; prodereque beſtiam crebro ructu ac vomitione latitantem lapidem. Ex quo conjecturare liceat: expreſſam bilem, dum in ventriculum redit, à lana illic hoſpitante & vomitum concitante imbibi, & cum eâ concreſcere. Icones quorundam vide in Tabellâ. *Pedra de porco ſpuria.*

(4) *Bolus piloſus porcinus:* maſſa eſt informis, dura, ſicca, levis, coloris rufi, ex ſetis pilisve rigidioribus, inſtar pomi bovini noſtratis, arctiſſimè compacta, ſuperficie aſperiori. Invenitur in ventriculis quorundam porcorum in inſulis ulterioris Indiæ. Geminos vidi eximiæ magnitudinis, figuræ parilis utcunque cylindraceæ, quos domi Batavorum, quæ eſt in *Hilâ*, inſulæ *Banda*, in unicâ beſtiâ repererat lanio. Hos inſulæ Gubernator Gnr. Dn. *Schage* curioſitatis gratiâ mittebat Ill. Dn. Camphuſio, Generali Ind. Gubernatori emer., ex cujus donatione alterum poſſideo, pendentem uncias duas cum dimidiâ. Sed hujus coaguli in medicina nullus apud Indos uſus eſt. *Bolus piloſus porcinus.*

(5) *Pedra de Cobra:* ita dictus lapis, vocabulô à Luſita- *Pedra de Cobra.*

ſitanis impoſito, adverſus viperarum morſus præſtat auxilium, externè applicatus. In ſerpente, quòd vulgò credunt, non invenitur, ſed arte ſecretâ fabricatur à Brahmenis. Pro dextro & felici uſu, oportet adeſſe geminos, ut cum primus veneno ſaturatus vulnuſculo decidit, alter ſurrogari illico in locum poſſit; Proinde poſſidere indigenæ niſi geminos cupiunt; quos cum goſſypio capſulæ incluſos probè aſſervant. Aliam obtineo ophitidem, inſtar ſilicis duriſſimam ponderoſamque, uncialis longitu-



Pedra Bugia *Pedra de Cobra*

dinis, figuræ quodammodo tornatilis, & quaſi ex annulis compactæ; quales inveniri in capitibus maximorum ſerpentum credulus perſuadetur vulgus: ego apophyſin alius petræ, vel in ipſâ petrâ molliori genitam judico, velut lapides bufonius, aëtites, lyncius, oculus catti, gloſſo-petra, & ſi quos alios vulgi error tranſcribit ex animalibus. Fidem

Fidem mihi fecit collis petroſus, quem bidui itinere ab Iſphahano urbe offendimus, cujus ſabulum ex petrâ diſſolutum, innumeros exhibebat variæ figuræ bufonios & Judaicos, quibus vel plauſtrum impleviſſem. Quo ipſo feror, ut iſtis lapidibus nihil efficaciæ ineſſe credam, niſi quam actuali frigiditate ſuâ, vel abſorbendo præſtant.

(6) *Pedra Cordial*, ſive *Lapis de Goa*: ita dicitur à loco, in quo hactenus à Rev. P. Soc. *Caſparo Antonio* componitur, ex ſpeciebus cordialibus & alexitericis, quas & bezoar lapis ingreditur. Figura ejus ovata vel rotunda eſt, color intus cinereus, extus nigricans, ſplendens, aureisque maculis diſtinctus; nonnunquam totus deauratus. Uſus frequens eſt & probatiſſimus inter Europæos Orientis. Venditur ad libellam; inde pro variâ magnitudine pretium variat. Eundem hodie componit R. P. *Nicolaus Momitius*, quem à priori dignoſcimus literis N. M. in ſuperficie impreſſis, & in oppoſito latere, ſigno capræ vel alius quadrupedis. Sed de factitiis non eſt hîc dicendi locus. *Pedra Cordial*, ſive *Lapis de Goa*.

(7) *Coagulum reſinoſum bezoarticum* ex laminis ſe invicem complectentibus tenuibus, albidis & pallidulis, diſcoloribus, ſubnitentibus coagmentatum; quale noſtratibus appellatur *Lapis bezoar occidentalis;* ex ſimilitudine Lapidis eodem inſigniti nomine, quem ex Occidente, id eſt, Americâ in Europam deferunt; exemptum capræ ſylveſtri in regno Peruano; ut refert *Nicol. Monard.* in opere Cluſ. In tabernis gemmariorum quorundam Perſiæ, Arabiæ, ac citerioris Indiæ, venales inveni lapides, qui ovi gallinacei excedebant magnitudinem, pro quibus unius, duorum vel amplius tomanorum indicabant pretium, prout ſciſcitantis deſiderium æſtimarent. Sed hos reperiri dicebant Medici, in vaccis Indicis, fortaſſe & in aliis inconditæ molis quadrupedibus, tam domeſticis, quam ſylveſtribus; adeoque nequaquam bezoarticos, ſed bulithos, urolithos, hippolithos vel camelolithos dicendos *Coagulum reſinoſum bezoarticum.*

 eſſe.

eſſe. Legatus Sueciæ, Isfahano diſceſſurus, plures coëmebat; quorum cum vulneratæ eſſent exteriores laminæ, pro exploranda indole particulas prunis injecimus, quas in iis ſemper comperimus diſſolvi, ac fumum ſuffitumque ſpirare, quaſi ex olibano & colophoniâ; Laminæ interiores & centro proximæ an, quod ſuſpicari liceat, ex morâ longiori magis induratæ fuerint, non exploravi.

Bezoar Orientalis legitimus.

(8) *Lapis Bezoar Orientalis* verus & pretioſus پازهر *Paſahr*, ex quo nobis vox *Bezoar* enata eſt. Sceptici noſtri philoſophi nomen petunt ab Hebræo בעל *bahal*, quod dominum, & Perſico زهر *Sahr*, quod venenum ſignificat, & lapidem veneni domitorem vocant. Sed hæc ex ſimilitudine vocabulorum effiɕta derivatio eſt. Patria ejus præcipua eſt Perſidis provincia *Laar*, & in eâ, montium illud jugum, in quo nunc verſamur; dehinc vicini montes urbis *Daraab* & vici *Sjaharum*. Ferax præterea *Choraſmia* eſſe dicitur, iis præſertim in montibus, qui occupant diſtriɕtum urbis *Sabſawaar*. Genitrix, eſt fera quædam montana caprini generis, quam incolæ پازن *Paſen*, noſtrates capricervam nominant, deſtituti voce, quæ utrumque ſexum exprimat. (*Iconem vide in Tab. §. 4. num. 1.*) Animal pilis brevibus ex cinereo rufis veſtitur, magnitudinem capræ domeſticæ, ejusdemq; barbatum caput obtinens. Cornua fœminæ nulla ſunt, vel exigua; hircus longiora & liberaliùs extenſa gerit, annulisque diſtinɕta inſignioribus, quorum numeri annos ætatis referunt; annum undecimum vel duodecimum raro exhibere dicuntur, adeoque illum ætatis annum haud excedere: reliquum corpus, à cervinâ formâ, colore & agilitate nihil differt. Timidiſſimum & maximè fugitivum eſt, inhoſpita aſperrimorum montium teſqua incolens, & ex ſolitudine montanâ in campos rariſſimè deſcendens. Et quamvis plu-

plures regni regiones inhabitet, lapides tamen bezoarticos non gignit. *Casbini* (emporium eſt regionis *Iràk*) pro coquinâ nobis capricervam, vel ut rectiùs dicam, hirco-cervum prægrandem, vendebat venator; qui à me quæſitus: non audiviſſe ſe reſpondebat, beſtiam illic lapidem unquam foviſſe; quod & civium, quotquot percunctatus ſum, teſtimonia confirmabant. Vidi illic in magnatum manibus bezoarticos eximiæ magnitudinis, nec minùs probatiſſimi coloris & figuræ, quos ſe obtinuiſſe affirmabant ex *Coraſaan*, ſive Choraſmiâ. Præſens jugum, in quo feras inſidiati ſumus, longè in auſtro-occidentem, longiùs in orientem protendit: ibi in partes diſtinctum *Kuhi Bonnà*, *Dehreſtò* & *Murkumeh*, dictas, hîc in *Kuhi Sjaaskèn* (cui ad auſtrum jungitur *Kuhi baas*) *Gelleſtaan* & *Baarſì*, ſive *Tenguun*, velut jugi orientalem, ab unâ vel ampliùs diætâ, terminum. Quæ verò partes, tametſi capricervas alant promiſcuè, non omnes tamen herbas ferunt, ex quibus depaſtis lapides generari, atq; ii quidem æquè nobiles poſſint; ſed ſolus ex earum numero eſt mons *Baarſì*, qui ut pluribus aliis, ita quàm maximè abundare dicebatur herbis reſinoſis alexipharmacis, generando lapidi materiam foventibus, quarum eſu caprarum ſylveſtre genus maximè delectatur: nimirum *Serringià* ſucco glutinoſo referta, qui apprehenſam paleam illico tenaciſſimè involvat; *Tſjirachù*, ſpecies quædam nobilior ejus plantæ, quæ reſinam tribuit Perſicæ compoſitioni laccæ obſignatoriæ; & *Derminà Turkì*, i. e. Sementina Turcica, alterâ illâ, quam Perſicam appellant, multò præſtantior. Hinc nulla ibi ex prædictis beſtiis datur ætate provecta, quæ lapidem non contineat; cùm in ceteris hujus jugi partibus (ductorum verba refero) ex denis, in montium diſtantioribus ex quinquagenis, in ceteris, extra Larenſem provinciam, ex centenis, vix una ſit, quæ lapide dotetur, eoque ut plurimùm exigui valoris,

loris. In hircis lapides majores & frequentiùs inveniuntur, quàm in fœminis. Lapidem ferre judicantur annoſi, valde macilenti, colla habentes longiora, qui gregem præire geſtiunt, circumſpectiùs incedunt, & inſidias, magis atque ſodales, metuunt; quod idem de fœminis affirmabant. Addebat alius incertæ auctoritatis: etiam ſupercilia ac lineamenta frontis obſervanda eſſe, quæ ſi inſigniter nigricent, præſentiam lapidis confirmare. Beſtiæ ut primùm perfoſſæ linguam inſpiciunt, quæ ſi ſolito deprehendatur aſperior, de præſente lapide nihil ampliùs dubitant. Locus natalis eſt pylorus, ſive productior quarti, quem vocant, ventriculi fundus; cujus ad latus plica quædam, ſive ſcrobiculus, mucoſo humore oblitus lapillum ſuggerit. In aliâ ventriculi claſſe, (prout in ruminantibus diſtinguuntur) quàm ultimâ hâc, inveniri negabant. Utrum caſu hîc ſibi hoſpitium paret, jam alibi formatus, an in eo loco generetur, ſive illapſus retineatur & augmentetur, non habeo, quod ex venatorum obſervatione referam. Credunt, quos plicarum alveoli non ſatis amplectuntur, elabi pyloro poſſe & cum excrementis excerni; quin formatos interdum diſſolvi rurſus, præſertim longiori animalis inediâ. De diſſolutione non poſſum, quin obſervationem hîc inſeram Cl. Domini *Jageri*, Viri ob inſignes in linguis & rebus Aſiaticis notitias nunquam ſine veneratione nominandi. Is mihi teſtatus eſt, ſe dum in regno *Gôlkonda* degeret, gazellas vivas recenter captas manu ſuâ perquiſiviſſe, & contrectato abdomine, lapillos palpaſſe in unâ geminos, in alterâ quinos, vel ſenos. Has ille beſtias pro contemplatione ſuâ alere decreverat, camerâ hoſpitii ſui incluſas. Verùm, quòd ab omni pabulo abſtinerent, quaſi perire quàm ſaginari captivæ mallent, mactari eas juſſit inediâ aliquot dierum macentes. Tum verò, lapillos ubi exemturus erat, eorum ne veſtigium ampliùs invenit; ex quo illos à jeju-

no

no viſcere, vel alio quocunque modo, diſſolutos credebat, cum nec excrementa diligenter perquiſita eos redderent. Diſſolutionem nullo poſſe negotio fieri perſuadeor: ſiquidem certum eſt, lapides in loco natali viventis bruti dum latent, nondum gaudere petroſâ, quam nobis exhibent, duritie, ſed molliores eſſe & quodammodo friabiles, ferè inſtar vitelli ovi, fervente aquâ ad duritiem longiùs excocti. Hoc propter, recenter exſectus ne improvidè frangatur, vel attactus nitorem perdat, ab inventoribus conſuevit ore recipi & in eo foveri aliquandiu, dum induruerit, mox goſſypio involvi & aſſervari; Aſſervatio nî primis diebus cautè fiat, periculum eſt, ne, adhuc dum infirmior, importunâ contrectatione rumpatur, aut labem recipiat. Generationem fieri conjiciunt, cùm reſinoſa quædam ex herbis depaſtis concoctisque ſubſtantia ventriculorum latera occupat; quæ, egeſtis cibis jejunoque viſcere, in pylorum confluens, circa arreptum calculum, lanam paleamve conſiſtat & coaguletur; Ex primo circa materiam contentam ſtamine, efformandi lapidis figura pendet; cujus anguli blanda compreſſione, quam à cavitate hoſpitii patitur, in pulvinatam cogitur lævitatem: niſi etiam rotunditatem obtineat ex motu, tum fermentantis alimenti, tum viſceris periſtaltico, qui eum continuò agitabat; dum interim, acceſſione novi glutinis, lamellis aliis atque aliis per intervalla temporum augetur, & in aliqualem molem accreſcit. Raro hîc plures uno uni innaſci beſtiæ dicebant; ſi contingat, parvos eſſe: quales mihi à ductore datos dixi geminos, repertos à ſe in uno ventriculo. Bezoarticum tunicatum *Cl. Domini Pomet. hiſt. de drogues L.* 1. rarioris exempli eſſe judico, qualia etiam de calculis extant, repertis in veſica humanâ. De virtutibus lapidum quid tenendum ſit, ex dictis quodammodo pateſcit: nimirum, eximias Perſarum judicio poſſident illi, qui originem debent plantis alexipharmacis montium;

exiguas, qui herbis inodoris & campeſtribus. Signum ex colore ducunt, & viridantes, cœruleos, vel in alterutrum colorem nigricantes, ex præſtantiſſimis herbis genitos & virtute efficaciſſimos prædicant; pretioſiſſimos etiam, ſi forma acceſſerit æqualis & rarior: qualis eſt rotunda, poſt eam, ovata; denique cylindracea. Qui lutei, rufi & diſcolores ſunt, aut qui tuberculis lanam produnt incluſam, eos natura ex viliori luto finxit, haud magnam præſtituros efficaciam. Ceſſat proinde *Ambroſii Paræi* obſervatio, quâ, ad explorandam virtutem lapidis alexipharmacam, reo mortis arſenicum primò, mox pro antidoto lapidis pulverem propinabat, deteriori, quam quisq; expectaverat, eventu: Non enim omnes bezoartici lapides æquè ſunt virtuoſi & alexipharmaci, & qui ſunt, facultatem non tam adverſus venenum minerale, quàm animale & vegetabile exſerunt, quale miſero non fuerat propinatum. Notam legitimi lapidis profitentur, ſi volæ manus cinere aſperſæ, vel cretâ oblitæ affrictus, lineam inducat luteam, vel ex luteo viridantem: Hæc illis Lydius eſt, quo veritatem ſimul ac bonitatem explorant. Acûs candentis admiſſio, quæ Cl. *Joh. Schrodero* placet, fallax bonitatis teſtis eſt: quia, ſi adulterini ex reſinoſa conſtruuntur maſſâ, acum utique admittent; legitimi verò plerique ita indurati ſunt, ut acum candentem reſpuant. Mei certè, quos in natali monte comparavi & genuinos ſcio, vix candentis acûs veſtigium recipiunt, ſed attactu ignis diſſiliunt. Non eſt nota factitii lapidis, ſi interiores laminæ deterioris ſubſtantiæ & coloris fuerint; ea enim ex diverſitate alimenti diſparitas provenit, dum genitrix beſtia locum paſtûs mutat. Pro genuinis ego habeo eos, qui inter reſinæ & lapidis ſubſtantiam ita ambigunt, ut contuſi, in acido nitri vel ſalis ſpiritu diſſolvantur, ac menſtruum colore ſatis rubente ſimul ac virtute ſuâ imbuant; quâ ratione ex iis paro liquorem bezoarticum; cujus paucas

cas guttulas cum aquâ Cinamomi, Julapio, aliove vehiculo commodiſſimè exhibeo. Virtutes lapidi eaſdem Perſæ, quas noſtri tribuunt; quin facultatem etiam declinandi morbos, & prolongandi vitam, ſi à bene ſanis ſub auſpicio faventis aſtri aſſumatur. Multis hinc ſolenne eſt, ut ſub ipſo anni ingreſſu (quo cœlum creditur proniſſimô vultu mortales aſpicere) modicam pulveris doſin confidenter aſſumant; perſuaſi, hoc remedio radicale vitæ humidum, quod dicunt, foveri in annum poſſe. Ceterum uſus in curationibus apud hujates medicos non æquè creber eſt, quàm apud noſtrates; margaritas ſubſtituunt, ubi nos lapidem præſcribimus. Nec enim in Pharmacopœiâ *Muſaffr ibn Mahhammed el Hoſſein*, quæ illis, prout Germanis *Auguſtana*, in uſum recepta eſt, ullam invenio compoſitionem, quam bezoarticus lapis nobilitet. Interim tamen digniori in loco eſt apud ipſos, quàm apud Europæos. Vix incidi in hominem alicujus nominis, qui rariorem lapidem inter cariora ſua non aſſervaverit. Pretio lapides hîc conſtant admodum caro, ſiquidem ſelectiori formâ & colore gaudeant. Ex his, qui unius مثقال *Meſcaal*, ſeu drachmæ, pondus obtinent, à gemmariis تومان *tumano*, ſive quindecim uncialibus veneunt: quod verò pretium, exemplo unionum, diſpari aſſurgit proportione ponderis, ita ut omnem aliquando æſtimationem exſuperet. Ex lapidis raritate & pretio facilè colligimus, bezoarticos, quibus in pharmacopœjis Europæi utimur, non eſſe Perſicos, vel ex eorum numero, qui à capris bezoarticis *Paſèn* nomen ſortiuntur, ſed vel ex aliis animalibus, vel ſub alio cœlo degentibus, depromtos & ſuppoſitos.

Ad hanc claſſem refero illos, qui in capris آهو *Ahù*, quanquam râriùs, inveniuntur; plerumque lutei, rufi & diſcolores, ſæpe tubere uno vel gemino bullati, inæquales

Lapis Bezoar illegitimus: ex capris Ahù;

les & informes, minoris adeoque virtutis & pretii. Ipſum animal (*vid. in Fig.* §. *IV. num. 2.*) à cervis nihil habet diſſimile, præter barbam & cornua non ramoſa, quibus ſe caprino generi adſociat. Cornua ſunt ſimplicia, atra, rotundis annulis ultra mediam usq; longitudinem diſtincta, lævia & quaſi ad modulum tornata; in mari quidem ſurrecta, pedalis longitudinis, in medio levi arcu disjuncta, faſtigiis rectis, mutuò utcunque imminentibus; in fœminâ verò, præparva vel nulla.

ex variis Indiæ cornigeris; Inter ſuppoſititios etiam numero, exemtos ex variis brutis ſylveſtribus Indiæ orientalis: quale ex caprina claſſe eſt animal, quod bezoarticum vocat *Bontius*, à ſe viſum in arce Bataviæ. Ego ſimile vidi in areâ præliminari ejusdem arcis; quod verò ab *Abù* Perſico nihil differebat, niſi quòd maculæ candidiſſimæ, more tigridum, totum corpus pingerent: qualis etiam decor venuſtabat duas capreolas, totidemq; platycerotes, eidem areæ velut vivario incluſos. Ex his & ſimilibus cornigeris montium Indicorum, præſertim eorum, qui verſùs ſeptentrionem Malabariam claudunt, & ad promontorium *Comerein* protenduntur, ſequioris conditionis lapides, vulgo *bezoar* dicti, copioſi eximuntur, & in manus Europæorum, illic viventium, non rarò confluunt. Chirurgus in illo littore diu moratus, lapidum, quos ſucceſſivè coëmerat, integram libram venalem mihi offerebat; ſed quos inter nullum reperi, qui genuini Perſici bonitatem colore ſimul ac figurâ exprimeret. Huc ſpectat Lapis omni Indico ac vulgari Perſico præſtantior, recepto à Luſitanis nomine

ex Simiis; *Pedra bugia*, i. e. *lapis ſimiæ* dictus. Venditatur pro calculo, qui in ſimiæ capite naſcatur; ſed lamellæ, ex quibus compactus eſt, & omnis cum bezoartico ſimilitudo ſubſtantiæ teſtatur, quòd in ventriculo genitus ſit, & interpolata materiæ appoſitione, ſucceſſive accreverit, non aliter ac bezoartici quivis alii. Genuini nota creditur, ſi alterutrum

trum vel utrumq; latus compreſſum obtineat. Simia hæc ab Indis Mogolibus vocatur انتر *Antar:* vulgari dicitur multò eſſe robuſtior, & capite prægrandi donata; fortaſſe rectè eam vocaveris *Babianum cynocephalum.* Lapis ex ceteris ſolus à magnatibus nigritis in pretio habetur & curioſè aſſervatur. Aſſervandi modum adjiciam: Materiam habent omni ſubere leviorem ac ſubtiliſſimam, firmam tamen, & pro ſcopo ſatis idoneam: lignum, medulla an cortex ſit, explorare non potui. Ex illâ cylindros formæ doliolorum ad requiſitam ſculpunt magnitudinem, quos per mediam longitudinem diviſos, utrâque facie excavant, ut pro arculis, ſeu conditoriis, rerum minutarum ſervire valeant. Clauſuram annulus conſtituit, unus vel geminus, ex viminibus plantæ *Rotang* contextus, qui doliolo inductus partes ſibi junctas retinet, ne dilabantur. His capſulis nigritæ incluſos cuſtodiunt hos lapides, goſſypio priùs obvolutos, tum ſerpentinos quoque, & quicquid pretioſi à læſione munire volunt. Unum ſic reconditum poſſideo, coloris atro ſpadicei, figuræ ovatæ, alterâ facie compreſſâ; pendentem in lance drachmas duas cum granis paucis: quem, præter rariora alia, dono mihi in *Regiâ Siamenſi* dedit Nob. Dn. *Wagenfeld*, Adjunctus inibi reſidentis Belgici negotiorum Præfecti. (*Fig. vid. p. 396.*)

Hic poſtremò nominatus (nomen illi erat *van Horne*) ſan- *ex Porcis;*
ctè mihi retulit, nonnunquam bezoarticos reperiri in ventriculis porcorum; idem domi ſuæ eveniſſe, dum in inſulâ *Bandâ* habitaret; recenter exemptos ſe deprehendiſſe molliores & friabiles: nam priorem lapidem, cum depoſitus eſſet in molli ſubſellio, imprudentiâ inſeſſoris pueri protinus diffractum & quodammodo conquaſſatum fuiſſe. Hos igitur inter ſuppoſititios Orientis collocabimus. Porcinorum meminit quoque *Boët à Boot* l. 3. c. 180.

Hircos huc cito domeſticos, quos paſcit Batavorum *ex capris*
Inſula prope *Ceylanam*, ſub ditione *Jafnapatàm*, à pri- *domeſticis;*

mis occupatoribus appellata nomine *Ilha de Vacas:* in quibus Lapidem non rarò inveniri teſtis eſt *Garzias ab Horta* arom. Hiſt. & *Baldæus* in deſcriptione Malabariæ. Narravit mihi Dominus *Clavius*, Jaſnapatami quondam nunc Bataviæ ſacerdos, omnium quidem, quos ego in Indiis novi, religioſiſſimus pariter & curioſè doctus, ſe, dum Inſulam frequentaſſet, didiciſſe, ex triſti ingreſſu & macilento habitu corporis, protinus dignoſcere & indicare ferentes lapidem; ac factâ aliquando ſponſione cum Gubernatore loci, ex tribus indicatis ſaltem in uno rem cecidiſſe ſecus. Unde credebat lapidis bezoar generationem evenire in ventriculo, ex vitio concoctionis; prout etiam in renibus humanis, partibusque aliis, niſi vitiato viſceris fermento, calculus non concreſceret.

Factitii. Adulteratos huc refero, quales *Primeroſius* Lutetiis tam affabrè factos vidit, ut eos ab aliis, qui ipſe fecerat, dignoſcere, niſi ſigno appoſito, non poſſet. Hos *Chriſtophorus à Coſta* refert, tanto artificio componi in *Ormus*, ut à legitimis, niſi frangantur, vix diſcerni poſſint. Ego hîc tam curioſos operum artifices in totâ Provinciâ non inveni. Audio, otioſos ſpadones, in gynæceis magnatum, hujus ſceleris ſuſpectos haberi; & memini ab iisdem mihi in itineribus venales oblatos fuiſſe aliquoties, ſed admodum caros, quos ego ob exactiſſimam rotunditatem & ſuperficiem ſplendidiſſimam, quam nulla notabat labecula, manufactos fuiſſe, ſaltem ſuſpicatus ſum. Illi lapides, quos *Tulpius* & *Beverovicius* humano cadaveri exemerunt, bezoarticis ſimilimos; aut quos ab equo quotannis excretos *Mindererus* vidit, rarioris exempli ſunt, nec inter Aſiaticos nominandi.

§. IV.

Balſamum nativum montis Bennà.

قُدْرَتِي بِنَّاه *Kodreti Bennà*, ſeu *Balſamum nativum montis Bennà*, ſ. *Bonnâ*, anticolicam Bochonenſium medicinam,


1
1
2
2
Paſen
4
Kaſtaar
3
4

cinam, paucis quoque examinabimus. Id pharmaci genus, cùm venum aliquoties obtuliſſet venator, depromptum, quod dicebat, ex arcano deſerti montis loco, ſociis cognito ſaltem duobus; qui,ne concivibus indicarent,ſacramento ſe obſtrinxerant. Ego non tam poſſidendæ rei, quàm videndi natalis loci cupidus, virum pecuniâ (quâ omnia hoc cœlo ſunt venalia) facilè conciliavi, ut revelaret, & mercede etiam conduxi, ut nos eò perduceret. Primo igitur diluculo aſinos conſcendimus, & per ſaxorum impedimenta, viâ quidem toties calcatâ, luctamur in planitiem prædicti montis Bonnà. Planitiem hanc qualemcunque, editiores utrinque limitabant rupes abruptæ; inde à pago noſtro continuâ ſerie productæ, intervallo diſſidentes quadrantis leucæ. Harum quæ ſiniſtram reſpicit, ab antro balſamino vocabatur كُوهِي عَرَق *Kuhi aràk*, id eſt, mons ſudoris, ſc. balſaminei, quæ dextram, كُوهِي بَرف *Kuhi berf*, vel ut per metatheſin hîc loquuntur, *Kuhi beſr*, i. e. mons nivis, videlicet à conglaciatâ nive, quæ ibi in ſcrobibus, ſub præſidio eminentis petræ, perennis jacet, cœlo à rigido polo quidem remotiſſimo. Aëris hìc ea temperies eſt, quæ dormienti umbram arboris ingratam reddiderit ipſo meridie; cum in aprico tamen radii ſolares moleſtiam parerent. Montium totus hic inhoſpitalis tractus eſt,qui leopardis, urſis,hyænis, lupis aureis,hyſtricibus (capricervas & feras vulgatiores taceo) ubiq; indulget luſtra & luculentum vivendi pabulum: de quibus infra dicemus prolixiùs. Plantis ſolum dotatur paſſim fragrantibus, ſaporis aromatici & eximiæ virtutis; in quas verò, ne Relatio nimiùm protrahatur, calamum hoc loco non ſtringemus: Sufficiat monuiſſe, præter Cedro-Sabinam utriusque ſexûs, quæ hîc copioſiſſima & ad Ceraſi altitudinem latiſſimè frondeſcit, nullam magis

luxu-

luxuriare quàm arborem بن ſeu ون *Ben* ſive *Wen*, id eſt, Terebinthum, ſive Piſtaceam ſylveſtrem; ex quâ mons ipſe, voce depravatâ, كوهي بنّاه *Kuhi Bennà* v. *Bonnà*, id eſt, mons Piſtacearum ſylveſtrium nomen ſortitus eſt. Ad ſpeluncam igitur. Eam qui adire volunt, notant partem culminis depreſſiorem, in quam crepido utrinque deficit, (*vide in Tab. num. 5.*) per eandem etiam tranſitus eſt in ulteriorem plagam, prout ſemitæ teſtantur veſtigia. Inde ſiniſtrorſum, ſecus rupem, octingentis circiter paſſibus regreſſi, Sabinam obſervant in ſummo culmine, & loco aliquot orgyjis depreſſiori, fruticem quodammodo pendulum, ſub quô ipſe patet obſcurus & anguſtus antri aditus; (*vid. in Tab. num. 6.*) cum inde, ad teli jactum, paludoſa vireat areola, inibi ſcaturientem exhibens aquam limpidiſſimam. His non apprimè obſervatis, ob ſinuoſam rupis conditionem & ſoli ſalebras, locum non inveniunt. Ipſa ſpelunca obliquè rupem dividit, anguſta, ſeſquiorgyjam alta, duas ſupra dimidiam longa. Petra ejus, ex albido in flavum pallens, ſolida & dura eſt, ſine conſpicuis poris & ſulphure. Cavitas interior eſt ſinuoſa, aſpera, intranti cautibus hinc inde protuberantibus infeſta. Unum inſigne tuber implebat mediam cavitatem, ne ad finem niſi cum difficultate & offenſione proriperem. Omnem pene ſuperficiem, præſertim ad dextram, ſuccus noſter obſidebat: ſub introitu paucus, ſiccus & firmiter adhærens; in proceſſu modicus & humidior; in fine copioſus & liquidus, paulò tamen quàm rob Sambuci ſpiſſior. Accedenti denſum occurſabat examen muſcarum puſillarum, quæ fauces, oculos, nares improviſo opplebant, ſuffocaturæ, credo, niſi receſſiſſem; ingreſſum tentare non auſus, priusquam eas iterato ſtrepitu penitus evocaſſem. Antro dimidiam horam, invito licet ductore, immoratus, cochleari meo & ligno cuſpidato libram

Fff pau-

paulò minùs integram, ob loci tenebras & anguſtiam moleſtè corraſi, ſpoliumque, pyxide reconditum, mecum reportavi ex ſpelæo. Balſami hujus color niger eſt, ſubſtantia quaſi mucoſa, aquâ facilè ſolubilis, inodora & pene inſipida; uſus eſt ruricolis diſtrictûs *Farchonaad* hactenus non alius, quàm ut bolum drachmæ unius, vel duarum, deglutiant, ad diſcutiendam colicam & ventris qualiacunque tormina. Virtutem ut igne explorarem, particulam balſami prunis injeci, quæ fœtorem ſpiravit urentis cornu ſimilem. Retortæ commiſſa trium unciarum portio, primò modicum phlegmatis, deinde ſpiritum ſub nebularum formâ, ac poſtremò olei ſpiſſi, atricoloris, inodori, acerrimi drachmas mihi reddidit quatuor. Ex capite mortuo elixato ſal fixum copioſum, nitroſi ſaporis, obtinui, ut petram oculatus examinarem, avulſi etiam librarum aliquot fragmentum, quod ſpelæo laxiùs adhærebat. Id, cum inter curioſa ſcruta depoſitum, extra meum conſpectum lateret, inſpectio neglecta eſt. Biennio poſt, recluſâ thecâ, lapidem, quem deterſum & probè ſiccatum recondideram, nunc atro ſucco oblitum humentemque invenio: quô iterum ſtudioſè abluto & repurgato, obſervavi partes quasdam poroſas, quodammodo ſulphurei coloris; intra quas materia poſt primam abſterſionem effuſa, latuiſſe potuit.

Feræ montis Bennà.

§. V.

In ſuperiori paragrapho inter memorabilia montis noſtri feras nominavimus: quarum conditionem breviter hîc exponemus.

Leopardus.

پلنگ *Paleng*, ſive *Leopardus;* nota ſatis eſt beſtia, nec aliâ hoc loco notatione indiget, quàm quod Africanô & Orientalis Indiæ multò ſit manſuetior, nunquam homini nocuiſſe audita, ſaltem infeſta capris, ovibus & aſinis, ſine cuſtode errantibus. Adeo cœli hujus benignitas etiam brutorum aſperitates corrigit.

خرس

خرس *Chirs, Urſus;* montium civis eſt, minor Europæô, ferociæ expers, cicurari patiens. Iſphahani vidi duos, qui ſine inſpectore per urbem vagabantur, prandentibus moleſti, niſi buccellam acciperent; verberibus, quòd Regis eſſent, non abigendi. *Urſus.*

كفتار *Kaftaar*, i. e. *Taxus porcinus*, ſive *Hyena* veterum, (*vid. in Tab.* §. 4. *num.* 4.) Animal eſt porci, ſeu ſcrofæ grandioris, magnitudinem ejusdemque formam corporis obtinens, ſi caput, caudam & pedes excipio. Pilis veſtitur longis, incanis, in orâ dorſi, porcino more, longioribus, pene ſpithamalibus, apicibus nigris; caput habet lupino non diſſimile, roſtro nigro, fronte longiori, oculis roſtro propinquioribus nigris & volubilibus, auribus nudis, fuſcis & acuminatis; caudâ donatur prælongâ, villis denſis longioribus veſtita, circulisque nigricantibus ad decorem intercepta. Crura in orbem quodammodo variegata, poſteriora prioribus ſunt longiora; pedes in quaternos ungues diviſi, quos lupino more contrahit, ne videantur. Corpus habet ſtriis à dorſo ventre-tenus pictum paucis, latis & inæqualibus, alternatim fuſcis & nigris. Ignota hæc Occidenti fera eſt, quam ex convenientia appellare poſſis Lupum porcinum, vel ſatius Taxum porcinum, de cujus exiſtentiâ dubitat Cl. *Rajus in Synopſ. quadrup. p.* 185. Ad lupum capite, nec abſimili caudâ pedibusque, tum rapacitate & agilitate corporis accedit. Porcum totus corporis habitus, magnitudo & compreſſa ventris figura exprimit. Cum taxo ingenium convenit; mirâ enim vi terram effodit, cavernisque abditum ſe illatebrare amat, diu ſine cibo vivit, & raptu victum quærit: addo, quòd & crura anteriora poſterioribus habeat breviora, & villis tegatur ferè ſimilibus. Ex ceteris attributis palmarium eſt, quod ferox & carnivora ſit beſtia, quippe in humana ſæviens cadavera, quæ noctu ex tumulis *Hyena.*

 impi-

impigrè effodit, cœmeteriis infeſtiſſima. Hanc in demortuos ſævitiam, cum *Plinius* ceterique veteres Zoographi in deſcriptione *Hyænæ*, feræ recentioribus ignotæ, potiſſimam conſtituant notam, non dubito affirmare, taxoporcum noſtrum veram eſſe hyænam veterum, quamvis reliquæ, à Plinio Lib. 8. c. 30. relatæ proprietates perquam monſtroſæ eidem minùs conveniant. Quis enim in deſcriptionibus Plinianis omninm circumſtantiarum veritates exigat? Hyænam marem Iſphahani curioſitatis causâ alebat dives quidam *gabr*, ſeu ignicola, ſuburbii *Gabriſtaan*, captam, dum ubera ſugeret, in latibulis vicini montis. Ad eam ſpectandam, dum in Regiâ morarer, cum Cl. *Jagero* meo progreſſus, beſtiam eo ſitu depinxi, quô in foveâ ſubdiali duarum orgyjarum profunditatis (cui incluſa ſervabatur) cubantem inveni. Deſiderio noſtro poſſeſſor omni ex parte ſatisfacturus, eam educi quoque curavit in aream; quod ut tutò fieret, demiſſo fune roſtrum priùs illaqueabat; mox deſcendentes ſervi protracta utrinque labra funiculo, ex pilis contorto, ſtrenuè colligabant. Hoc facto, educitur, laxatoque fune, qui roſtrum frænabat, beſtia latiùs diſcurrere permittitur, non ſemel apprehenſa, more athletico, in terram projicitur, ac variis laceſſitur vexationibus. Quibus illa, irrito nocendi niſu obluctata, ſubinde mugitum edidit vitulino ſimilimum. Narrabant *gabri*, ſic frænatum nuper ſe oppoſuiſſe duobus leonibus, quos, adſpectante Sereniſſimo, in fugam verterit. Fœminam eodem modo ſervari dicebant apud concivem; â quâ videndâ nos detinebat officioſa hoſpitis noſtri humanitas, Kirmanenſe vinum, ab ignicolis elaboratum, largiter propinantis. Clariſſimus *Ludolfus* in Abyſſinâ ſuâ crocutæ ſpeciem quandam, *Geſnerus* in H. A. nec minus, ſi rectè memini, *Jonſtonus* & *Aldrovandus*, Papionem pro hyæna ſubſtituunt. Noſtrâ conjecturâ nomen Taxo porcino competit.

Lupus

Lupus aureus, شغال *Sjechaal* Perſis, inde Anglis *the Jackcal*, & Belgis den Jakhals / ex hodœporicis nota ſatis eſt beſtia, cum pene omnem Orientem inhabitet. (*vid. in Tab.* §. 4. *num.* 3.) Aſtuta, audax & furaciſſima eſt, quam ex corporis figurâ non minus, quàm ex genio non incongruè lupi vulpem vocaveris: interdiu circa montes latet, noctu pervigil & vagus eſt, & catervatim prædatum excurrit in rura & pagos. Ex ipſis papilionibus, quos circa littus Caſpium expanderamus, (nuſpiam copioſores inveni) ocream, calceos & alia ex corio facta nobis abſtulêre; quorum quæ graviora erant, non longè à dormitorio abducta, recepimus. Ululatum noctu edunt execrabilem, ejulatui humano non diſſimilem, quem interdum vox latrantium quaſi canum interſtrepit; unique inclamanti omnes acclamant, quotquot vocem è longinquo audiunt. *Lupus aureus.*

سيخور *Sichuur*, i. e. *hyſtrix*, fera eſt, à plurimis deſcripta auctoribus. *Hyſtrix.*

§. VI.

De *Terebintho*, ſeu Piſtaceâ ſylveſtri, unde mons denominatus, pauca adjiciemus. Ea Piſtaceæ hortenſi, quam *Theophraſtus* Therebinthum Indicam vocat, tum magnitudine, tum totius ac partium figurâ perſimilis eſt, niſi quòd floſculos ferat fragrantiores, nuces verò præparvas, inſipidas; unde à deſcriptione botanica abſtinemus. Copioſa creſcit in receſſibus montium brumalis genii, petroſis ac deſertis, circa Schamachiam Mediæ, Schiraſum Perſidis, in Luriſtano & Larenſi territoriis. Mihi nullibi conſpecta eſt copioſior quàm in petroſo monte circa *Majin*, pagum celebrem, unâ diæta diſſitum Sjiraſô: in quo mihi duplicis varietatis indicarunt arborem; unam vulgariorem, quæ generis ſui retineat appellationem درخت بن و ون *Diracht Ben* ſeu *Wen*; alteram rariorem

rem, in ſpecie كَسُودَانٌ *Kaſudaan*, vel, ut ruſtici pronunciant; *Kaſudèn* dictam, quæ à priori fructuum rubedine differat. Ego, menſe Decembri transvectus, differentiam non obſervavi, quòd præter folia alata (hoc cœlo vix perennia) ſaltem in pauciſſimis fructus invenerim, eosque marcentes & rariſſimos, pericarpio donatos vinoſi ſaporis, nucibus verò caſſis. *Pila terebinthi balſamica.* Obſervavi in quibusdam arboribus notabilem extuberationem, extremis ferè ſurculis ſine pediculo adhærentem, magnitudine quæ pugnum implebat figurâ rotundam, ex pluribus tuberculorum ſpiris, ad inſtar criſtæ galli gallinacei concretam, carmeſino colore gratioſè nitentem, & aſpectu elegantiſſimam. Subſtantia erat duriuſcula, quodammodo fungoſa & fragilis, intus albicans, ſucco dotata lento fragrantiſſimi odoris, planè qualis eſt Opobalſami veri, quod ex Meccâ obtinui. Utrum hæc pila ſaltem habenda ſit pro ἀπόφυσι, quæ promiſcuè terebinthis, ſive omnibus, ſive hôc ſaltem loco creſcentibus, ex fundi genio adnaſcatur, an verò pro varietatis charactere, à monticolis meis nomine fructuum deſignato, reputanda ſit, idiomatis tunc parum gnarus, nec niſi in Turcico verſatus, explorare haud potui. Uſum præſtat Majinenſis Piſtacea non contemnendum: quandoquidem accolæ liquorem terebinthinoſum, qui, vel ex arbore ſauciatâ prolicitur, vel ex rimis nodisque ſtirpium putreſcentibus, æſtuante Syrio, ſponte promanat, copioſum excipiunt: coriô & pellibus ſubligatis alii, alii luto ſubducto in formâ nidi hirundinini. Exceptum hunc liquorem in ipſo monte, vel qui prope habitant, domi ſuæ, ſine adfuſâ aquâ, parum lenteque coquunt, antequam ebullire incipiat effundendum; ita refrigeratus colorem & conſiſtentiam referet picis albæ ſutoriæ. Coctione inquam brevi opus eſt, ad ſpiſſationem: nam ut ipſa Terebinthus cum Lentiſco maſtichifera valde cognata eſt; ita verò ipſa, quam fundit, terebinthina ex

ex loci hujus genio de maſtichinâ indole plurimùm participat; quod præter conſiſtentiam & candor pelluciditatis expers, & ipſe quoque ſuffitus teſtatur, dum prunis injicitur. Spiſſationem quin crederet *Renodæus*, clariſſimus ſui temporis de re pharmaceuticâ Scriptor, perſuaderi haud potuit: *Vix*, inquit, *ſuſpicor, nonnullos adeo eſſe mentis inopes, ut terebinthinam coquendo deteriorem reddant, & à longinquis regionibus adferant; terebinthina enim qualiscunque fuerit, ſemper pluris emitur, quàm ea ipſa reſina, induſtriâ qualibet concreta.* Mat. Med. L. 1. §. 8. c. 3. Neſciebat auctor, uſum terebinthinæ liquidæ illic, quò inſpiſſata adfertur, ignorari, & per cautes & montium receſſus difficilimè & vix ſine jacturâ transportari poſſe, & in urbes tandem delatam, emptores non invenire, ſecus ac ſi inſpiſſata fuerit. Uſus, quod ſcio, inſpiſſatæ non eſt alius, quâm ut pro maſticatorio ſerviat, quo mulierculæ citra Indum maxillas ſine intermiſſione exercent, ut ægrè, ſi ei adſueverint, carere hâc reſinâ poſſint. Dicitur lympham proliciendo catarrhos tollere, albedinem & firmitatem dentibus conferre, appetitum ſufflaminare, ac gratum ori conciliare halitum. Proſtat ubique in officinis & myropoliis Turcorum, Perſarum & Arabum, ſub *Sakkìs* Turcico, & *Konderuun* Perſico nominibus; vel etiam ſub appellatione سَكَز شيرين *Sekkìs Sjiriin*, i. e. Sekkis dulcis, ad differentiam لُبَان تع *Lubaan* Arabis, ſeu كُندُر *Kondür* Perſis ſic dicti Thuris ſive Olibani, quod ex مُخا *Mochà* huc delatum vulgò appellatur سَكَز تَلخ *Sekkìs talch*, i. e. Sakkis amarum. Majinenſes ruſtici referebant, ſe unum reſinæ مَن *man* (libras Belgicas novem) petentibus vendere unico *Sjahì* (groſſis Marianis quatuor), liquidam minori pretio daturi. Accolæ montis *Bennà*, ex ſtipite vulnerato terebinthinam prolicere neſciunt: ipſa verò

verò ligna comburendo, reſinam extorquent, quoad nigredinem pluſquam ſpadiceam acquiſiverit toſtam, quæ pro coloris ſpecie ſervit pictoribus. Eſt enim dura, friabilis & ſplendida, quæ inſtar gummi Guttæ, vel Sanguinis draconis, aquâ dilui ac temperari patitur. Proſtat in officinis ſub nomine سیاه بنّه *Sijah Bennà*, i. e. nigredo montis, vel arboris, Benna; vel ſub dubiæ appellationis vocabulo رنگی سولاه *rengi ſulàh*, id eſt, coloris *ſulah*. Fructuum quoque uſus eſt: Hos immaturos unà cum racemulis, quibus inhærent, aceto ſaleque condunt, ut fiat *Atſjaar*, ſive ſalſamenti genus, menſâ ſecundâ inter bellaria apponendum. Familiare ferculum eſt Armenis, in obſervatione ſui *paris*, ſive jejunii, quo ſe hi Chriſtiani crebrò macerant. In Caucaſiis circa Caſpium conditi, quòd nucleis dotentur pinguioribus, in mediterraneo creſcentibus præferuntur. Alia extat in deſerto چاسک *Tſjaask* (capo de Jaques) Piſtacearum ſylveſtris ſpecies, Perſis *Bergjès Piſtàì* dicta, cujus nuces ad aſſem hortenſibus ſimiles, interdum majores ſunt; nuclei verò ob amaritudinem mandi reſpuunt, niſi coctione cum aquâ dulci elixentur. Ex his nucleis venale in officinis proſtat oleum expreſſum, quod tumoribus duris, articuliſque dolentibus inductum, illos emollire, his inſigne præſtare levamen dicitur.

Reditus ex Bochuno Gamronū.

§. VII.

De monte ſatis. Ex Bochuno in Caramaniam diſceſſeram, inde progreſſurus ultra, cùm à Prothalaſſo, Generoſo Dn. *Lycochthone*, miſſo hemerodromo, ad officium revocor. Quid in novo excurſu ſpectaverim, non eſt hîc referendi locus: Saltem ex Bochono remeanti, quas in devio natura Thermas objecerit memorabiles, brevibus recenſebo.

Bochu-

Bochuno exceſſimus Auguſti decimo ſexto, qui erat Veneris poſt meridiem. Comes fuit agaſonum turba, quæ butyrum, farinam, præcoces uvas & juglandes vehebat, Gamronum deſtinata. Pernoctavimus in aſcenſu ſaxoſo ad ſaltum fontis, ſub præruptâ rupe; ex quâ ſubinde audivimus lapidum cadentium tumultus, facilè horrorem ſilenti nocte incuſſuros, niſi conſtitiſſet ſociis, id evenire diſcurſu tigridum, quas odor jumentorum alliceret.

Die decimo ſeptimo ob impedimenta ſeriùs egreſſi, meridiavimus in faſtigio montis *Bennà*; in quo ſomnum ſub Sabino altâ capiens, ægrè incalui, quamvis geminô tectus gauſape; tantus umbræ algor erat, cum in aprico tamen arderent ſolares radii. Poſt meridiem deſcenſum montis remenſi ſumus, usque ad vallem editam *Saaki paiin*; quam multo veſpere aſſecuti, ſubſtitimus in altâ ripâ fluminis, declive ſaxetum ingenti ſtrepitu decurrentis. Noctem ſub dio ſuaviter tepente, variè fefellit nequam colluvies agaſonum: pars nimirum excurrebat in hortos ad ſuffurandum mala granata & quicquid præcocium obveniret; pars otioſa remanens ſermones miſcebat obſcœniſſimos & à Chriſtiano homine deteſtandos. Quos ego maledictos cùm appellarem, & in noſtrate Republicâ igne expiandos; unus agaſonum reſpondit: *Vobis igitur Chriſtianis, ſi in Provinciam noſtram jus foret, brevi ligna deficerent.*

Die decimo octavo ſolus prægreſſus ſum in vallem ſub *Kuhi baas*, in eâ præſtolatus comitatum, tardiùs inſequentem. Hæc me vallis ut in acceſſu recreaverat algore & amabili poſitu, ita nunc etiam ſatiavit fructibus, quos ex ficubus legebam ſponte naſcentibus. Poſt meridiem montanæ auræ longum precati vale, nos demiſimus in campos planos æſtuoſiſſimosque, cadente ſole aſſecuti pagum *Sijabù*, mirè tum in excutiendis palmetis aſſiduum;

in quo culicum ſonora & mordax turba nobis multas faceſſivit moleſtias, & feſſis totam inſomnem noctem præſtitit.

Thermæ Sergà. Duabus hinc paraſangis abeſſe dicebantur *Thermæ Sergaa* dictæ, ad quas progredi conſtitueram; ſed negabant palmicolæ, tanti eas haberi, ut inviſantur, cùm longè ſint ſaniores & celebriores, quas viſurus ſim in devio, ultra pagum *Churchù* (*Gurgù*).

Die decimo nono, longè ante diluculum, viam ingreſſi ſumus flexuoſam, & aliam, quàm in acceſſu. Hæc diu delirabat ſecundum amnem ſupra nominatum *Rudchoneh Sjuur*, quem ſæpè vadavimus; nam per terræ ſuperficiem vago raptu fluebat, nullo littore reſtrictus. Pagos minores prætergreſſi ſumus *Takgiſtuun*, *Bewadekuun* & *Rudiſjiir*, & palmeta pauca in deſerto obvia; exactâque dimidiâ ſupra geminam paraſangâ, obtinuimus ſtationem *Peſſer* dictam, in loco ſalſo & valde ſterili. Hanc conſtituebat aqua pluvialis, ſtagnans inter rupes fuſcas, ſalebroſas & ſqualidi aſpectûs; ipſa aqua, ſole toſta, ſaporem referebat ſubamarum, colorem fuliginoſum & ingratum: quale tamen aſininum nectar avidè etiam bibebant homines. Hinc, viâ & comitatu relictis, cum duobus ductoribus ad Thermas lævam verſus deflecto, ſed quòd ſemitam frequens petra interciperet, modò ex auſtro in orientem, modò ex eodem cardine in occidentem divagatus; donec abſolutis milliariis duobus cum dimidio, vel quod eodem recidit, paraſangis tribus, multa me nox ſiſteret in littore cujusdam aquæ *Seminù* dictæ, cujus conditionem in tenebris non obſervavi.

Die vigeſimo primo ante diluculum excitatus, per planitiem ſterilem & ſaxoſam duas circiter paraſangas vehor ad famoſum palmetum, cui præterlabens flumen nomen tribuebat *Kellemù*. Dextram hodie perpetuò clauſit mons præ-

præaltus *Niuun*, pene ad ipſas thermas comes nobis adfuturus. Vigor ſolis, ſaltem ante horam orti, juſſit nos in horto ſubſiſtere. Et ſanè merebatur moram gratioſus loci ſitus, inter duos hîc confluentes rivos dulces, limpidiſſimos, unum majorem modò nominatum, qui palmetum à monte dividebat, alterum, qui idem claudebat in transverſum. Montis incumbentis & rupium circumſitarum facies erat ubique candidiſſima & aſpectu perquam venuſta, quorum radix abrupta paſſim umbroſas exhibebat latebras, præterfluentis undæ allapſu mirè algentes & gratioſas. Hortus ipſe curioſum laudabat poſſeſſorem, qui eum ante annos viginti ſelectiſſimis palmarum ſpeciebus, hinc inde laborioſè conquiſitis, conſeverat, eundem nonniſi æſtivis menſibus inhabitans. Brevi poſt meridiem, exantlatâ unius horæ procellâ ardentiſſimâ, ſecus prædicti montis rivique tractum equitavimus, primò in orientem, mox vertente monte in meridiem, denique eodem duce in auſtro-occidentem; & ſuperatis tandem paraſangis tribus, innubi ſudo peruſti ac ſqualidi intravimus pagum *Churchù*, diſperſis ædiculis ſpatioſum. Diverſabantur homines non in ædificiis ſuis, ſed ſub umbraculis frondeis, quæ, pro magìs temperato ſpiritu captando, in collium proximorum faſtigiis locaverant, ibidem in tractandis dactylis infernè deferendis occupatiſſimi. Aqua potabilis, quæ circa pagum ex luto rubente parciſſima propullulat, ſulphur redolebat æquè ac ſapiebat fœtidum ac putens, paſſim nitentem in ſuperficie cuticulam præferens. Palmicolarum laboribus diutulè conſpectis, diſceſſimus cum crepuſculo in auſtrum, & utcunque in occidentem, & per planitiem ſterilem, collibus hîc illic exſurgentibus interruptam & ſaxoſam, partim etiam, niſi me nox fefellit, paludoſam, unam vecti paraſangam cum dimidiâ, ante noctem mediam devenimus ad diu deſideratas آب

Thermæ Churchù.

آب كرم خرخو *Aabi germ Churchù,*

ſive *Thermas Churchuenſes*, à pago præfato, tanquam vel magis vicino, vel illuſtriori, ita dictas, ſitas in deſerto, à viis Regiis & hominum frequentatione remoto. Earum priores ſunt ac potiores, quæ ex ſingulari caſu vocantur

Thermæ ſahlaa Kuſteh.

Aabi ſahlaa Kuſteh,

i. e. *Aqua, paſtorum interemptrix.* Hujus origo eſt inter duos parvos montes, quorum remotior mixtam ex ſabulo petrisque molem inconditam exhibet, omnis herbæ exſortem; proximus vix paſſus decem diſſitus radicem præfert abruptam ex argillâ petricoſâ, reliquam partem ſabuloſam, arbuſculis rarioribus conſitam. Solum æquale, ſabuloſum ac ſterile eſt, circa thermas ex petrâ molli argilloſâ quaſi arte ſtratum ac planum. Ipſe fons exiguo patet ſpatio, orâ clauſus in trigonum vergente, cujus maximum latus longitudinem habet paſſuum ſaltem trium; profunditas eſt tetrapedalis; fundus ſabuloſo-lapideus; ebullitio vivax, non tumultuaria, vel ſonora; aqua ob motum apparet turbida, hauſta criſtallo quovis limpidior eſt; ſapor eſt ſalſiſſimus inſtar urinæ vel lixivii. Unicum fons habet effluxum, qui admiſſo liquore alius fonticuli, decem inde paſſibus ſcaturientis, amnem conſtituit trium paſſuum latitudinis & unius ſpithamæ profunditatis, tractu fluentem lento & parùm ſpectabili, donec citra mediam paraſangam abſorbeatur in paludoſo quodam fruticeto, cujus ſtagnantes aquas mei ductores appellabant Thermas, ſive paludes, aſininas. Attentionem meretur, quòd in fonte ſubinde cum undis propullulet materia favillæ ſimilis, natans, leviſſima & candidiſſima, ad tactum unguinoſa, ſaporis ferè expers; qualis etiam thermis *Sergaa* innatare dicitur. Ego collectam ejus copiam reportabam in ampullâ bene obturatâ, ut domi chymicè examinarem, ſed qui me expectabant labores, hujus me operis fecerunt negli-


Mons Ginau
Thermæ Ginau
آب گرم گناو
Thermæ Gurgu 1
Th: Gurgu 2

negligentem. Hæc fontis fuligo in decurſu confluens, ſqamas pariebat ingentes, molles, mucoſas, flori lactis vetuſtiſſimi ſimiles, quæ littori ubique adhærebant, alicubi totum operiebant alveolum. Jucundum erat ſpectare in illarum ſuperficie colores diverſiſſimos, & pro diverſo, ſive loco, quo reſtitabant, ſive gradu ſulphuris putreſcentis, variè ludentes. Nam quæ in proximo tractu ad centum ferè paſſus ſtagnabant, colorem præ ceteris referebant album & murinum; ad totidem circiter paſſus, album, flavum, viridem & ex luteo phœniceum; ulterius, ubi aqua algeſcebat, fuſcum & nigricantem. Fundus alveoli craſſô mucô obductus eſt, littorumque ſinûs nonnulli cruſtulas ſalis exhibent. Odorem thermæ ſpargunt perquam ſulphureum & fœtentem, præſentibus tamen haud graviorem, quàm inde remotis dimidium milliare; unde per invium deſertum accedentibus nobis pro duce fuit. Aquæ internus uſus quantum valeat, à nemine exploratum dicitur. Uſus omnis externus eſt, dum ſolo inſeſſu & lotione affectus curat graviſſimos, ſi ab egreſſu corpus illico cooperiatur, ne uberè promanans ſudor debito citiùs intermittat. Præſentes thermæ quamvis calore cedant Ginauenſibus, (ſtatim deſcribendis) virtute tamen & præſentiſſimâ auxiliandi efficaciâ eas plurimùm antecellunt. Servus meus cum ante biennium aquæ Ginauenſis uſum fruſtra tentaſſet, hîc biduum commoratus, ab inſanabili cruris ulcere reſtitutus fuerat. Ego meomet corpore præſentiſſimam virtutem expertus ſum; nam in Bochonenſi ciſternâ contractam ex frigidâ laſſitudinem & rigorem tendinum in cruribus, hîc feliciter depoſui, poſtquam unâ nocte tribus vicibus me immerſeram. Inſeſſum non fert niſi breviſſimum, ſummum haud ultra quinque temporis minuta; non quòd calore æſtuet intolerabili, ſed quòd penetrantiſſimâ polleat virtute ſulphuris ſubtiliſſimi, quod fortaſſis humani corporis humores nimium fun-

fundendo, ſpiritus vitales diſſipat. Ego nunquam egreſſus ſum, quin ſudore pene diffluxerim, & ex breviori morâ me corpore animoque alacriorem, longiori vertiginoſum ac languidiorem ſubſenſerim. Ruſtici id me pridie monebant, ne balneo uſurus, diu immorarer, quia ut ægros brevi inſeſſu ſanet, ita longiori ſanos repente exanimet; quod præter alios primus inventor, ovium paſtor, ſuo in thermis fato expertus fuerit; ex quo etiam funeſtum eis nomen impoſitum ſit.

Die vigeſimo primo hinc cum aurorâ moventes, ſemihorulæ progreſſu aſſequimur thermas Churchû alteras, in ſpecie

Aabi baad, *Thermæ baad.*

vel ſylveſtri linguâ *aabi badaa* dictas, ſive à catharris, quos tollant, ſive à ventis ibi æſtuantibus nomen ſortitæ ſint, utrumque enim vox باد *baad* inſinuat. Hæ, undâ prædiviti gratoque tumultu, ſaliebant in ſolo plano, ſabuloſo, ubique ſterili, juxta viam quandam Gamronenſem, ſatis tritam. Situm commendabat vicinus à quadraginta paſſibus mons brevis, abruptus, ſterilis, & hoc ipſo inſolens, quòd ſolitarius ex ſpatioſâ & inoffenſâ planitie conſurgeret. Ciſternæ figura rotunda eſt, diametro patens decempedali, profunditate ad umbilicum & axillas usque; littus purum eſt ac ſabuloſum; fundus ſaxoſus. Aqua apparet nigra, quamvis revera ſit limpidiſſima; ſapor ejus ſalſiſſimus eſt, nequaquam ſulphureus; odor fœtoris expers, vel nullus; caliditas corpori pergrata, tepiditatem non multum excedens; ad quam explorandam diu immoratus fui cum voluptate. Effluxus uber eſt, poſt viginti paſſus in duo divulſus crura, ſingula quinque paſſus lata, quæ per ſabuloſam tellurem puriſſima protendebant ad prænominatas paludes

Aabi Char, *Paludes aſininæ.*

i. e. fontes aſininos ab agaſonibus nuncupatas; ad quas hinc

hinc horulæ intervallo diſſitas, viâ ad dextram relictâ, contendimus. Campus ejus eſt ampliſſimus, ſclopeti ictu latior, in longitudinem, quam vix viſu aſſequebar, productus, Tamariſco frutice, mirè hîc luxuriante, nemoroſus, aquis partim ebullientibus, partim aliunde affluentibus uliginoſus & pene inacceſſus. Tegit plerumque uliginem ceſpitum fallax ſuperficies, & fruticibus innaſcentibus ſoliditatem mentiens, incautos ſeducit in exitium. Hoc ego, ductores tardigrados prægreſſus, tantùm non expertus fui: cùm enim ad liquoris explorandam conditionem cito curſu inveherem, rumpente ſuperficie, partim & ſubſidente, aſinus in lutoſam uliginem tergotenus demergebatur, multamque faceſſebat difficultatem opitulatoribus, antequam extraheretur; nam nec his firma erat ſtatio, nec jumento alia, quàm in ſarmentorum faſcibus, qui ſolutis ſucceſſivè cruribus ſupponebantur. Aqua ejus ex terræ genio rubicunda eſt ac lutulenta, ſale ſulphureque infecta, odorem exhalans ſulphureum fœtidiſſimum. Ubi ſolido margini adflueret, inſervire dicebatur abluendis aſinis & camelis ſcabioſis, qui inde perſanarentur; unde aquæ nomen tributum ſit.

Omnis biduo nobis ſuppeditata potabilis ſaporem exhibuit ſulphureum & putentem, ex cujus tamen largo potu nulla nobis ventris diſtenſio vel difficultas alia ſuborta eſt. Feſtinantes domum, per deſertum montoſum & ſterile vario flexu vagamur circiter in auſtro-occidentem, dum emenſis duo milliaria objiceretur rupes inſolentis figuræ, excelſa, arcta, prærupta, longa, utrâque facie muri ſpeciem gerens, mollioris ſubſtantiæ, & innumeris excavata cuniculis, in quibus nidificabant turtures. Hiatum ejus transgreſſos excepit vaſta planities, ad Sinum maris usque extenſa, à dextra verò procurrens ad montem *Ginau*, vel prævios ejusdem colles hinc paraſangam diſſitos. Magis nunc in auſtrum flectentibus, à medio milliari, vadandum occur-

occurrit memoratum flumen *Rudchoneh Sjuur*, & ulterius eodem tractu milliarium provectis, patuit *Sergù* pagus, palmetis agrisque dives, quem intravimus, cuticulam curaturi ſiticuloſam & ſqualidam, ex innubi & æſtuoſo ſudo. Incolæ hîc genio ſuo vacabant largiter, quòd excuſſis jam arboribus, ſaltem ultimam & otioſam tractandis dactylis commodarent manum. His cum lautè convivari proponentibus, ruſticus ex thermis Ginauenſibus redux narrat, adeſſe cum brevi comitatu Prothalaſſum meum. Quo audito, moræ impatiens eodem me confero, ſemitam duarum paraſangarum vel ampliùs in ſabuleto plano atq; ſterili emenſus ante mediam noctem. Verùm, advectus non ſine perturbatione video, pertæſum loci dominum eodem veſpere diſceſſiſſe; relictâ, ad oſtium diverſorii, notâ ſuæ præſentiæ, hôc loci elogio: *Infernum qui negas, hîc adeſto ante ejus præfurnium, & expertus, ſine dubio reſipiſces. Wibrand Lycocbthon.* Ne adfuiſſe fruſtra videar, brevem hic dabo fontis typographiam:

آب گرم گناو *Aabi germ Ginàu,* *Thermæ Ginauenſes.*

ſive *Ginauenſes thermæ*, in valle anguſta, ſabuloſa ac ſterili ebulliunt; nomen ſortitæ à vicino monte, qui inde mille quingentis exſurgit paſſibus, vaſto, omnium circa Sinum Perſicum excelſiſſimo, ac à multis milliaribus ſpectabili, paſſim etiam circa fonticulos (quos plures fundit in aſcenſu & unum in ipſo faſtigio) arboretis tuguriisque conſito. Multæ in mediâ circiter valle naſcuntur ſcaturigines; inter eas unus fons prægrandis, qui vim ferventis aquæ eructat impetuoſo tumultu, & ipſum balneum, ſive prædictas thermas, conſtituit. Effluxus, ceteros abſorbens fonticulos, verſùs radicem prædicti montis rapitur; tantâ liquoris mole, quanta à mille paſſuum decurſu molendinæ agitandæ redundat. Hoc loco pars aquæ, in depreſſiorem vallem delabentis, in fundo lapideſcit: Credo la-

minas inferiores (nam hâc formâ concreſcit) paulatim rurſus diſſolvi, dum in ſuperficie ſuperiori novæ coagulantur, alioqui tractu temporis valde protuberaturæ. Ne iis, qui lotum accedunt, hoſpitandi occaſio deficeret, pietas Gamronenſium Benjanorum duplici aream xenodochio, & uno fornicato, quod imbrem reciperet, aquilegio decoravit. Xenodochiorum primum & balneo proximum pro liberiori ſpiritu parietibus undique vacat, ſolis fultum ligneis columellis. Alterum inde remotius, muris clauditur, machinâ inſtructum in camini ſpeciem, per quam ventus deſuper impellatur. Verum hæc auræ inductio meliori conſilio quàm ſucceſſu inſtituta eſt; nam venti hîc per æſtatem alii non ſpirant, quàm æſtuoſi, quales verò diffuſi & in aperto, magis ſunt tolerabiles, quàm ſi coarctati in unum conclave irruant. Aquilegii ædificium auguſtum eſt, ex laterculis longè à fontibus (ne ſalſugine inficeretur) exſtructum, altoque fornice contectum, figuræ orbicularis, quatuor orgyias in terram demiſſum, tantum aquæ pluvialis condens, quantum per brumam influit; ſed tarantulis variisque inſectis, quæ per oſtia illabuntur, fœdæ ac faſtidioſæ. Thermæ adverſus ſolis ardorem lapideo arcu, columnis nixo, coopertæ, ſaxeisque pro deſcenſu gradibus inſtructæ fuerant; ſed omnis hæc machina dudum dilapſa thermas ſaxis obruit, nihilominus ad humeros usque profundas. Inſeſſus permoleſtus eſt, tum propter aquæ eructantis impetum, tum propter ejus calorem ingentem, & pene intolerabilem; addo fundi aſperitatem ex prolapſis ruderibus, ad quæ crura facilè offendimus. Odorem thermæ ſpargunt ſulphureum, haud valde intenſum, quamvis omnem vallis auram imbuat; ipſa aqua eſt clariſſima, ſapore ſal prodens copioſiſſimum. Uſum præbent ſaltem externum, inſeſſione, quam ardor longam non patitur, morbos quandoque tollentes ſatis graves. Aër per æſtatem magis hîc

calet,

calet, quàm Gamroni. Ad thermarum uſum duce Magnifico Dn. *Lycochthone* bis profectos, æſtuoſiſſimi turbines pomeridiani pedem reducere coëgerunt, nondum biduum commoratos.

Die vigeſimo ſecundo appetens aurora ſpectandum nobis in cœli plaga auſtro-orientali objecit cometam, ſed qui præviâ ſolis luce mox intercidit. Jumentorum conditio invitos nos per diem hîc retinuit, quâ exactâ movimus Iſſinum; inde

Die decimo tertio ante diluculum egreſſi *Gamronum* matutinâ octavâ feliciter advehimur. Domeſticos reviſimus (exceptis, quos mors ſuſtulerat) pro loci genio bene valentes, id eſt, vivos, ſed auræ injuriis & ſudore attritos, pallentes & cum cadaveroſis vultibus, ſuccubituros tandem cœli ardori, niſi vergentem Syrium aura mitior brevi ſubſecutura fuiſſet.

RELATIO X.

Rudera Diluvii Moſaici in Perſiâ.

§ I.

Diluvii rudera in Europa.

Veſtigiis Diluvii univerſalis, ab antiquiſſimo Scriptore nobis relati, adeo abundat Orbis noſter, ut vix Regio ſit, quæ hiſtoriæ, quàm brevis, tam perplexæ & infidelium obtrectationibus obnoxiæ, veritatem vindicare non valeat, & tacente etiam *Moyſe*, decumanam demonſtrare ab inundatione calamitatem. Quid enim montium triſtis illa ac deſolata facies aliud, quàm mundi metamorphoſin exprimit? atqui ut hæc in aprico; ita ex abditis terrarum, diluvii teſtes toto die prodeunt: puta res peregrinæ, procul à genitali patriâ inventæ, locis quo illæ deferri, vel in iis abſcondi non poterant, niſi per univerſalis & cum ſummis ima vertentis cataclyſmi violentiam.

Si *Fabium Columnam*, (*cap.* 21. *Obſ.*) *Alex. ab Alex.* (*Gen. Dier. L.* 5. *c.* 9.) *Ludovicum Moſcardo* (*L.* 2. *Muſei c.* 111.) Illuſtrem & incomparabilis eruditionis Batavum, *Nicol. Witſium*, (*in Opere de navibus fabricandis c.* 1.) atque innumeros Muſeorum & ſubterraneæ hiſtoriæ Scriptores evolvimus, naves, navium fragmenta, anchoras, elephantorum dentes, (rectiùs cornua dicimus) beluarum, quas nuſpiam Europa genuit, capita, oſſa ac ſceleta, tum oſtreas & varias marini generis teſtas, ex terræ latebris, procul à mari & natali ſolo in Europæ regionibus paſſim inventa & effoſſa eſſe diſcimus. In patriâ meâ *Lippiâ* piſcator non ita pridem è Viſurgi extrahebat dentem elephantinum ſtupendæ magnitudinis; quem ille tripodem ſuum Unicornu nominans, in partes diviſit & in aulis ac pharmacopoliis magno pretio vendidit. *Lipſtadiæ*, memini, in effoſſione arenarum ad propugnaculi baſim locandam, inventum fuiſſe roſtrum ſerratum prægrande piſcis marini. Sed pergo in Orientem, ut Relationis ſcopum aſſequar.

§. II.

Diluvii rudera in Perſia. *Arca Noæ.*

Perſia, ſi Armeniam & confinia ejus complector, prima & præcipua cataclyſmi ſedes eſt, & patria illa priſcorum mortalium, quos Divina providentia communi toti Orbi inundatione ſuffocare decreverat. In illâ igitur, ſi uſpiam terrarum, adeſſe veſtigia diluvii hujus, non injuriâ conjicimus. Ex quibus, quæ peregrinanti ultro ſe objecerunt, pauca & curſim hîc attingam. Gratus Lectori ſim, ſi inter illa enumeravero ſanctiſſimum præſidium humanæ conſervationis, *Arcam Noæ;* ſed quam mihi videre, nec à diluvio ulli mortalium contigit. Armeni eam in cacumine excelſiſſimi montis *Máſis*, Perſis *Kuhi Nùh*, id eſt, mons Noæ, dicti, duodecim paraſangis ab urbe *Erivaan* (quo loco prima deſcendentis Noæ manſio creditur) incor-

incorruptam extare conſtanter tradunt, & ipſi credunt Mahhammedani. Traditionem olim firmavit *Jacobus* quidam *monachus Armenus*, qui aſcenſionem fruſtra diu molitus, intentionis ſuæ præmium reportaverat avulſam ab Arcâ ligni particulam, ab Angelo, ut jactitaverat, ſibi datam; ex quâ crux fabricata primùm reſervata dicitur in templo *Sjamachiæ*, deinde in Archiepiſcopali cœnobio *Ets miaſin*, nunc ubi lateat, neſciunt. Ad explorandam rei veritatem miſſi à Perſarum Rege Abaſſo Magno, retulerunt: *Incaſſum ſe laboraſſe; obſtitiſſe nitentibus abruptas crepidines, lacunas dumis cautibusque infeſtas, moles nivium & innumeras difficultates alias, quas ſuperare humanis viribus nemo mortalium poſſit.* Verùm, ſuſpectæ fidei eſt omnis illa & tantopere jactata traditio de loco; qui nec auctoritate conſtat alicujus antiqui Scriptoris, nec à S.S. ullibi definitur. *Moyſes* demiſſionem docet factam eſſe, non in montem, ſed in montes *Ararat*, i. e. in montes inundationum, prout genius vocis ſonat: quales verò non intelliguntur, nec præſto ſunt alii, quam montes *Tauri;* qui, cum latè per Aſiam diſcurrant, continuis ramis hinc ad promontorium Indiæ *Comereyn*, illinc ad ipſum montem *Imaum* & *Gangis* principium extenſi, in incerto manet, quousque tam longis tempeſtatibus jactata navis, abrepta fuerit, aut quâ jugi parte ſubſtiterit. Probabile tamen eſt, non longè à patriâ Noachum ſubſediſſe; ſiquidem per montes Ararat, illæ jugi partes, quæ Armeniam ſubeant, potiſſimùm intelligendæ ſunt, quod impenſè docet Cl. *Otrokocſi Orig. Hung. Lib.* 2. *c.* 13. §. *66.* in explicatione vocis *Ararat.* Ceſſat igitur demonſtratio ſanctiſſimi ruderis, quicquid loquatur *Laur. Strauſſius*, homo plebejus, in Hodœporico, quod ex ejus narratione excepit, partim etiam hinc inde conſarcinavit myropola quidam Amſtelodamenſis; eò liberaliùs fabulatus, quòd ſub alieno nomine.

§. III.

Conchy-lia marina montisCau-caſii.

Regnum ex Caſpio mari intrantibus ruderum exhibitores occurrunt montes Caucaſii. (ita vocamus partem Tauri verſùs Iberiam) Quousq; enim circa Caſpii littora eos rimatus ſum, rupes offendi plurimas, ex meris conchis ac cochleis marinis (plerumque minutiſſimis) concretas, & in ſolidiſſimam lapidis ſubſtantiam compactas; qualem etiam in ipſis faſtigiis, quæ nubes altitudine ſuperant, cum ſtupore obſervavimus. Atque hos ego diluvii teſtes appello omni dubitatione majores; cùm illa conchyliorum moles nuſpiam naſci, vel in petræ ſubſtantiam condenſari commodiùs, quàm ſub ipſo mari potuit. Similem ſubſtantiam referunt ſaxa plurima, ex quibus in eodem tractu templa & monumenta ſepulchralia extructa ſunt; quorum fodinas paſſim in collibus & ante montium radices invenimus. Addo me conchas reperiſſe in tabulis ſaxeis, quibus campos natura ſtruxerat circa urbem *Bakù*, tum in loco ignivomo vicinæ inſulæ *Okeſra*, & paſſim alibi. In collibus & agris editioribus ejusdem provinciæ non raro contigit, valvas concharum me inveniſſe, etiam majuſculas; ſed quas ego inſuper habui, cùm in Italiâ aliisque Europæ regionibus æquè repertas noverim, procul à mari.

Quomodo autem cruſtata hæc marium ſoboles, in tantâ copiâ, montium faſtigia occupaverit, & in maſſam petroſam condenſata ſit, quæſtio eſt momentoſa. Ad quam in proclivi eſt reſpondere, ſi, cum pace melius ſentientium, ſupponere liceat:

(1) Ex *Gorei*, *Burnetti*, & aliorum emunctioris judicii ſententiâ: Terram hanc ante diluvium, nullis montium jugis interceptam, inſtar cruſtæ incubuiſſe maris abyſſo, eandemque obvolviſſe, pariter atque ovi teſta albumen complectitur; prout idem videtur congruere menti S. Scripturæ, quæ *Geneſ.* 7, 11. abyſſum appellat

תְהוֹם

תְּהוֹם רַבָּה *Tehôm Rabbah*, quaſi infinitæ molis aquam non conſpicuam, ſubter terram. (2) Ad tantam aquarum copiam, quæ in diluvio quindecim ulnarum altitudine culmina montium ſuperaverat, non ſuffeciſſe aquam in regione aëris hoſpitantem, (ſupra cœleſtem ſana ratio ignorat) niſi ruptâ Orbis teſtâ, ſoluti clauſtro liquores abſorpſerint cruſtoſas moles & fragmenta terræ. Quo ipſo ima ſummis mixta ac converſa ſunt, partes aliæ ad barathrum demiſſæ, aliæ in ſitum planum collocatæ ac reductæ ſunt, aliæ denique in vaſtam ſummorum montium altitudinem protuſæ; ex quo fœda & alia hæc Orbi inducta eſt facies, de quâ loquitur Apoſtolus 2 *Petr.* 3, 6. (3) Conchyliorum plerasque ſpecies non vivere, vel eſcam quærere in mari, fluctuando, more piſcium, ſed fixum amare locum, cui agglutinatæ immorantur, & genus ſuum multiplicant: quemadmodum apparet in navibus, quarum ſuperficiem mari incumbentem cruſtata hæc colluvies tam copioſa occupat, ut ſcabritie inductâ velificationem retardet, niſi ferreis ſcalpris abradatur. Vidi in inſula *Onruſt* (quæ eſt prope Bataviam) in ſubverſis ad reparandum navibus, cruſtas pollicaris craſſitiei adnatas ſaltem intra triennium. Terræ igitur fornici, dum ante diluvium abyſſo incumberet, omnem adhæſiſſe conchyliorum multitudinem & in eâ ſede genus ſuum multiplicaſſe, unde ſaburra concharum, continuâ acceſſione aucta, in immenſam tandem excreverit molem, quæ cum limo, vel quicquid cavitates & interſtitia replebat, à ſalino ſpiritu indurata & in petræ ſubſtantiam converſa ſit.


Ex quibus ſuppoſitis reſultat: In vaſtatione Orbis per diluvium, fragmenta terræ quædam imum ſummum vel quocunque ſitu converſa ac locata eſſe, quæ paſſim nunc conſpicuam referunt faciem, qualem ex conchis concretis nacta ſunt, dum abyſſum involverent.

§. IV.

Conſtru-
ctio montis
Guliſtaan.

§. IV.

Alterum ſpectavi prope urbem *Sjamachiam*, in baſi montis, qui ab antiquæ arcis ruderibus, in ſui faſtigio conſpicuis, appellatur قلعه كلستان *Kaleh Guliſtaan*, i.e. *arx roſarum.* Mons ſolitarius, præceps & tornatilis figuræ eſt, à monte vicino (ſepulturis Sanctorum, quos jactitant, conſpicuo) anguſtis faucibus & prælabente rivulo diviſus. Allapſu hujus rivi, ab imbribus ſæpe exundantis, ſuffoſſa baſis, ceſpites ſuos dimiſerat, ut nudum ad aliquot orgyiarum altitudinem appareret latus, & in eo to-



tius montis conſtructio, ex cruſtis diverſæ materiæ in formam hemiſphæriorum invicem complectentibus. Ex quo ſecurè licet concludere: montem totum, ſive ad minimum,

mum, hanc ejus partem pedetentim & per accumulationem factam eſſe; non à ventis, qui ſaltem tumulos conflant ex levi pulvere & arenis, ſed à fluctibus violentiſſimis, qui pro ratione ventorum, quibus modò ab hâc, modò ab illâ parte propelluntur, diverſi generis, ponderis & coloris materiem ex fundo erutam aggregare potis fuerint; ut ad levem remoram tumulus, ex tumulo collis, ex colle mons excelſus enatus ſit, ad cujus faſtigium vix ſpatio dimidiæ horæ enitimur. Quales verò undas, neque tam altas, neque tam violentas unquam mundus ſublunaris expertus fuit, quàm in diluvio Moſaico. Adjecta figura refert cum ſitu urbis *Sjamachiæ*, ipſius montis partem abruptam, circulis conſpicuam, quorum imus ſiſtit limum fuſcum, alter terram atram, tertius argillam, quartus arenam albidam, quintus limum, ſextus maſſam coagmentatam ex conchis marinis, ſeptimus terram limoſam, octavus congeriem calculoſam, quam ſequitur terra ceſpite obducta, ne congeſtus ultra appareat.

§. V.

Montes divulſi.

Cum in provinciâ *Fars* iter ad urbem *Laar* proſecutus, ex pago *Bennarù* (ex ruderibus accumbentis jugi claro) ad pagum *Sjeraſì*, pro mulis inde petendis, paulò à viâ deflecterem, mirè me cepit campi, & in eo montium poſitus perquam rarus, & verè à vaſtatore diluvio productus; ſiquidem campus, undique jugo montium cinctus, ſolum exhibebat in aquæ planitiem expanſum, limoſum, ſale ſcatens, herbis præter carduos nudum, ex quo ſparſim prominebant montes ſolitarii, non ſurgentes in acclive, ſed illico in præceps elati, quemadmodum rupes & montes inſulares ex ſuperficie maris: qualem non poterant, niſi in cataclyſmi tumultu ſitum acquiſiviſſe, dum limoſæ fæces hîc inter aggeres retentæ & arefactæ, infœundâ ſalſugine vallem repleverant, ut merſis radici-

bus, ſola nunc promineant faſtigia. Inter illos montes unus maximè memorabilis me ſtitit equitantem & longâ ſui contemplatione diu retinuit. Referebat enim latus unum, inſignitum notis & veſtigiis clariſſimis, ex quibus judicarem, partem ei continuam abruptam eſſe, quæ tamen nullibi comparebat; cùm, ſi lapſu avulſa fuiſſet, neceſſariò proſtrata jaceret ad radicem. Erat lateris facies plana & in perpendiculum ſurrecta, materia ejus durior, congeneris & mediæ inter petram & argillam ſubſtantiæ, color, præter ſtrias, ex fuſco pallens in cinereum. Ego admiratione diu ſuſpenſus, tandem partem deſideratam, longiùs hinc remotam, videre me videor; & advectus, ex figurâ, magnitudine, ſtriarum ductibus, lacunis, ſitu in diametrum oppoſito, atque notis omnibus ad aſſem reſpondentibus edoceor, opinione me minimè deceptum. Hujus autem partis abruptum latus haud erat erectum in perpendiculum, ſed ſitu nonnihil acclive; ex quo liquidò conſtabat, molem hanc, ſubſidente ejus fundo, effractam ac declinatam eſſe, cum altera immota ſubſtiterit. Intervallum, equô vectus, non metitus ſum; mille circiter paſſuum eſſe conjicio; conjicio etiam abruptæ partis declivitatem à perpendiculo decem graduum: ſecundum regulas igitur Trigonometricas habebimus profunditatem à ſuperficie terræ ad usque deceſſionis angulum, circiter 5500 paſſuum, quam totam cataclyſmus luto repleverat.

§. VI.

Oſtreæ margaritiferæ.

Circa Sinum Perſicum, in edito quatuor vel quinque orgyiarum campo, mille aliquot paſſibus à littore, quod Inſulæ *Ormus* proximè opponitur, conchas inveni oſtrearum margaritiferarum ingenti copiâ per arenam diſperſas, ſed diſſolutas in bracteas & pulverem. Niſi enim limo involutæ & cum eo à ſalino ſpiritu (Gorgonicum vocat *Paracelſus*) induratæ ac petroſæ factæ ſint, antiquitati

tati ac ſoli non reſiſtunt, quin diſſolvantur. Hæ conchæ, ſi ab undis delatæ ſunt, non niſi in Diluvio eò deferri potuerunt; Sed quas ego tamen pro diluvii reliquiis venditare non audeo, cùm fortaſſis olim in capturâ unionum, circa Ormuſium inſtitutâ, transferri illuc potuerint. Aſt, ſic rurſus non concipio, cur tam longè à littore? Plura nunc tranſeo.

RELATIO XI.

Sabii, ſive Chriſtiani S. Johannis Baptiſtæ, circa Tigridem & fines Perſiæ.

§. I.

Præfatio.

Religionis Chriſtianæ per univerſum Orbem, juxta Paul. ad Rom. 10, 19. diſperſa univerſitas, claſſibus (quas theologi ſectas vocant) pluribus in Oriente diſſidet: quæ ipſæ, vel ab auctore ſuo, vel ab aſſeclarum patriâ appellationem ſortitæ ſunt. Earum hodie præcipuæ ſunt (1) Religio *Græca*, ſic à regione dicta, in quâ maximè viget; diviſa etiam per reliquas ditiones Turcicas. Patriarchas colit quatuor: videlicet Conſtantinopolitanum, Alexandrinum, (ſed qui hodie *Alkairi*, in Ægypto, reſidet) Hieroſolymitanum & Antiochenum. Cui ad unguem concordat *Ruthenica*, quæ olim paruit Patriarchæ Conſtantinopolitano; anno vero 1588 proprium conſtituit in metropoli Moſcoâ: turpe ducens ſubeſſe ei, qui à Turco juſſa capeſſeret. (2) *Georgiana* à Georgio equite, quem colunt, nuncupata; à quò & ipſa regio, olim Colchis & Iberia dicta, nomen *Gurgeſtaan*, ſive Georgiæ, adepta eſt. A Græca vix differt, niſi ritibus quibusdam & aſſeclarum ſtupendâ ignorantiâ ac doctrinæ profanatione. Reſpicit Epiſcopum Tefliſienſem. (3) *Armena*, ſeculo poſt Chriſtum quarto nata, & appellationem nacta

à regione natali: ex quâ, coloniis ab *Abaſſo I.* Rege Perſarum eductis, per diverſas Perſiæ Provincias diſperſa eſt. Patriarchæ paret reſidenti in illuſtri cœnobio *Etsmiaſin*, prope urbem *Erivaan.* (4) *Jacobitica*, quæ natales duxit ſeculo ſexto, à Jacobo quodam Syro, Severi Antiocheni & Dioſcori diſcipulo. Cui reſpondet *Alexandrina*, ſive Coptarum & Habeſſinorum. (5) *Thomiſtica*, ſive S. Thomæ Apoſtoli in *Malabariâ.* Cujus aſſeclæ non à Thomâ quodam Syro, homine Neſtoriano & Patriarchæ Babylonici apoſtolo, uti emiſſarii Romanæ Sedis illis objiciunt, ſed ab ipſo Chriſti diſcipulo ſeſe converſos eſſe, inde à multis ſeculis, & ante emiſſariorum adventum, conſtanter profeſſi ſunt. Saltem *Patriarcham* vel ex *Syriâ* advocare ſibi, vel reſidentem in *Meſopotamiæ* urbe *Moſul*, caput ſuum venerari ſolent. Paucos excipio, qui ab Emiſſariis perſuaſi, Majeſtatem Sedis Romanæ venerantur, alii retentis Eccleſiæ ſuæ ritibus, alii relictis: quod idem de ceteris Sectis obſervavimus. (6) *Sabiitica*, ſive Religio *S. Johannis Baptiſtæ*, prout à ſui Cultoribus appellatur. Meritò hæc poſtremo loco à nobis reponitur, velut Chriſtiano nomine vix digna religio, & claſſem conſtituens non æquè numeroſam atque ceteræ. Plura dantur in Eccleſiâ Orientali ſchiſmata; ſed quorum cum aſſeclis multùm converſari mihi datum non eſt. Quæ de hâc poſtremâ auditu accepi, paſſim ab ipſis cultoribus, paſſim à R. R. Patribus Europæis, qui in urbe *Baſra* Sabiis cohabitarunt, fideliter impertiam; priùs de nomine & origine pauca dicturus in genere.

De Sabiis, ſeu Johannitis in genere.

§. II.

Nomen.

Nomen صَبِّي *Sabbì*, vel صَبِين *Sabiin*, unde huic genti impoſitum ſit, nemo, quod ſcio, determinavit: Videtur autem, vel (1) ab Hebræo *nomine proprio* סבא *Sebà*; ſive illo τȣ̃ *Cuſj* filio; à quo Jemanitæ etiam Sabæi dicti ſunt; ſive

ſive à *Seba* ſeu *Sjeba*, Juktami filio decimo; ſive etiam à metropoli ejusdem nominis in Arabiâ felici, ex quâ Regina veniens Salomonem viſitavit; (ſed quam ſuæ Regionis Principem, ac Regiæ ſtirpis matrem à Salomone gravidatam affirmant Habeſſinæ populi) *Saba* urbem antiquiſſimam & ſemirutam vidimus etiam in Parthiâ; vel (2) ab Hebræo *vocabulo communi* צבא *Tſeba*, quod exercitum, videlicet cœli, i. e. ſtellarum, innuit, quaſi in ſignificatione Chaldæos olim Sabæos appellatos eſſe, *Bochardi* & communis Criticorum opinio eſt; quoniam Chaldæi aſtrologiam & aſtrorum cultum, prout Ægyptii brutorum, induxerunt, atque adeo pro cultoribus ſtellarum habiti ſunt; vel (3) ab Arabico صَبا *Sſaba*, quaſi diceres, Orientales; quemadmodum Syri, Perſæ, Chaldæi, Arabes in S. S. nuncupantur filii Orientis. Vel (4) à Syriacâ, & eidem conſonâ voce Arabicâ صَبَّأ *Sabbaa*, quæ ſignificat *exivit, deflexit, religionem deſeruit.* Poſterior hæc nobis derivatio præ ceteris probatur, cùm appareat, auctorem Corani eam non in alio ſignificatu appellaſſe, velut gentem à verò DEO & inſtitutis Corani deflectentem ac ſchiſmaticam; unde etiam Arabibus familiare eſt, omnes à religione ſuâ alienos صابِيُّون *Sabiuun*, ſive Sabios, appellare; *Sabios*, inquam, non *Sabæos*, ut vulgò latinè ſcribunt, originis ignari. Infame igitur Sabiorum nomen eſt, ſi originem ſpectes, & *Johannitis* eo conſilio à Mahhammede primò omnium, quod puto, impoſitum, ut eos à Judæis & Chriſtianis diſtingueret, quin longiùs arceret à conſortio Muſulmannorum, quos cum Sabiis nuptias contrahere, expreſſâ lege interdixit *Sur. de Vaccâ.* Ipſis Sabiis domeſticum, quo ſe appellant, nomen eſt *Mendaì Ijaï*, i. e. diſcipuli *Johannis*, puta *Baptiſtæ* & præcurſoris Chriſti: Ab eo enim, in Judæâ circa Jordanum

prædicante, majores ſuos primùm inſtitutos, converſos & baptizatos fuiſſe, ab eodem ſuos ſe libros, ritus ſacros & religionem obtinere; adeoque ſe, non modò *mendai Ijahi*, i. e. ſcholares Johannis, ſed & حى بنده *bendeh haï*, i. e. creaturas viventis, ſcil. Dei, eſſe, gloriantur. *Origo.* Quæ ſi ita ſunt, Sabiitæ non gentilium Arabum vel Chaldæorum, ſed Judæorum progenies credendi ſunt. Judæos enim, non paganos, à Johanne baptizatos eſſe, teſtis eſt Evangelium. *Patria primæva.* *Patriam primævam* profitentur omnem illam Judææ partem, quam lambit flumen Jordanus, ex quâ Saracenorum armis, quibus hi Mahhammediſmum propagabant, brevi poſt Mahhammedis obitum expulſos, exulare hodie ſub alieno cœlo. Fata ſe eo tempore expertos, narrant, duriſſima: quamvis enim Mahhammed eos tueretur, dato diplomate Immunitatis; à morte tamen Prophetæ, velut cum ejus vitâ, ſcripti valor exſpiraſſet, recruduit priſtinus perſecutorum furor, & Sabiorum genti ac religioni decretum à Caliphatu fuit excidium; & mox templa diruta, libri combuſti, ac circumcidi renuentes crudeliter tractati ſunt. Quas illi calamitates cùm declinare niſi effugio poſſent, conceſſère, pauciores in Indiam, plures ad ripas fluminis Tigridis & fines Perſiæ, quà Arabiam & occidentem ſpectat; præſertim in Suſianam, Meſopotamiam & Chaldæam, in quibus ſibi novas firmabant ſedes apud populares. Hæc illi. Accidit deinde, ut neq; apud has nationes, quæ & ipſæ Mahhammediſmum fovebant, diuturna ac inoffenſa eſſet immunitas: negantes, inter ſe tolerandam gentem, Corano & legi ſuæ exoſam; niſi alicui nomini approbatæ in Corano religionis, videlicet Mahhammedanæ, Judæorum vel Chriſtianorum, ſe addiceret. Quo ipſo, neceſſitate acti, Chriſtianorum nomen receperunt, & præſidio Neſtoriani Epiſcopi, qui Babyloniæ eſt, ſe ſubdiderunt. Ab eo tempore, ab Orientali Eccleſiâ in album recepti, ac Chriſtiani quoque ſalutati

ſunt;


ſunt; quamvis jam à duobus circiter ſeculis prædicto capiti ſe rurſus ſubduxerint. *Johannitas* igitur, quàm Chriſtianos, rectiùs appellaveris; nam à doctore ſuo ipſi nominari volunt, & ad ejus inſtitutum baptizari; eundem dignitate paſſim ipſi præferentes Chriſto, qui etiam Johannis baptiſmo ſacrari voluerit; haud docti effatum, quo ſe indignum diceret, qui Chriſti corrigia ſolveret. Si nihilominus ex ſolo baptiſmo, eoque mutilo ac imperfecto, Chriſtianos ſalutabimus: Turci potiùs ob circumciſionem appellandi quoque Judæi fuerint.

Vivunt hinc inde in pagis & civitatibus; non aliis quidem, quam quas flumina alluunt, quibus carere presbyteri non poſſunt; cùm baptiſmi adminiſtratio, velut palmarium religionis punctum, ex ſanctoris inſtituto, in flumine celebranda ſit. Familiarum, quæ ad Indos conceſſêre, ſtatum ac numerum ignorari ajunt; familias poſterioris coloniæ, quanquam latè diſperſas, numerari ſupra vicies mille, pene omnes ex plebejo cenſu & ut plurimum tractantes fabrilia. Civitates frequenti numero inhabitant *Baſram*, non procul ab oſtio Tigridis in Arabiâ, *Sjuſtèr* metropolim Chuſiſtani, ſive Suſaniæ ad flumen *Karòn*, & *Hawiſèh* urbem ejuſdem provinciæ ad flumen *Karrhà* ſitam: cujus poſtremò dictæ civitatis *Johannitæ*, qui à Rege Solymanno rem monetariam graviſſimo pretio conductam exercebant, cum ſolvendo non eſſent, & nummos adulteraſſent, circumcidi ac Muſulmanni eſſe, nuper admodum coacti ſunt. *Patria hodierna.*

Habitus, quo Sabaitæ veſtiuntur, conformis eſt nationi, cum quâ vivunt, nimirum Perſicus, vel Arabicus; ſaltem barbam totâ vitâ, Græcorum more, gerunt intonſam; Presbyteris verò nec fas eſt cæſariem abſcindere: qui tamen, dum ſacra peragunt, indumento amiciuntur religioſo, quod mox deſcribemus. *Habitus.*

Libros linguâ ſingulari, ac genti ſuæ propriâ, exaratos *Lingua.*

Alphabetum Sabaiticum



tos habent; quâ & ſacra ſua celebrantes etiam hodie utuntur: ut mirer Hebraicam non conſervaſſe, ſi eorum ex Judæis origo eſt. Eâdem linguâ libros conſcriptos, palmarios quidem & ab exuſtione Turcorum conſervatos, oſtentant quatuor; quorum *primus* illis appellatur *Divan*, i. e. Aula, ſ. Audientia, ante annos 407643 à Deo ipſo, quod nugantur, Angelis traditus, & ab his ad ſeſe devolutus. Magnum volumen eſt, prophetias continens de Angelorum lapſu, creatione hominis & rerum futuris mutationibus, paſſim jam præteritis. *Alter* appellatur *Sidra Adèm*, i. e. Liber *Adami*. Ingens quoque opus eſt, primo Parenti, quod ajunt, manu Angeli *Rafaëlis* à Deo miſſum; in quo de Mundi generatione, de primævorum hominum geſtis, de rebus divinitus revelatis & abſtruſiſſimis agitur. *Tertius* vocatur *Sidra Ijaï*, i. e. Liber *Johannis*, ſc. Baptiſtæ; Mediocre volumen eſt, ab ipſo *Johanne*, ut ferunt, majoribus Sabiorum traditus, hiſtorias continens potiſſimùm ſacras. *Quartus* parvæ molis, *Cholaſteh*, i. e. Complementum dictus, complectitur cerimonias Legis Sabaiticæ.

Scripturâ gaudent propriâ, & à ceteris, quibus hodie Aſia utitur, maximè diverſa; niſi quod flexuras referat, quodammodo affines literis Syriacis, quanquam alio planè valore; prout judicari poteſt ex Tabulâ, quam Lectoris contemplationi ſubjecimus. *Scriptura.*

§. III.

Sabiorum opinio.

Johannitarum Religio ex ritibus doctrinisque Gentilium, Judæorum, Mahhammedanorum & Chriſtianorum conſarcinata eſt. A Gentilibus mundi primordia & antiquitatem; à Judæis cerimonias & ſacrificii ſpeciem; à Mahhammedis hiſtoriam de Chriſto; à Chriſtianis baptiſmum atque alia duxiſſe videntur: ſed mutila omnia & ad peculiarem modulum ita reducta, ut ſingularem religionem conſtituerent.

De Creatione Mundi.

De *Creatione Mundi* docent: DEUM O. M., ubi orbem hunc fieri voluiſſet, creationis negotium commiſiſſe *Gabrieli*, Angelorum primario & filio ſuo unico, ex lumine Deitatis genito, qui adſcitis ſibi in auxilium 336000 ſpiritibus, hanc Orbis machinam artificioſiſſimè fabricaverit: conſtituto centro ferreo, quod claudebat ſphærâ plumbeâ, hanc cupreâ, cupream ſtanneâ, quam rurſus argenteâ, argenteam aureâ, auream terreâ, omnium ſphærarum præſtantiſſimâ, quoniam fœcundiſſima, & ſola idonea, quæ genus humanum aleret. Terream ſphæram uti complectitur aërea, ita hanc, tradunt, ſeptem involvi ſphæris aqueis cœlorum, in quibus Sol & Luna, navibus impoſiti, velificent, curſum dirigente archinautâ Angelo *Baran:* cujus à juſſu ſtent innumeri epibatæ, in dirigendo indefeſſam præſtantes operam; mali vicem præſtare crucem ingentem & politam, ſine cujus præſentiâ luminoſi radii in ſublunaria reflecti non poſſent. Nugantur præterea, ſuperficiem telluris recens conditæ adeo fœcundam fuiſſe, ut inſperſa manè grana veſperi ſegetem reddiderint; Adamum agriculturam ab ipſo Gabriele edoctum fuiſſe, à quo ad poſteros propagata ſit. Adamos narrant duos fuiſſe: primum ex nihilo creatum, qui vitam alioqui inculpatam dum ageret, hôc ipſo deliquerit, quòd exactô vitæ, quem Deus ipſi deſtinaverat, terminô, videlicet anno ætatis milleſimo, evocatus ad vitam æternam, Angelo mortis non paruerit; alterum ex Evâ & primo Adamo genitum, quem *Adam ber Adam*, id eſt, Adamum filium Adami, vocant, qui comedendo fructum vetitæ arboris, viventium conditionem deteriorem reddiderit, & pluribus cumulaverit miſeriis. Numerant à primo Adamo & Orbe condito ad annum hunc Chriſti 1687, elapſos annos 277644; à tempore verò, quo Deus Angelis tradidit librum prophetiæ *Divan*, annos 407644. Abſoluto creationis opere, Gabriel Deum O. M. affatus legitur

gitur ſermone, quem Sabii non ſine conſolatione & affectu recitant: *En machinam, Sancte DEUS! quam ex mandato Majeſtatis Tuæ fabricavimus. Multo illa mihi ac meis ſociis labore conſtitit. Ecquis enim ad tanta perduxiſſet faſtigia tot moles montium? quis inter illos eduxiſſet alveos & vias, quibus laberentur flumina? quis rebus omnibus ordinem & loca quæque ſua attribuiſſet, ſine decumanis laboribus? Tua,* inquam, *omnipotens Deus, gratiâ & auxilio fulti, ad tantam perfectionem hunc Orbem perduximus, ut nihil pro hominibus ad commoditatem vivendi excogitari ampliùs poſſit. Ego verò, cum de abſoluto penſo gaudere debeam, contriſtandi potiùs cauſam habeo.* De quâ ſciſcitanti Deo, reſpondet Gabriel: *Video enim, mi Deus & Pater æterne! quòd mundum hunc habitaturi ſunt infideles & inimici Tui, videlicet Judæi, Turci, Gabri, ſ. Perſes & pagani, qui fructum laboris noſtri capient.* Cui DEUS: *Non contriſtare, fili! nam & Johannitæ habitabunt, dilecti mei, & omnes deſtinati ad vitam æternam.* Gabriel id cum ſtupore audiens: *ergone,* quærit, *inter hos nulli reperientur improbi & damnabiles?* Reſpondet DEUS: *In die judicii pii intercedent pro impiis, & ſic obtinebunt pro illis remiſſionem peccatorum.*

Deum O. M. Johannitæ, ex naturæ potiùs quàm revelationis lumine, cognoſcunt, & attributa Ejus cum debitâ veneratione prædicant. Trinitatis myſterium ignorant; cum Mahhammedanis ſtatuentes: Chriſtum eſſe ſpiritum & verbum æterni Patris; negantes generationem Ejus ab æterno, quà Deus eſt; natum docent ex intaminatâ Virgine Mariâ, virtute fontis, cujus illa aquam biberat, gravidatâ; crucifigendum Judæis ſe ſubduxiſſe, ſuppoſitâ corporis ſui ideâ, ſive umbrâ, in quam crudelitates ſuas exercuerint. Alii, à Mahhammedanis quodammodo digreſſi, confitentur, fide quanquam ſatis frigidâ & confuſâ: Chri- *De DEO.*

 ſtum

ſtum factum eſſe hominem, ut nos liberaret à pœnâ peccatorum; crucifixum quoque à Judæis; mortuum, ac tertio die reſuſcitatum; reſuſcitati animam aſcendiſſe in cœlum, corpus remanſiſſe in terris, ubiq; præſens.

De Angelis. Angelos ac Diabolos ſtatuunt innumeros, eosq; ſexibus etiam diſtingui ac generare. Archangelum Gabrielem prædicant Dei filium, unicâ dotatum illuſtri inter Angelos filiâ, *Suret* dictâ, & ex eâ nepotibus duobus; plurimarum legionum caput eſſe, ſemper ſtipatum numeroſo ſatellitio dæmonum, velut lictorum & militum ſuorum, quibus hinc inde per habitata mundi loca delegatis, delicta hominum obſervet ac puniat. Ex Spiritibus primores numerant 360, quos moribundis adſtare inquiunt, ut exſpirantem animam deducant ad vitam æternam. Quod, priusquam expediatur, adeſſe duos Angelos alios, qui merita & conditionem animæ bilance penſitent, ut, quam gratiâ dignam cenſent, ante thronum viſibilis præſentiæ Dei omnipotentis deducant, quam indignam, ſerpentibus, tigribus, diabolis, in viâ demorantibus, dilaniandam projiciant.

De Vitâ æterna. Pro vitâ æternâ autem mundum conſtituunt peculiarem, urbibus domibusque conſitum & à Spiritibus habitatum; in urbibus templa credunt adeſſe, ab ipſis dæmonibus frequentata, in quibus Deum collaudent precibus, cantu, muſicâ.

De Sanctis. Sanctos Johannitæ nullos invocant; preces ad ſolum Deum dirigunt; nec imagines colunt; crucem tamen venerantur, & acu pictam presbyteri in ſtolâ gerunt. In templis crucem nullam præbent conſpiciendam, niſi cum ſacra celebrant: quibus peractis, eandem in duas partes diviſam reponunt. Id ſe conſueviſſe dicunt, ne hôc ſignô Mahhammedanos offenderent. Inter Sanctos primo illis loco eſt *Johannes* Baptiſta, maximus, quod ajunt, totius Orbis Propheta, ipſique Chriſto dignitate prior: cui nemo

nemo ex mortalibus doctrinâ & ſanctitate comparari poſſit. Inter multa alia fabulantur: quòd ex ſolo patris Zachariæ oſculo ab Eliſabethâ matre conceptus ſit; quòd ſucceſſu temporis filios, ſine concubitu, obtinuerit tres indultu Dei, ex Jordano hauſtos, quos uxori, quam eam in rem duxerat, enutriendos dederit. Decollatum neſciunt ac negant; credunt verò mortuum in Chuſiſtaniæ oppido *Sjuſter*; exuvias ejus condi ſarcophago cryſtallino, non ſine miraculo fabricato & illuc delato. Narrant: morientem juſſiſſe diſcipulos ſuos, ut crucifigerent corpus ſuum, quò conſanguineo ſuo Chriſto Jeſu, hâc in parte, fieret ſimilis. Johannem in dignitate excipiunt parentes *Zacharias* & *Eliſabetha*. His tamen beatam *Mariam* Virginem minimè poſtpoſituri, docent: eam in vitâ adhuc demorari & cum mortalibus verſari; Chriſtum quoque juſſiſſe Apoſtolos, ut ſui poſteris de vitâ nunquam morituræ matris teſtarentur.

§. IV.

Ritûs Eccleſiæ.

Sacrorum adminiſtratio, ut fas eſt, ab Eccleſiæ miniſtris peragitur. Illi conſtant ex triplici ordine: *primum* conſtituunt Epiſcopi, quos غنزفره *Ghanſefreh*; *ſecundum* Sacerdotes, quos شيخ *Sjeich*; *tertium* adminiſtri & vicarii, quos تلميد *Telmiid* appellant. Horum omnium officia, quamvis ſint hæreditaria, per modum electionis tamen conferuntur, adeoque, in locum demortui parentis, eligitur ac ſurrogatur filius primogenitus; qui ſi deficiat, primogenitus ex proximis conſanguineis eligendus venit is, qui maximè eſt idoneus. Ut verò ſit idoneus, requiritur non modò, in cerimoniis Eccleſiæ verſatus ſit, ſed & naſcendo, uti loquuntur, clauſtrum matricis fregerit, id eſt, ut natus ſit ex matre, quam pater virginem duxerat; ſecus ad ſpirituale officium non admittendus. Hinc integrum non eſt ulli miniſtro uxorem, niſi virgi-

Sacerdotũ ordines.

 nem,

nem, ducere, etiam ad ſecunda vota transgreſſuro. Epiſcoporum electio fit à presbyteris, ſive ſacerdotibus; ſacerdotum verò à loci cujusque Epiſcopo. Conſecratio in eo poſita eſt, ut Electores, cum electis, ſeptem diebus cibo abſtineant, interea in precibus dicendis, eam in rem factis, continuò occupati.

Dies feſti. Diem feriantur Solis, dicatum baptizandis infantibus, quos die profeſto baptizare religio non permittit, etiamſi moribundos. In ſacris illâ die nihil aliud peragitur, nec templa patere audio; obſervaſſe ſufficit intermiſſionem laborum, quam ſeculis ſerioribus videntur didiciſſe à Neſtorianis. Feſta majora celebrant tria annua. Primum triduanum eſt, quod menſe Novembri ſub anni Sabaitici principium incidit, ſacratum memoriæ Creationis Mundi, ſimul ac honori primi humani generis conditoris Adami; alterum menſe Juniô ingruens, durat dies quinque, quibus unusquisque Johannita ſolenni ritu rebaptizandus eſt: tertium, triduanum pariter, celebratur menſe Auguſto in honorem S. Johannis Baptiſtæ. Ex his omnium ſolenniſſimum eſt feſtum baptizationis; Baptiſmus enim & corporis puritas, legalis inquam & pene Judaica, totius Religionis, ille proram, hæc puppim conſtituunt, atque adeo duo ſunt præſidia, in quibus Johannitæ omnem reponunt ſpem & fiduciam ſalutis æternæ.

Puritas Legalis, Puritas illa ſervanda eſt in cibo, liquore & colore. Ex *Cibis* caro immunda & neutiquam à Johannitis comedenda eſt omnis illa, quam homo profanus, præſertim verò Mahhammedanus, occiderit; proinde nulla caro eſui permiſſa eſt, niſi beſtiam ipſi Eccleſiæ miniſtri jugulaverint; quibus propterea incumbit, ut lanionum præſtent officia, & beſtias, ſacerdotali habitu induti, interimant. Creduntur præterea impuritatem contraxiſſe eſculenta omnia, quæ vel paraverint, vel quoquo modo tractaverint Mahhammedani. Eodem cenſu veniunt *liquores*, cùm potulen-

tulenti, tum ad quemvis externum uſum parati. Potus omnis illis immundus eſt, qui vaſe hauritur, ex quo Mahhammedanus bibit; Hoc ſi contigerit, frangendus illico & abjiciendus eſt, ne eodem inſcius inquinetur Johannita. Sed hunc zelum obſervavi etiam apud multos Mahhammedanos, Gabros & Gentiles Indos. *Color* omnis cœruleus Johannitis immundus & maledictus eſt, ſine gravi peccato haud tangendus. Cauſam hiſtoriola exhibet: Judæo cuidam revelatio, in ſomno facta, indicavit imminentem abolitionem ſuæ Legis per baptiſmum S. Johannis. Edocti Judæi, cùm viderent Johannem ſe accingentem ad baptizandum Chriſtum, coëmpta copiâ coloris cœrulei, quem *Nil* & *Indigo* appellant, flumen Jordanum conſpurcarunt. Ex quo Johannes à propoſito deſtiturus erat, niſi, per manus angelorum, miſſum à Deo accepiſſet vas aquæ purioris, prope Jordani originem hauſtæ, quâ adhibitâ, ſacrum ablutionis in Chriſto feliciter abſolvit, in Judaiſmi abolitionem. Deus verò ob ſcelus patratum irâ commotus, colorem hunc immundum ac maledictum eſſe, ac Chriſtianis angue pejus fugiendum voluit. Tria hæc egregia ſunt inventa politica, quibus legislator ſtuduit Johannitas ſuos à convictu & communione aliarum gentium cohibere, præſertim à commixtione cum fœminis Turcicis, quibus familiare eſt, ſubligaculis cœruleis pudenda operire. Notabile eſt, quod ſequior ſexus, quamvis puritatem ſervare æquè ac virilis teneatur, impurus tamen cenſeatur, & ab ingreſſu templorum totâ vitâ arcendus ſit.

§. V.

Baptiſmus.

Alterum, & quaſi palmarium Religionis fundamentum eſt Baptiſma; cujus cerimoniæ in Eccleſiâ Johannitarum utramque abſolvunt paginam. Eſt enim ſacrum, quod ajunt, remedium, ab ipſo S. Johanne ſibi traditum, quo Chriſtiani à peccatis cujusque diſtinctionis repurgandi

gandi ſunt. Unde non ſufficit, ſe infantes baptizari, ſed ablutio in adultis ſæpè iteranda eſt, ad minimùm quotannis. Credo eam quibusvis menſibus admiſſuros, ſi modò ſacerdos laborem gratis præſtiterit. Cujus rei ignari noſtrates Monachi, ubi advenæ in hanc gentem incidunt, multos nullo negotio perſuadent, ut ſe baptizari patiantur ritu Romano: qui verò, uti ſpe expectatæ converſionis ipſi inſigniter falluntur, ita eâdem fraude involvunt quoq; ſummum Pontificem, cui tot à ſe converſos, quot baptizatos, nuntiant; nunquam enim propter admiſſum baptiſma Eccleſiam ſuam deſeruiſſe comperiet. Duplex igitur Johannitarum Baptiſmus eſt: primus Infantum, ad tollendum peccata hereditaria neceſſarius; alter Adultiorum cujuscunq; ætatis, quotannis iterandus, ad eluendum peccata actualia. Omnis autem Baptiſmus in flumine, & ab Epiſcopo, ſive Presbytero, nonniſi habitu ſacerdotali induto, conferendus eſt: infantibus quidem diebus ſolùm Dominicis, adultioribus inprimis in feſto quinque dierum, quod *Pendſjà* vocant. Habitus, quem requirunt, ſacerdotalis, Hebræorum exemplo, totus oportet eſſe niveus, & ex ſeptem conſtare partibus, quales ſunt: Caligæ goſſypinæ; vinculum, quo illæ ſupra fæmora conſtringendæ ſunt; Stola xylina, ultra genua fluctuans, cui prope collum in dextro pectore crux acu inſcripta ſit; cingulum, quo ſtola circa lumbos ſtringitur; ligula longa, ex collo utrinque pendens; cidaris ventroſa, extremitate in ſiniſtrum humerum demiſſâ; pepla, quâ frons redimitur, ad mitram firmandam pariter neceſſaria, in humeros propendens. Hôc amictu indutus ſacerdos, ut cetera Religionis, ita hæc baptiſmi ſacra celebrat.

Infantum. Ex baptiſmo infantum ſequentes ritus notavimus; Lator infantis, ſive vir, ſive fœmina, fuerit, amicis & conſanguineis comitatus, templum ingreditur, vel ſi id deficiat, in caſam loco templi non procul à flumine extructam,

ctam, ut preces audiat, quibus ſacerdos actum orditur; auditis precibus idem ſe ad flumen nudis pedibus recipit, &, ad genua usq; ingreſſus, ſacerdotem præſtolatur; qui, ut præſto eſt, in orâ fluminis ſubſiſtens, ex libro خُلَاصْتَا *Cholaſteh*, prælegit verborum formulas & precationes bene longas; quibus demum finitis, infantem tribus vicibus aſpergit aquâ, ex flumine manu hauſtâ; ſingulis vicibus Sabiïtico idiomate dicens: *In nomine Domini, primi & noviſſimi, Domini mundi & paradiſi, altiſſimi omnium rerum Creatoris.* Deinde paucis adhuc precibus ex prædicto libro recitatis, actum finit; dum ſub colophone portator infantem ter flumini immergit, citò ſatis retrahens, ne ſuffocet. His ita præſtitis, omnes ſe ad parentum ædes recipiunt, ut reliquum diei gaudiis & comeſſatione expleant.

Actus baptiſmi anniverſarii majore cerimoniarum apparatu inſtituitur. Prolixitas vetat ſingula deſcribere; ſaltem potiſſima, àtq; ea ſtrictim referam. Baptiſta, cum turbâ baptizandorum in ripâ conſtitutus, virgam tenet Oleæ, ſex pedes longam, & Myrti ſurculum. Sacra auſpicaturus, ad ſeptentrionem ſe convertit (dicunt verſus cœleſte ſignum, *Geminos*) & memoriter preces multas & bene longas, alias voce clarâ, alias ſubmiſſâ, recitat; precando verò multoties ſe inclinat, ad oram fluminis nunc pergit, nunc inde recedit, faſciam capitis hinc inde ducit ac reducit, eam cervici, auribus, ori alternè admovens, demum Myrti ſurculum in annuli formam flectit, &, auriculari digito impoſitum, oſtentat. Dum hos ille ritus perſequitur, baptizandi, exutis tunicis, amictum ſinguli ſacerdotalem induunt, ex rudiori telâ factum, ſimulac Myrti recipiunt ſurculum, quem dextrâ toto actu retinent. Tum ipſum flumen baptiſta ad genua usque intrat, & ad ſeptentrionem denuo converſus, cum annulo *Adultorũ.*

Myrtino variè geſticulatur, nunc illum virgæ inſerens, nunc aquæ immiſſum utrâque manu continens, & inclinatâ ſuper eum facie multas fundens precationes; quibus finitis, pergit ad baptiſmi ſacra præſentibus ſigillatim conferenda, in quo hôc ordine proceditur: Baptizandus ad oram fluminis conſidet ante baptiſtam, & verba quædam ab illo prolata repetit; quo facto flumen intrat, & ad dextram baptiſtæ conſtitutus, tribus continuis vicibus ſe totum ſubmergit flumine, elevatus verò, ſubinde aquam, utrâque manu ex flumine hauriendam vertici ſuo affundit. Hanc affuſionem inprimis etiam ipſe præſtat baptiſta, ter iterandam, & ſupra dictis verbis: *In nomine Domini &c.* affuſioni ſuæ pondus & benedictionem addit. Tum infixâ ripæ virgâ baptizatum utrâque manu apprehenſum ante ſe ſiſtit, & cervice inclinatum ter oretenus flumini immergit, mox frontem ter aquâ delinit, ſimulac potandam aquam ter manu ſuâ hauſtam præbet, demum Myrti ſurculum, quem tenebat, capiti ejus inſerit, datâque dextrâ de acceptâ Divinâ gratiâ gratulatur & dimittit. Iisdem cerimoniis etiam ceteros ſigillatim accedentes Sacramenti reddit participes. Luſtrationibus finitis, baptizati, in areâ ſpatioſâ littoris, longis ordinibus & ad ſeriem conſident, verſùs ſeptentrionem converſi; accedit ſacerdos, & à tergo ordines aggreſſus, frontes ſingulorum oleo Seſami perungit. Oleo, ne quis id à Turco emptum vel expreſſum ſuſpicetur, mavult baptiſta ſubſtituere unguinoſum ipſum ſemen, piſtillo recens ab adminiſtris ſuis contritum. Poſt factas inunctiones myſta ordines aliquoties percurrens, ſubinde manum capitibus imponit, in fundendis precibus continuè occupatus. Demum, pro actûs coronide collatam baptiſmi gratiam confirmat Sacramento Communionis; ad quod diſtribuendum ſe accingens, à vicario panem conſecratum dextrâ, ac phialam aquâ plenam ſiniſtrâ recipit, & ſingulis ordine con-

conſidentibus manducandam particulam deponit in juncturam extenſæ manus; aquæ verò hauſtum infundit cochleæ, in eâdem volâ depoſitæ, ſed quam à myſtâ uni traditam, vicinus vicino ordinatim porrigit. Peractâ communione, ſurgentes ſimul omnes procurrunt ad ripam, ut bibant ex flumine hauſtum, quô ſacri cibi reliquias, ori inhærentes, abſorbeant. Quo facto baptiſta univerſos monet, ut perſeverantiam præſtent in religione usque ad mortem, in fidem conſtantiæ ſtipulatam à ſingulis manum exigens; quâ datâ, imperat hæc verba juramenti loco repetenda: *Teſtis eſt, qui videt omnia! Teſtis eſt Jeſus Chriſtus! Teſtis eſt Johannes! Teſtis eſt aqua!* Collectis ſtipulationibus, ac recitatis precibus, eccleſiam dimittit; omnia ipſi peccata remiſſa eſſe pollicitus. Tum quisque, depoſito ornatu, iterum veſtitus ſuo habitu, baptiſtam accedit, pro labore unum exhibens *mamudi*, qui circiter quartam uncialis partem, vel paulo minus, conſtituit.

§. VI.

Reliqui ritûs: *Euchariſtia.*

Reſtant Euchariſtiæ, matrimonii & ſacrificiorum cerimoniæ breviter detexendæ. Euchariſtiæ ſerviunt cruſtulæ panis, ſubacti ex farinâ, vino & oleo. Farinâ ajunt notari Chriſti carnem, vino ſanguinem, oleo Dei gratiam atque noſtri amorem, quô Deo & proximo obſtringimur. Farina ex oryzâ facta eſt, nec impedit, ſi ex granis aliis fuerit; vinum ex contuſis & cum aquâ infuſis paſſulis expreſſum, cùm aliud inter Mahhammedanos parare illis non ſit integrum; oleum ex ſemine Seſami eliciunt. In conſecratione atque diſpenſatione nullus Liturgiæ uſus, nullus verborum Sanctiſſimi Teſtatoris, nulla paſſionis Chriſti mentio: ſaltem precibus tota benedictio abſolvitur. Ante diſtributionem primus ipſe diſpenſator fragmentum panis, & hauſtum prædicti vini aſſumit; mox eodem exemplo præſentibus utramque

 ſpe-

ſpeciem diſtribuit, in memoriam Chriſti aſſumendam. Quæ circa hoc ſacramentum in Eccleſia Occidentali reciprocantur ſpinoſæ altercationes, illæ apud Johannitas inſcitiæ peplo involutæ, nunquam ſub examen aut diſputationis incudem veniunt: unde de his & ſimilibus non habeo, quæ referam.

Matrimonii. Conjugium inter duos commendat religio; bigamiam tamen, quin polygamiam Clerus, inter Mahhammedanos dum vivitur, tolerat, imò probat, etiam in presbyteris: eam magis indecoram, quam criminoſam reputans. Caſtitatem ſervandam Johannitæ omni cautione præcipiunt, & à deſpondendâ, niſi vidua fuerit, virginitatem exigunt. Copulationis cerimoniæ ab ipſo celebrantur Epiſcopo, qui cum nupto & convivis in ſponſæ ædibus quamprimùm comparuit, ſponſam ad ſe ſeorſùm evocat, & de illibatâ virginitate juramentum exigit; quô præſtitô, rogata conjux Epiſcopi unà cum paucis matronis, an verum juraverit, explorat inſpectione. Si idem teſtetur, nil moratur Epiſcopus, quin comitantibus convivis, perducat ad flumen, & ingreſſus, ritu Eccleſiæ ſuæ baptizet. Hôc factô, cœtus ad nuptiale convivium revertens, ubi ædibus appropinquaverit, ſubſiſtit, donec ſponſus ſponſam, datâ dextrâ, ſeptem vicibus ad oſtium nuptiale duxerit ac reduxerit, ſequente ſemper Epiſcopo, ac, in illo itu ac reditu, legente ex libro *Cholaſteh* orationes, quibus ligaturas magicas à nuptis avertat. Septima demum vice ædes ingreſſi conjuges, ſiſtuntur ſub papilione, eo ſitu jungendi, ut dorſa invicem obvertant. Tum Epiſcopus, prælectis quibusdam orationibus, jubet occipita ter mutuò quatiant; quo facto evolvit librum ſortilegiorum, & ex eo fauſtum diem indigitat, quo miſcere primos amores debeant. Si contingat negari virginitatem, Epiſcopus ab opere deſiſtens, domum ſe actutum recipit, deſponſandi opus cedens vulgari Eccleſiæ miniſtro; à quo

vero

verò copulari dedecus eſt, & indicium non deprehenſæ virginitatis. Copulatio defloratæ ſtrictâ religionis lege prohibita dicitur; permittenda tamen ex ratione ſui ſtatûs, qui modò ſub Muſulmannis gemit: ne repudiata ad eorum religionem transfugiat. Viduis copulandis certi deſtinati ſunt presbyteri, nec decorum eſt Epiſcopo earum vel nuptiis intereſſe.

Immolationis ſpeciem referunt cerimoniæ, quibus utuntur Sacerdotes in Gallinis Ovibusque ſtato tempore mactandis. Sub dio mactatus peragitur: dum ſacerdos ſacro habitu indutus, adſtantibus ſpectatoribus, gallinæ roſtrum & pedes primùm abluit, purgaturus partes ab impuritate, quâ ſe in vitâ contaminaverant. Mox, ad Orientem converſus, victimam cultro jugulat, retinetque immotâ manu, donec cruoris ſtillicidium ceſſaverit. Interea defixis in cœlum oculis, & ad intimam devotionem conformato vultu, orationes murmurat; pro iis etiam precando, qui carne ſacrificii uſuri ſint. Tum cadavere ter aquæ immerſô ſacrificium peractum eſt. In ove mactandâ ritu non multùm diſſimili proceditur: ſed cùm hic laniatus in terrâ celebrandus ſit, ipſe etiam locus à victimario non ſine cerimoniis repurgari debet. Non minori apparatu opus eſt in mactatu quarumcunque beſtiarum, quas pro cibo quisque deſtinaverit. A Judæis manaſſe ritum, apparet ex *Levit.* 1, 14. ſeqq. quin ex hodierno uſu mactandi gallinam albam in feſto expiationis, quod illis incidit ſub auſpicium novi anni. *Immolationis.*

Habes hîc de Religione Sabiorum notitias, quanquam ſaltem generales & minùs exactas: nam ipſis presbyteris inexploratæ ſunt, nec ratio credendorum ſatis conſtat. Si quæras, ſi ſermocineris, ſi objicias, reſpondebunt: *Se ſpinoſa nihil curare, ſed Deo ſervire in ſimplicitate & pace.* Eadem Chriſtianis aliarum Claſſium in promptu eſt reſponſio, quâ occurrunt objectionibus adverſariorum. *Concluſio.*

 rum.

rum. Religionem Sabbæorum deſcripſiſſe Rev. P. Fr. *Ignatium* Carmelitanum, audivi à Patribus ejusdem Ordinis in Perſiâ; Verùm hic & ſimiles tractatus, publicâ luce & lectione digniſſimi, latitant in clauſtris Monachorum, typis ſacræ Congregationis, quam vocant, impreſſi, in uſum eorum, qui mittendi ſunt ad gentes exteras.

RELATIO XII.

Inveſtigatio Innocentiæ, per Crocodilos & Ignem, apud Gentiles Orientis hodie uſitata.

Scrutinia Innocentiæ apud priſcos *Gentiles*;

§. I.

In priſco Occidentis paganiſmo obtinuiſſe legimus rationem, quæ criminis accuſatos, ſi probationes deficerent, ad *Ignem*, *Aquam* vel *Duellum* provocaret, ut, ab horum judicio, culpa, vel innocentia, pateſceret. Rationem dico: ſed popularis inventionis & nullius fundamenti; quæ tamen uſu invaluit, legibusque potentiſſimarum gentium deinde ſtabilita ac velut in Canonem recepta eſt. *Ignis* innocentiam credebatur prodere, ſi is ab accuſato tractari ſine noxâ poſſet, ſive manu retentus, ſive ſubjectus pedibus. Hôc innocentiæ argumento *Taciam* & *Claudiam*, Veſtales Virgines, intemeratam pudicitiam feliciter probaſſe; eodemque ſucceſſu ferrum candens portaſſe *Æmiliam*, ſcribit *Dion. Halicarn. A. R. c.* 3. Ad templum Dianæ idem factitatum narrat *Pauſanias*. Francorum & Longobardorum Leges tantùm Ignis judicio tribuiſſe legimus, ut ad illud omnes homicidii accuſatos pertraxerint. *Aquæ* judicio par fides erat: credebatur enim fervefacta inſontium manus non amburere; frigida verò reos excludere injectos, ne mergerentur. Nec dubitavit Germanorum zelotypia etiam infantes recens natos

natos Rheno flumine explorare, an eſſent legitimi? teſte *Tacito.* Unde Claudianus ad Ruffum:

& quos naſcentes explorat gurgite Rhenus.

Prodigio pudicitiam teſtatura *Tuccia*, Veſtalis Virgo, Aquam cribro hauriebat, & ad pedes ſacerdotis exportabat minimè profuſam, ut refert *c. l. Dion. Halic.* Ad *Duelli* forum *Hunni* & *Gothi* provocabant litigantes, ut recondita veritas fortunæ arbitrio pateſceret. *Frontonem*, Daniæ Regem, quod ſcribit *Saxo Grammaticus*, legem dederat, quâ nullæ non lites & controverſiæ jubebantur in arenâ dirimi. Sed, ô inſana & in naturæ principiis minimè fundata judicia! Hæc tamen Orbi inducta lux Chriſtianæ fidei nequaquam aboleverat; Verùm, ut radicem prioris lolii immiſſa agris bona ſementis non tollit, quin ſæpe admixtam ſubmittit novam zizaniam: ita naſcente Religione Chriſtianâ, tantum abeſt, ut deteſtabiles modi ex foris & fide hominum tollerentur; ut ſtabiliendis multi potius patrocinii ſpeciem ex monumentis ſacræ Scripturæ quæſiverint: *igni* præferendo exemplũ trium non combuſtorum virorum, *Dan. c.* III. & Apoſtoli de fide, vim ignis extinguente, aſſertum, ad *Hebr. c.* 11, 34; *aquæ*, ritum propinandæ de adulterio ſuſpectis aquæ amaræ *Num.* 5, & Baptiſmum Novi Teſtamenti, qui peccata abluat; *duello* denique pugnam Davidis cum Goliatho, pro Deo & juſtitiâ, cum ſucceſſu initam; unde illorum uſus in dicaſteriis Chriſtianorum per omnem fere Europam multis ſeculis conſervatus, & ab ipſis Principibus celebratus fuit; ſummis etiam ſive approbantibus ſive conniventibus Pontificibus. Si exempla deſideras; en triplicis judicii ſelectiora quædam. *Igne* innoxiè tractato famam pudicitiæ ſuæ vindicabat *Kunegunda*, Imperatoris Henrici, Ducis Bavariæ, Conjux, quod refert *Cranzius in Chronol. Sax.* & teſtatur ſuperſtes hæc Inſcriptio tumuli Imperatoris in ſacellô urbis *Papenberg*: *Per ignem.*

Judi-

Judicio vomeris Chunegundis virgo probatur;
Cœtus & hoc Procerum mirans ipſam veneratur.

Simili remedio *Conjux Imperatoris Caroli III*, tum *Emma* mater *Eduardi* Regis Angliæ, caſtitatem illibatam teſtatæ ſunt; proſtitutam verò prodidit & in rogo expiavit Conjux Imperatoris *Ottonis III*; cùm & *Mutini* Comitis vidua innocentiam mariti ſui, ob Imperatricem truncati, oſtenderet innoxiè tractato candenti vomere. *Philippus*, *Comes Friſiæ*, usque adeo favebat ardenti judicio, ut anno Chriſti 1164 omnes homicidas igni convincendos, dicaſteriis ſuis injungeret. Multos etiam Epiſcopos ignis teſtimonio veritatem doctrinæ ſuæ probaſſe, varii Annales referunt. *Aquæ* judicii exemplum illuſtre *Caroli M.* ſeculo prodidit *Ludovicus*, Galliæ Princeps, qui arma dum moveret contra Imperatorem *Carolum Calvum*, viros miſit triginta, decem aquæ frigidæ, decem ferventis, decem inſuper candentis ferri argumento belli ſui juſtitiam teſtaturos, *Sigon. L. V. Regn. Ital.* A quo tempore quantum hujus judicii auctoritas accreverit, docebit vigens hactenus uſus in ſagis inquirendis. Parem vigorem ad annum usque 1450 obtinuerunt *Duella*: quorum præſertim apud Germanos conſuetudo in tantam pervicaciam increbuit, ut multæ civitates à conſuetis in arenam provocationibus ſeſe munire coacti ſint, petitis de non comparendo privilegiis ab Imperatore, vel Principibus ſuis. At, duella etiam per ſuppoſitos celebrata ad dijudicationem valuiſſe, exemplo docuit *Cunigulda*, Conjux Imperatoris Henrici III, filia Canuti M. Regis Angliæ, quæ anno Chriſti 1041 adulterii à marito inſimulata, duellum, cùm ceteri id officium Ei recuſarent, per nanum ſuum inſtituit: cujus Illa manu, ſuperato gigante capiteque truncato, victrix, Innocentiam docuit & iniquam mariti ſuſpicionem feliciter ſuſtulit, glorioſa pudicitiæ & famæ ſuæ vindex, ut refert *Matth. Weſtmonaſt. in Flor. hiſt. de reb. Britan.* Vidiſſe ſe

Per aquam.

Per duella.

ſe ſimile ſub Rege Galliæ Carolo IX. duellum, ab alio pro vindiciis Regiæ Juſtitiæ, Rege præſente habitum teſtatur *Anton. du Verdier var. lect. Lib. VIII. cap.* 1. citante *Dan. Jongtyts* in tractatu Belgico, cui titulus eſt: **Tonneel der Jalaouzien** *L. II. c.* 3. Nec ſufficiebat Chriſtianæ Societati barbaras has fovere conſuetudines majorum ſuorum, niſi & novas adoptaret ſcrutiniorum ſuperſtitiones, cum ipſâ Religione naſcentes, & ex Salvatoris cruce, ex ſacramento corporis & ſanguinis Chriſti, ex myſterio conſecrationis, ut plura taceam, impiè detorſas; quæ velut optimi tritici zizania, in vitâ & regimine politico, nimium quantum luxuriare diutiſſimè permiſſæ ſunt; donec Concilium Tridentinum, & pius Pontificum diverſorum zelus, atque his parùm proficientibus, ſecularis potentiæ decreta ſacrilegas, tum has, tum illas probandi rationes exterminarent; ut eas nunc ex Rebuspublicis & foris Chriſtianorum, unicum ſi excipio aquæ judicium, penitus exulare videas. Aquæ dico judicium: cujus uſum in ſagis explorandis dicaſteria quarundam civitatum & nobilium, contra ſtatuta Imperii, retinent, nullâ non modò divinâ, ſed nec naturæ lege fundatum. Quis enim ſanæ mentis non intelligit, corpus humanum aliud ſolidius & ex oſſibus majoribus compactum eſſe, adeoque aqueo corpore gravius; aliud verò pinguius, magis poroſum, & ex oſſibus tenuioribus contextum, adeoq; aquâ levius? Quemadmodum illud aquæ immiſſum demergitur, ita hoc neceſſum eſt natet & ex ſuperficie ad tantam magnitudinem promineat, quantâ aquam levitate ſuperat. Addo, quod ſcientes qui profluenti injiciuntur, aërem, velut vitæ vehiculum (quod naturale eſt metuentibus) etiam inviti & neſcientes abſorbeant: ex quo corpus, expanſis pulmonibus, allevatur & ſupernatat, donec thoracem & ceteras cavitates liquor impleat. Et quæſo, ſi mortalium ſocietates tantam fovent veneficorum multitudinem, ut

proceſſus criminales, quò longiùs producuntur, eò plures deprehendant reos; nec horum defectus unquam, ſed multiplicatio & inextirpabilis numerus inquiſitionibus & lanienis finem imponere jubeant; prout jurati perhibent magiſtri ſagarum, quos inquiſitionis commiſſarios vocamus, (ſæpe homines indocti & præjudiciis effaſcinati, ne dicam avari, crudeles & impii!) quî igitur fit, ut tot inter myriades hominum, qui naufragiis pereunt, nulli enatent venefici, & undas levitate corporis eludant? Nam non eſt probabile nullos adeſſe; quin credibile potiùs, quæſtuoſam in mari profeſſionem amplexuros eſſe præ ceteris, qui norunt, nullum ſe à ſubmerſione pati periculum. Sed ne extra oleas! Scrutiniis veterum dimiſſis, quænam inter paganos Orientis hodie vigere didici, breviter commemorabo: Non enim dignius eſt ſcire, quæ inſolenter apud priſcos acta ſunt, quàm quæ noſtris etiam geruntur temporibus.

Scrutinia Innocentiæ apud hodiernos gentiles Orientis,

Per Crocodilos:

Apud Malabares;

§. II.

Malabari Indorum atra gens eſt, paganiſmi tenebris pertinaciter involuta. Patria eorum, hinc montium jugo, illinc oceano concluſa, ſolum habet udum & depreſſum, amnibus numeroſis, tum mediterraneis, in quos illi excurrunt lacubus, interruptum. In his, quod mireris, loca ſunt, quibus frequens immorari conſuevit Crocodilus, ne ea pervadere vel pernatare quisquam ſuſtinuerit, niſi malignus ſe faucibus rapaciſſimarum beluarum expoſiturus ſit. Crocodili autem à Gentilibus creduntur vindices Divinæ Juſtitiæ, ſive quod idem eſt, lictores τȣ̃ *Jemma*, i. e. Rhadamanthi; vel ſi placet, *Charontes* illi, qui defunctorum animas, pro cujusque meritis, ſive ad campos Elyſios, ſive ad Tartata exportant. Siamenſium naviculæ, quibus defunctos ad buſta efferunt (quod ſolent magno luxu!) ita fabrefactæ ſunt, ut Crocodili figuram



F. W. Brandshage Sculp:

ram exprimant, prorâ caput, puppi caudam exhibentibus, artificioſè ſculpta & ſplendidè deaurata. Sinenſium templa non rarò exornata vexillis videas, quæ Crocodilorum ſpeciem referunt; nam hôc ſignô ſacerdotes triumphos & gaudia cœleſtis vitæ annunciant. Funera etiam Japonenſium monachorum Sectæ *Sjodoſju*, eodem præeunte ſignô, ad pyras educuntur. His inquam Crocodilis vindicibus, accuſatos criminis objiciunt ambigui prætores: ut juſto & extemporali judicio luat reus, abſolvatur innocens. Quin ſæpè vel ipſi captivi ad hoc tribunal provocant, ſive conſcientiæ fiduciâ, ſive compedum & longioris cuſtodiæ pertæſi. Ratâ ſententiâ, accuſatum pridie inviſunt Brahmanni ſacerdotes; decreti explicant gravitatem; horrendas judicii ſubeundi pœnas exponunt, omnemque ad confeſſionem eliciendam movent lapidem. Quo fruſtra voluto, poſtridie turbâ populari ſtipatum educunt ad littus Rhadamantini judicii, & de pœnitentiâ denuo multis, ſed fruſtra admonitum, ſubire tandem ſequeſtre jubent judicium, & ad fluminis oppoſitum littus natare atque inde renatare continuò. Si Crocodilis elapſus id præſtiterit, mox uno totius comitatûs applauſu & gratulatione redux excipitur, omnibus ſuſpicionum ſcopulis, prætoris foro, ac duris ergaſtuli vinculis, quibus expediri non poterat, feliciter defunctus. Credo autem, quemadmodum inſons deglutitus cauſâ & vitâ ſimul cadit, innocentiam nunquam vindicaturus, ita reum, qui evadit, haud adeo dementem fore, ut culpam in capitis ſui detrimentum & illuſionem judicii unquam faſſurus ſit.

Apud Siamenſes. Conſentanea Malabaris & concolor gens Siamenſis, potens, pia ac ſimplex, Crocodili quoque judicio infallibilitatem tribuit; unde accuſatos ad trutinam hujus fori examinant, ſaltem ut ab inſontibus diſcernant reos, pro delicti gravitate puniendos in dicaſterio. Cùm verò flu-

mina

mina hîc rarò inviſat Rhadamantinus ille judex, ſua tamen in iis, velut in genuino territorio, potentiam & judicia exercet, & niſi ſontes ipſos rapiat, horrore tamen ita percutit, ut pronum ſit arbitris, eos ab inſontibus dignoſcere. Procedendi hic modus eſt: Captivi cum viris probatæ fidei, velut agendorum teſtibus, ex prætorio mittuntur ad littus. Tum ex accuſatis gemini, fluvio ad umbilicum usque inducti, ſiſtuntur ad palos, ex modico intervallo infixos; quos illi, pro ſtatione firmandâ, amplexi, expectant Directoris juſſa. Mox aquam ſubeunt lictores duo, perticâ inſtructi longâ arundinaceâ; quam delatorum capitibus imponentes, ſignum præſtolantur pulſandæ pelvis; quo dato, accuſatos fortiter ſupprimunt illico, perinde ſive cervicem, ſive verticem petant, dummodo ſubitò ac penitus ſubmergantur. Ex merſis ille, qui facti eſt conſcius, pavore à fluminis, quod ajunt, Genio offuſus, phalangam evadet, ac tumultuoſè proſiliet, ut aërem hauriat; inſons verò nihil territus, remiſſâ preſſurâ, placidè unà cum perticâ prodibit in conſpectum, vultu nihil mutato, niſi à profluentis rapiditate, vel frigore. Si plures adſunt inſimulati, iidem jubentur exploratrici phalangæ cervices ſucceſſivè ſubmittere: abſoluto actu, reducendi ad prætorium, ut à Judice, informato dimittantur liberi, vel pœnas accipiant meritas.

§. III.

Inveſtigatio Innocentiæ per Ignem, *Apud Siamenſes.*

Altera Innocentiæ inveſtigatio fit per Ignem innocenter calcandum. Valet hæc in dicaſteriis regni Siamenſis, ac frequens celebrari ſolet in area *Wat nappa Kaan*, i. e. templi teſtium, quod eſt in urbe *Livò*. Aliquoties eam, unà cum Europæis aliis ſpectaverat *Nobil. Dn. van Horne*, ibidem negotii Belgici director: ex cujus ore recentiora hic referam exempla, quæ videre ipſi mihi non contigit. Accuſatus furti, ex carcere immediatè duce-

batur ad locum Judicii, duobus teſtibus, totidemque *Pram thai* comitatus. *Pram thai* ſignificat Brahmenes Siamenſes, qui Aſtrologiæ Judiciariæ & ſecretis artibus operam navant. Foſſa prunis, poſtquam ligna deflagraverant, referta, longitudinem obtinebat ſex orgyiarum, latitudinem cubitorum duorum, profunditatem unius. Latus utrinq; muniebat funis, ex adverſo palo in longitudinem ductus: quo, ad lubitum apprehenſo, caveri poſſet lapſus in faciem. Adductus, femoralia ſua, quibus laxis atque magnis, pro more gentis, induebatur, deponebat; recepto linteolo, quod clunes arctè operiret. Depoſitio requiritur ob ſuſpicionem abſconditi antidoti, quo ardorem fortè declinaverit; eandemque ob cauſam perquiruntur capilli, ſi quà illuſionis remedia in illis abſcondiderit. Tum ille, templo erectis manibus priùs ſalutato, ſtadium ignitum obſtinatè ſubibat, illud, nihil morabundus, quinque gradibus emenſus atque remenſus continuè, prunis copioſis utrique plantæ inhærentibus. Sunt quibus pro delicti conditione, ſecundâ, quin tertiâ vice recurſus injungitur. Abſoluto ſtadio, Brahmenes magi, libris abacisque inſtructi, unà cum teſtibus, ſibi à Dicaſterio adjunctis, accurrebant, & ablutis pedibus, plantisque perfunctoriè inſpectis, ubi luculentas culpæ notas non adverterent, computationes & judicium differebant in craſtinum, ſi quà interim clariores ſe manifeſtarent. Alia forma probatorii ignis eſt, ad eandem longitudinem conſtruendi, ex cremio plerumq; arundinaceo: cujus accenſi lucida flamma aliquoties percurrenda accuſato injungitur. Viderant relatores mei capillos, ulnas & feminale curſoris uſtulata, quia torri alliſus in medio igne ceciderat; Quibus verò nihil attentis, plantæ duntaxat in examen venerant, ſi quæ patrati criminis indicia oſtenderent: Hæc eſſe dicuntur puſtulæ pellucidæ, aquâ turgentes, aliisque ſignis arcanis notatæ, ex quibus culpam magi cumulatè

late intelligere præſumuntur. Nam ambuſtio nulla crimen arguit, niſi puſtulis dijudicationum ſociata. Horrendum Igne judicium anno Chriſti 1649 die 28 Februarii eodem cœlo celebratum novimus, (ex Diario Batavorum illo tempore actui præſentium) in quo amplius trecenti utriusque ſexûs, de filiâ Regiâ veneno extinctâ inſimulati, flammam innoxii (ſine acceptis puſtulis probatoriis) ſubiverant; ſolâ ambuſtâ, quæ crimen patraverat.

§. IV.

Scrutinia apud Japones.

Non minus apud Japones, gentem quamvis doctam, prudentem & noſtri coloris, ſuperſtitioſas invenio delictorum inveſtigationes: non quidem receptas in Judiciis publicis, ſed uſitatas in ſocietatibus domeſticis, ad œconomiæ furem aliusve delicti auctorem prodendum. Actum dirigit magus aliquis eremita, quem appellant *Jámmabos*, i. e. monachum vel militem montanum; qui ex ſylvâ, monte vel ſuburbano tuguriolo evocatus, auditâ facti hiſtoriâ, tribus inſtrumentis inſimulatos adoritur, videlicet Adjuratione cerimoniali, Medicamento conſecrato, & Igne. Priora duo facultatem habent excutiendi confeſſionem; poſterius, facti authorem indigitat: quem verò jam exploraverat artifex in prævio examine, quod cum ſingulis ſecretò inſtituebat: extorſâ confeſſione tum minis, tum datâ fide ſilentii. Hoc genus religioſorum ortum duxit in Japoniâ ſeculo poſt Chriſtum quinto, præeunte *Jen no gjoſa*, i. e. *Jen* eremitano viro; qui ad merendam ſalutem æternam corpus caſtigaverat frequenti lotione in aquâ frigidâ, victu ex herbis ſylveſtribus, & continuis per teſqua & juga montium peregrinationibus; ex quibus etiam primus in imperio viarum & callium inventor, & Hermes Japoniæ ſalutari meruit. Succeſſores, qui armati & ſeculari ſed peregrino habitu incedunt, à fundatoris moribus & vivendi inſtituto plurimùm receſſerunt;

runt; prolapſi etiam ad ſtudium & profeſſionem Nigromantiæ: cujus illi ope (en catalogum omnium præſtandorum!) poſſe ſe gloriantur arcana hominum indagare, criminis conſcios noſſe, extorquere delicti confeſſionem, genios hominem obſidentes, ſive vulpinos illos *Kitz*, ſive dæmoniacos *Umà*, videre & expellere, morbos magicos & deſperatos curare, prænunciare rerum eventus, res deperditas & furto ablatas indicare, prunas ferrumq; candens innoxiè tractare, extinguere flammas, aquam frigidam fervefacere, ferventem refrigerare, gladium, ne ab irato evaginari poſſit, firmare; omnia inquam cerimoniarum magicarum & incantationis virtute. Cerimoniæ tùm actionibus totius corporis, tum inprimis fiunt geſticulationibus manuum, quas ita exercitatas habent, ut vario & intricato digitorum poſitu, pro diverſâ præſtandorum intentione, tigridis, crocodili, vel alius ferocis belluæ figuram effingere, & in aliam transformare momento poſſint; dum ſimul vultum ad minas, iram & varios affectus componunt, voceque nunc remiſſâ & muſſitante, nunc elatâ & ad terrorem intenſâ, incantationis myſteria recitant: provocatis in auxilium patriis atq; exterarum gentium Diis, vel (quæ ſacratiſſima adjuratio eſt) ipſis in ultionem ſolicitatis *Si ten o*, i. e. quatuor potentiſſimis trigeſimi tertii atq; extimi cœli Diis: videlicet, *Tan mon den*, *Dſi gok ten*, *So ſio ten* & *Komok ten* (his etiam primus locus eſt in formula Juramenti Judicialis); concitatâ pariter virtute præſentis in effigie *Fudò mio wo*, hoc eſt, ſancti magni *Fudò*, qui olim eremitani ordinis religioſus, quotidie flammis corpus aduſſerat; unde inter Deos relatus, adjurationibus ſucceſſus tribuit, adjuratis parando afflictiones graviſſimas. Atqui hæc de Adjuratione: quâ vel omnino omiſſâ, vel nihil proficiente, Medicamentum præſto eſt; non ex myropolio depromptum, ſed ex myrothecio magico præſtigiatoris. Dicitur id celebri vocabulo

bulo *Gó*, vel pleno titulo *Khumanno no Góô*, i. e. adjurans illuſtre ex Khumanno provinciâ. Eſt nimirum charta quædam, characteribus & iconibus avium myſticô modô picta, in que fidem veritatis, manu ſignata primarii in provinciâ *Khumanno* eremitæ. Eandem chartam vulgus, pro arcendis malis geniis, ſuperliminaribus vel poſtis domuum applicat; ceteros uſus taceo. Quamvis & alii eremitæ magicas ejusdem virtutis ſchedulas parare norint, major tamen efficacia creditur ineſſe illis, quæ ex *Khumanno* tranſcriptæ ſunt. His inſtructus eremita ſingulis deglutiendam exhibet ſchedulæ illius particulam avulſam, quæ aſſumpta, cor & animam deglutientis, ſi reus fuerit, intolerabili anxietate afficit & excruciat, donec patrati ſe conſcium explicet & factum fateatur. Tertium & penetrantiſſimum, quod nolentes volentes prodit, Ignis eſt. Hunc in pavimento, ſublatis ſtoreis, ad orgyiæ longitudinem conſtruunt. Tum eremita, depoſito in medium, quod ſtrenuè intuendum monet, idolo *Fudoo*, flammis rubentibus circumquaque rutilante, ac, ut brevis ſim, actis agendis, prunas ſtratas tribus percurrere vicibus imperat. Quo ab omnibus domeſticis alternè præſtito, pedes uſtulatos abluit, & puſtularum in plantis formâ & conditione, ſecundùm artis requiſita, ſedulò examinatis, judicium aperit: nimirum ex facti circumſtantiis, ex vultu verbisque examinatorum, vel ex ipſâ etiam confeſſione ſibi ſecretò factâ, de ſingulorum culpâ & innocentiâ ſatis antea eruditus. Vides, quæ crepant pagani mirabunda judicia, (de Chriſtianorum judicent alii!) ab impoſturis humanis pleraque evenire. Fallaciſſima enim ſunt, nec alium in finem inventa, quàm ut tremendi remedii metu excuteretur confeſſio malè conſciis, pateſcerent verò innocentes: ſi nullâ facinoris conſcientiâ anxii, ad ſeveram trutinam lubenti animo ſubeundam ſe offerrent. Unde ſagaces illi magi calculatores, Brahmenes & eremitæ,

tæ, qui fabulas has dirigunt, ſolicitè cauti ſunt, ne ſontem pronuncient, niſi culpæ documentis evidenter convictum; è contrario, haud tenaces in abſolvendis, quos facti etiam reos non obſcurè cognoverant; cum *Ulpiano* ſtatuentes: *ſatius eſſe impunitum relinqui facinus, quàm innocentiam damnari.* L. V. pr. ff. de Pœnis.

RELATIO XIII.

Chartopœia Japonica.

§ I.

Inductio.

Scribendi modos apud veteres Occidentis noſtri, ejusque finitimos, Ægyptios, Syros, Hebræos ceterasque gentes, uti multiplices, ita omnes laborioſos, impeditos ac quotidianâ hominum patientiâ majores fuiſſe, nemo ignorat. Inſtrumentum non levidenſis pluma erat, ſed ſtylus ferreus, vel artificioſè conſtructum penicillum. Subjectum, non vulgata humano uſui charta, ſed tabulæ pellitæ, membraneæ, corticatæ, foliaceæ, æneæ, plumbeæ, ceratæ, omnes laborioſè fabricatæ. Inter has ſcribendi difficultates, hiſtoriæ hoſtes, eruditionis remoras, chartæ ex vetuſtis linteis conficiendæ artificium Divino beneficio adinventum eſt: ajunt ætate Alexandri M.; verùm, ſic delituiſſe ſupra fidem diu in rudimentis oportet, antequam ſatis excultum ad uſus mortalium divulgaretur, quo tandem facto, cetera omnia ſcribendi ſubſidia, præterquam Pergamenum, extra Heliconis pomœria proſcripta ſunt. Citerioris Orientis, Turciæ, Arabiæ, Perſiæ, Tartariæ minoris & Mogolis populi, inventam quoque Chartopœiam grato animo amplexi ſunt, veteribus ſaltem linteis goſſipina non incommodè ſubſtituentes. Qui hos ad auſtrum excipiunt nigritæ, majorum morem ſecuti, Palmarum diverſæ ſpeciei folia pro ſcriptionis ſubjecto

jecto retinent: his ſtylo ferreo elegantiſſimè inſcribunt, deſcriptaque, transmiſſis, quibus cohæreant, ligulis, in volumina redigunt. Extimus tandem & doctior Oriens (Sinam cum Japoniâ intelligo) chartæ in literis exarandis uſum, elaborandæque modum jam ab antiquiſſimis temporibus novit ac familiarem ſibi habuit. De Sinenſium Chartopœiâ nihil hic dicturus ſum, ne rem obviam tot in regno verſantibus RR. Patribus Europæis præripiam: Japonum potius, gentis reconditæ, perſpicuâ brevitate expoſiturus artem: ut ſi quis ex corticibus noſtratium arborum paria tentare cupiat, ad idem exemplum operationem poſſit inſtituere.

§. II.

Chartæ Japonicæ elaboratio.

Conficitur Charta Japonica ex Corticibus arboris Mori papyriferæ ſativæ, hoc modo: Stolones annui, admodum illi pingues, poſt foliorum deliquium menſe decimo (Decembri) amputantur, & in tripedales vel breviores ſcapos, ſeu baculos, diviſi, colligantur in faſciculos, cum aquâ, interſperſo cinere, percoquendi. Si dilatâ coctione exſiccati fuerint, per 24 horas in aquâ communi emolliendi ſunt pridie ante coctionem. Coquuntur autem faſciculi arctè juncti erectique in ahenâ capaci probè operculatâ, eousque, donec cortice contractâ lignum nudum appareat, ad ſemiunciæ longitudinem. Tum exemtis refrigeratisque ſcapis, factâ per longitudinem inciſione, cortex exuitur; quæ velut papyri materies, rejecto ligno, exſiccatur, & exſiccata aſſervatur ad ulteriorem præparationem, quando opus eſt, inſtituendam. Hæc conſiſtit in purificatione & ſelectione. Purificanda cortex horis tribus quatuorve aquæ immittitur, ita quodammodo emollitæ cuticula atricolor, unà cum viridante liberi ſuperficie abraditur, adhibito eam in rem ſcalpro, quod *Kaadſj Kuſággi*, id eſt, raſorium *Kaadſj* appellant.

Eodem actu annua & validior cortex ſeparatur à tenuiore, quæ fortè juniores ſurculos veſtiverat: nam illa uti chartam præſtat candidiſſimam optimamque, ita hæc obſcuram & infirmam. Annoſa ſi occurrat, pariter pro craſſiori & ſequioris notæ materiâ reponitur. Eâdem operâ particulas nodoſas, & quæcunque mendam maculamve referunt, unà ad poſteriorem hanc claſſem rejiciunt.

Cortex depurata & in bonitatis ordines disjuncta, lixivio claro percolato decoquitur, cùm primùm ebullire incipit, validâ arundine perpetuò agitanda, affundendo de lixivio ſubinde, quantum, pro evaporatione ſiſtendâ, & reſtituendo liquore deperdito, neceſſe eſt. Finienda eſt coctio, quando materia levi digito disjungi poteſt in tomentum & fibras. Lixivium ex quovis cinere conficitur, eâ ἐγχειρήσει, ut ſuper cupam duplex lignum in crucem aptetur. Hinc cruci ſtramen, ſtramini madefactus cinis imponitur. Tum aqua fervens probè excocta ſuperfunditur, quæ cineris ſalſugine imbuta, extractâ papillâ, deflui in vas ſuppoſitum permittitur, & lixivium appellatur.

Coctionem excipit lotura, quæ in χαρτοποιητικῇ, res alicujus momenti eſt; nam debito brevior, chartam quidem validam, ſed tetriorem & viliorem reddit; longior verò, candidiorem præſtat, ſed pinguem, laxam & ſcriptioni minus commodam. Medio igitur modo & moderatè in hoc articulo procedendum eſt. Fit lotio in flumine ex vanno aliquo, aquam permittente, in quo materia manibus lacertisque aſſiduò agitatur, & in mollem lanuginoſam ſtupam diluitur. Pro chartâ ſubtiliori, lotura iteranda eſt in linteo, quod particulas ulteriori agitatione magis disjungendas cohibeat. Eodem hoc actu inſtitui oportet rerum, ſi quæ remanſerint, heterogenearum & inutilium ſpicilegium, cum exemtione duriorum floccorum, qui ad ſequiorem claſſem rejiciendi ſunt. Lota ſufficienter materia in tabulam deponitur ligneam, craſſam, glabram,

bram, & à duobus vel tribus mercenariis, vectibus quidem ex duro *Kus no ki* ligno factis, ſtrenuè concutitur, donec ſatis emollita & attenuata pro deſiderio fuerit, pulpam referens chartæ maceratæ ſimilem, quæ aquæ immiſſa inſtar farinæ disjungatur.

Sic elaborata cupæ inditur anguſtæ, additâ ſimul aquâ pingui ex infuſione oryzæ, & aquâ mucoſâ infuſæ radicis *Orenj.* Hæc tria congeſta, cum arundine purâ tenuique miſcenda atque agitanda ſunt ſolertiſſimè, donec in homogeneum & debitæ conſiſtentiæ liquorem redigantur, id quod in anguſtiori vaſe meliùs ſuccedit. Paratus liquor in cupam effunditur ampliorem, (*Finè* dictum) noſtratibus, quas in chartariis officinis habent, ſimilem, præterquam quod foculo careat. Ex hâc folia ſigillatim hauriuntur; prototypo, non ex chordis æneis facto, ſed ex culmis junceis, qualem vocabulo proprio appellant *Miis.* Hauſtæ paginæ ſupra tabulam duplici ſtoreâ tectam acervatim deponuntur; ſingulis ad oram interponendo tenuè quoddam ex arundine filo, (quod *Kamakura* i.e. pulvinar vocant) quo prominulo diſtinguantur, ut ſigillatim, cum opus eſt, tolli poſſint. Acervi ſingulis operiuntur aſſerculis, formæ ac magnitudini chartæ aptatis, quibus lapidum pondere primùm levi, (ne madidiores in unam maſſam coëant) mox majori ac graviori impoſito, omnis humor aqueus ſenſim pedetentimque exprimitur. Poſtridie, remotis oneribus, folia ſingula ad interſtitii ſigna ope bacilli arundinacei tollunt, ac aſſeribus longis, glabris, eam in rem factis, volâ manûs adfigunt, facilè ob humiditatem adhærentia. Sic ſoli expoſita ſiccant, ſiccata detrahunt, ac acervatim collata emarginant; & deinde pro quovis uſu aſſervant ac divendunt.

Aqua ex infuſione & lèvi frictione granorum oryzæ in operatione noſtrâ requiritur, quia lentâ ſuâ pinguedine ac ſummo candore, chartæ conſiſtentiam & majorem al-

bedinem conciliat; quod nunquam præſtiterit aqua ex farinâ oryzæ facta, quia requiſito lentore caret. Conficitur aqua hæc in vaſe fictili, non incruſtato, ſed ſcabro, in quo oryza decorticata, aquâ priùs madefacta, ſenſim perfricatur, mox ſuperfuſa aqua frigida per linteum colatur. Reſiduum iteratæ frictioni ſubmiſſum denuo, ſuperfuſâ aquâ, exprimitur; donec fæces nullum ampliùs lentorem exerant. Oryza Japonica omnium huic operi præſtantiſſima eſt, quia ceteris Aſiæ pinguior & candidior.

Aqua *Orenj* ita paratur. Radix contuſa, aut quocunque modo comminuta, aquæ frigidæ immittitur, quæ inde in mucilaginem unâ nocte converſa, per linteum trajicienda eſt. Quantitas admiſcendæ hujus aquæ, ratione anni temporis moderanda eſt: Omne, ajunt, artis punctum in hôc ipſô conſiſtere. Calor mucilaginem incidit, unde liberaliùs ſubſtituenda eſt ætate, & ex cauſâ contrariâ parciùs addenda menſibus algidioribus. Si nimia addatur copia, charta plus debito fiet tenuior; ſi omittatur, protinus charta reddetur inæqualis & hiulca. Modica igitur quantitas mediocrem præſtat & æqualem craſſitiem: quam tamen & hauriendo moderari valent. In defectu radicis *Orenj*, qui nonnunquam ineunte æſtate incidit, chartarii ſubſtituunt fruticem repentem *Sane Kadſura*, cujus præprimis folia infuſa largam mucilaginis copiam ſuppeditant, quamvis pro hôc uſu non æquè laudabilem, atque eſt mucilago radicis prælaudatæ.

Juncum nominavi ſativum, qui hoc cœlo operoſè colitur, culmos præſtans prælongos, tenuiſſimos ac firmiſſimos, ex quibus ritè præparatis texuntur velamina, ac præſertim ſtoreæ elegantiſſimæ, quibus pavimenta ſternuntur conclavium.

Storea pro deponendis foliis duplex requiritur, una inferior, quæ craſſior eſt, altera ſuperior, ex culmis texta tenuioribus & rarioribus, quæ ſtillantem aquam faciliùs permittat, & papyro nulla veſtigia imprimat. Char-

Charta rudior, pro involucris mercium & variis uſibus œconomicis ſerviens, confici etiam ſolet ex corticibus fruticis *Kadſ Kadſura,* non alio, quam prædicto modo præparandis. Firma eſt charta Japonica, torqueri in ligamenta patiens. Craſſiorem ac mirè validam vendit metropolis *Syrigæ*, affabrè pictam, & quanta pro veſtimento ſufficit, in ſingula volumina ita compactam, ut jures texturas eſſe goſſipinas vel ſericeas. *Sina* & *Tunquinum* cùm ex cotone, tùm ex arundine (Bambu) chartas conficiunt nitidas, tenuiſſimas, in luteum languentes. *Siamum* ex cortice arboris *Pljok Kloi* chartam ſuam fabricat, atram & albicantem, utramque rudem, &, ut eſt ipſa natio, impolitam ac ſimplicem; quam alternatim in plicas, velut in formam libri redactam, utrâque facie deſcribit, non penicillo, ut prænominatæ gentes, ſed ſtylo rudi, ex argillâ facto. Habet hîc *Becmannus* papyri Orientalis deſcriptionem, quam tantopere à ſupinis viatoribus flagitat; non ex goſſipio facti, ut falſò perſuadebatur, ſed ex materiâ corticeâ, omni Aſiæ trans-Gangeticæ uſitatâ. Ex linis xylinis vetuſtis Aſia citerior, ad usque nigritas extenſa, chartam ſuam conficit, modo à noſtratium nihil differente, quàm rudiore organorum ſtructurâ & tractationis ſimplicitate.

§. III.

Deſcriptio Plantarum ad chartopœiam ſpectantium.

Ut omnis abſolvatur hiſtoria, en Plantarum quoque deſcriptionem & icones!

楮 *Kaadſj.* Papyrus, fructu Mori Celſæ; ſive, Morus ſativa, foliis Urticæ mortuæ, cortice papyrifera.

Papyrus legitima.

Radice nititur ligneâ, validè brachiatâ. *Caudex* luxurioſo augmento exſurgit multiplex, craſſus, æqualis, rectus; *Cortice* donatus pingui, firmâ, lentâ, exteriùs badiâ, ſcabrâ, interiori ſuperficie glabrâ; *ligno* laxo fragili; *medullâ*


papyrus
ſpuria
楮
Morus
papyrifera

dullâ magnâ, humidâ, adnatâ. *Surculi* ejus pingues ſunt, nonnihil lanuginoſi, ex herbaceo obſcurè purpurantes, donec medulla ſuccreſcat canaliculati, avulſi citò marcentes. *Folia* ſurculos, ex ſemipalmari vel longiori intervallo, occupant ſingula, inordinato ſitu locata; *pediculis* piloſis, teretibus, culmum hordeaceum craſſis, biuncialis longitudinis, obſcurâ purpurâ ſuffuſis. *Folia* diſparis figuræ & magnitudinis ſunt, in tres, interdum in quinque, lobos, per ambitum crenatos, anguſtos, impari profunditate & inæqualiter diviſa, Urticæ mortuæ foliis, ſubſtantiâ, figurâ ac magnitudine ſimilia, plana, tenuia ſubaſpera, ſupernâ facie obſcurè virente, infernâ in albidum herbaceâ. Decerpta illico areſcunt, quod & de ceteris partibus affirmamus. Nervi pinguiores ex baſi in mucrones loborum excurrunt ſinguli, ſuperficie folii pronâ inſigniter protuberantes, ſupinâ verò depreſſi, à quibus frequentes alii fere paralleli, atque ab his venæ minores decurrunt, circa oram in ſe invicem reflexæ. *Fructus* ex foliorum axillis circa extremos ſurculos menſibus Junii Juliique prodeunt ſinguli, petiolis brevibus nixi, rotundi, piſo majores, pilis atro purpureis longiuſculis obſiti, ex acinis oblongis minutiſſimis conſtructi, primùm herbacei, per maturitatem atrorubentes & ſucco dulci imbuti. An *Julos* fructuum prodromos habeat, non vidi. Colitur arbor ad præſentem uſum in agris montanis, cujus propagatio fit per taleas depactas, pedales & cubitales, menſe decimo terræ ex modico intervallo inſerendas: quæ acquiſitis citò radicibus (areſcente parte, quanta è ſolo prominebat) ſtolones multo vigore emittunt plurimos, vertente anno ad papyri confecturam abſcindendos, dum ſeſqui orgyiæ longitudinem mediique brachii craſſitiem acquiſiverint. Creſcit *Kaadſj ſylveſtris*, at rarior, in deſolatis montibus; verùm hæc chartæ materiam præbet parum idoneam & minùs expetitam.

Papyrus ſpuria.

Kaadſj Kadſira, it. *Kago Kadſira*. Papyrus procumbens, lacteſcens, folio longo lanceato, cortice chartaceo.

Frutex hic *radicem* habet craſſam, ſimplicem, longam, albo-croceam, tenſam, duram, cortice indutam pingui, molli, carnoſâ, ſubdulci, fibris tenſis permixtâ. *Ramulis* latè ſerpit ſcanditque longis, ſimplicibus, nudis, tenſis & flexilibus; medullâ donatis magnâ, ligno pauco. Ab his *ſurculi* eriguntur tenuiſſimi, ſimplices, badii, in extremitate villoſi; folia ab unciali intervallo & alternis lateribus exſerentes ſingula, ſurrecta, tenui brevique pediculo innixa. *Folium* figuram exhibet lanceatam, quæ ex cordato quodammodo principio, in longum producitur, & in mucronem denique oblongum, anguſtum & acutum terminat. Magnitudo ei diſpar eſt & incerta: dum ima folia longitudinem ſpythamalem & latitudinem biuncialem referunt; ſuprema verò vix quartam adæquant partem deſcriptæ magnitudinis. Subſtantia, color ac ſuperficies folio eadem eſt, quæ Papyro legitimæ, ambitus denſè & æqualiter dentatus, nervi tenues in dorſo protuberantes; quorum inſignior unus folium dividit, ab hoc pauci alii laxo arcu protendunt ad ambitum, venis copioſiſſimis transverſis eleganter connexi. Flores fructusque non inveni.

葵秋 *Orenj*, Alcea radice viſcoſa, flore ephemero, magno, puniceo.

E *radice* multifidâ, albâ, pingui, carnoſâ, viſco criſtallino plenâ, *caulis* ad orgyiæ altitudinem exſurgit, plerumque annuus & ſimplex, ſuccreſcentibus, ſi reſtitet, novis ſurculis ex axillis foliorum; medullâ refertur fungoſâ, albâ, humore glutinoſo imbutâ. Folia promiſcuo loco exeruntur ſingula, *pediculis* nixa, palmaris & ſpitha-

malis

malis longitudinis, ſupinâ facie carinatis ex purpurâ dilutis, ut plurimum cavis, ſubſtantiæ carnoſæ & ſuccoſæ. *Folium* Alceæ *Matthioli* folio ſimile, ex ſeptem conſtat lobis, in orbem ad ſpithamalem diametrum extenſis, ſinibus profundè demiſſis, integris & inæqualibus, reliquo margine raris & majuſculis dentibus inæqualiter crenato. Planum eſt, carnoſum, ſuccoſum, vultu lacunoſo, quadantenus aſpero, obſcuriùs virente. Nervis firmatur per medios lobos in mucrones excurrentibus ſingulis, atque ab his ad latera deviantibus pluribus aliis, paſſim circa ambitum in ſe invicem recurvatis, rigidis, fragilibus. Caulis & ſurculorum faſtigia terminant *flores*, ex foliorum axillis per autumnum enati, ſinguli petiolis fulti ſeſcuncialis longitudinis, craſſis, quodammodo hirſutis, baſi, quæ florem ſuſtinet, ampliori. Quinque florem amplexantur alabaſtra, ſeu foliola, ſemiunciam longa, herbacea, ſtriis ſignata obſcurè purpureis, margine piloſo. *Flos* pentapetalus eſt, ex puniceo pallicans, umbilico in purpureum ſanguineo, in palmarem vel majorem amplitudinem oſcitans; petalis magnis, rotundis, ſtrias habentibus, principio, quo perianthio inſeruntur, anguſto, brevi, carnoſo. Stylus in illo unciam longus, pinguis, mollis & albus eſt, polline ex incarnato luteſcente ac per tubercula digeſto conſperſus; quinque carunculis ſanguineâ lanugine pubeſcentibus, ac in orbem diſpoſitis faſtigiatus. Flos ἐφήμερος eſt, quem veſperi exoleſcentem, paucorum dierum incremento excipit *vas ſeminale* pentagonum & pentacoccum, figuræ turbinatæ, longitudinis biuncialis, latitudinis in baſi ſeſqui pollicaris, ſubſtantiæ membraneæ, craſſæ, per maturitatem nigricans, & per quinque loculamenta ſua dehiſcens; quibus ſingulis *ſemina*, per ſeries affixa, continentur incerto numero pluſcula (10, 15) pipere minora quadantenus compreſſa, coloris obſcurè badii, aſpera, facilè decidua.

Futó Kádſura, ſive *Sáne Kádſura*, aliis *Orenj Kádſura*, ob uſum & virtutem nuncupata.

Frutex viſcoſus procumbens, folio Telephii vulgaris æmulo, fructu racemoſo.

Frutex eſt exiguus, inconditè ramoſus, vago flexu ſerpens: *Ramulis* craſſitiem digiti referentibus, in denſos ſurculos inordinatè & frequenter divulſis, verrucoſis, hiulcis, coloris fuſci. *Cortice* tegitur quadantenus craſſâ, carnoſâ, viſcoſâ, fibris tenſis, tenuiſſimis, paucis in longum pertexta. Exigua ejus particula dentibus contrita fauces implet muco. *Petiolis* brevibus carinatis, ſuperficie ac ſubſtantiâ in rubellum purpuraſcentibus, inhærent *Folia* promiſcuo loco ſingula, denſa, Telephii vulgaris folio utcunque ſimilia, ex acuto orta principio, & in mucronem deſinentia, longitudinis duarum, trium & quatuor unciarum, latitudinis in medio pollicaris, vel majoris, quadantenus rigida & pinguia, nonnunquam repanda, inflexa vel undulata, ſuperficie utraque glabrâ & ex pallido virente, orâ paſſim denticulis raris, acutis, ultra ambitum prominulis, ſerrata. Nervo donantur tenui medio, in vultu folii depreſſo, à quo venulæ ad ambitum decurrunt paucæ, exiles & vix conſpicuæ. *Pediculo* ſeſcunciali, herbaceo, tenui, dependet *fructus* racemoſus, ex pluribus (30, 40) baccis, ſive acinis, circa orbiculatum corpus, ceu mediam baſin, conglobatus. *Acini*, uvarum referunt ſimilitudinem, hyeme per maturitatem rubentes, folliculo tenui ſuccum continentes ſpiſſum, ſaporis fatui; In eo *ſemina* hærent gemina, renum ſpeciem præ ſe ferentia, ad partem pulvinatam, quâ invicem junguntur, compreſſa, vinaceorum magnitudinis, veſtita cinereâ membranulâ, interiori ſubſtantiâ duriuſculâ, albâ, ſaporis perquam tetrici, ſubacuti & ad fauces delabentis. Baſis media



dia corpus eſt rotundum, vel ovatum, ſubſtantiæ candidiſſimæ, carnoſæ, fungoſæ, mollis, uncialis latitudinis, fragi majuſculi facie, ſuperficie rubente, ſtriatâ in ſpeciem reticuli, cujus areolæ impreſſa referunt acinorum amiſſorum veſtigia.

RELATIO XIV.

Regnum Japoniæ optimâ ratione, ab egreſſu civium, & exterarum gentium ingreſſu & communione, clauſum.

Prolegomena.

§. I.

Scelus eſſe, ais, puſillum, quem habitamus, Orbem, parricidium, humanam ejus ſocietatem dividere. Auctorem naturæ vituperat, quiſquis inſtituti divortium prædicat. Unum terrigenæ intuemur ſolem; unam calcamus terram; aërem ſpiramus unum, nullis vel à naturâ finibus, vel à Creatore legibus diſſociati! An verò ad deteriorem fortunam homines, quàm ciconiæ & hirundines, nati ſumus? Equidem nobiliſſima anima noſtra, ſummæ Mentis, ut liberrimæ, particula eſt: cui turpe ſit ſervire unius regionis caveæ incluſo & captivo corpori. Stringunt nos ipſa per vaſtum ætherem diſtributa ſydera: ſiquidem tot illuſtres Orbes non nudos & otioſos, ſed decoratos multi credunt viventium generibus, quibus ſummus ille rerum Conditor laudatus ſit, àntequam ponerentur firmamenta Orbis noſtri, ut ipſe Jehova dicit *Job. c.* 38. Quiſquis, relictis ſcholæ compedibus, ad ſublimia ingenium erexerit, nil morabitur in hanc plenam tranſire Divinæ laudis ſententiam: Conditos Orbes eſſe velut urbes, quorum impenetrabili intervallo diſſociata ſejungantur diverſi elementi, naturæ & perfectionis viventia. E contrario, quæ à ſummo Opifice ſimili dona-

donata ſunt ſubſtantiâ & naturâ, ea quoque ejusdem Orbis finibus, velut unius urbis pomœrio, incluſa eſſe, ut æterno fœdere ſociata vivant, ſine nefando ſcelere non dividenda. Vides quoque, ut tantillus hic terræ Orbiculus, dum ſummæ Mentis placito deligeretur communis patria mortalium, non omnigena naturæ beneficia, plantas, metalla, animalia, in regionibus ſingulis receperit; ſed pro communi uſu & neceſſitate univerſis diſtributa poſſideat, quò ſcilicet ejusdem cultores, mutui auxilii & communis Societatis neceſſitate, conſtringeret:

Hic ſegetes, illic veniunt feliciùs uvæ;
India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi.

Heu igitur fœdifragam gentem Japonicam, quæ, Creatoris inſtituti & naturæ legis immemor, Societatis humanæ ſanctitatem nefando divortio temerare non dubitat! Quid enim aliud eſt, *Imperii ſui*, quod faciunt Japones, *repagula, ab exterorum convictu, acceſſu, communione, claudere & munire; repellere advenas, admiſſos hoſtiliter cuſtodire; ipſos populares intra littoris clauſtra retinere; maris æſtu abreptos, tanquam fugæ reos, æterno carcere damnare; fugientes, ſeu tædio cœli patrii, ſeu transmarini deſiderio, in crucem adigere; peregrinos naufragii & quovis Æoli injuriâ appulſos, carcere cuſtodire;* quid eſt inquam aliud, quàm ſacram Divini ordinis & naturæ legem violare?

Ita, inquam, ſi quis fortean poſitionem noſtram impugnaverit, quod fieri à noviſſimis philoſophis audimus, ei circulos ingenii non turbabimus; nec inducemur tamen, quin negemus: Placuiſſe Sapientiæ Divinæ, ut nationes, linguis, moribus & ingeniis diſtinctæ & diſſociatæ, Orbem hunc habitarent; Orbem, quem cernis, pro receptaculo non unius, ſed diverſarum gentium aptatum eſſe; quem fluminibus, maribus & jugis montium interciſum; climatibus etiam diverſiſſimis, quaſi naturæ limitibus, diviſum,

viſum,ut cives differentis genii reciperet. Anne poſt diluvium, mortales, cùm in unâ ſocietate morarentur, ipſe DEUS linguarum multiplicatione diſſociavit? eo ſcilicet fine, ut à communione diſtractæ, ſingulas regiones ſingulæ occuparent gentes. Quicunq; igitur in unius linguæ & Reipublicæ ſocietatem coaluêre, naturaliter vicinos diverſæ linguæ populos invidiâ atque odio proſequuntur; Principes ampliora condituri dominia, dum,trajectis naturæ limitibus, in una verſantur ſtabiliendâ parte, aliam defectione amittunt; & maximarum Rerumpublicarum corpora, tantum abeſt, ut multarum gentium viribus conſerventur,ut potiùs mole ſuâ in plures dilabantur regiminum cumulos, mutuis ſe invicem ſimultatibus atq; odiis averſantes. Quod ſi natura affluxu rerum omnium regiones ſiugulas ita providiſſet, ut ſublatâ ex mortalium animis cupiditate, ſuis quæque gentes limitibus contentæ viverent,nunquam domuum urbiumque ſtrages, homicidiorum carnificinas, depopulationes, ſacrorum & profanorum everſiones, aut quasvis calamitates luerent; quin potiùs ab alienis occupationibus abſtractæ, res publicas cum privatis impenſiùs curarent, loca patriæ deſerta ac ſterilia conſererent, literarum, artium mechanicarum & virtutum ſtudia majori cum æmulatione & induſtriâ excolerent, pœnas & præmia æquiori lance diſtribuerent, liberorum educationi & omni curæ domeſticæ ſolertiùs incumberent, &,ut verbo dicam, ad beatiſſimæ Reipublicæ faſtigium, exemplo Japonum, feliciter emergerent! Japonum, inquam, qui intra microcoſmi ſui pomœria feliciſſimo fruuntur pacis ac continentiæ ſudo, finitimarum regionum, quin totius mundi atque omnium nationum æquo animo carentes conſortio. Quandoquidem, cùm nemo inficiari poſſit, communiones regionum non niſi ad comparationem rerum qualiumcunque, ad vitæ neceſſitatem, commoditatem & luxum ſpectantium,inſtitui:

tui: ſive Leges requirantur ad Reip. conformationem, ſive Religio in conſcientiæ ſolatium, ſive Scientiæ ad culturam ingenii, ſive Artes mechanicæ ad vitæ uſum & ſplendorem, ſive Mercimonia ad victum & veſtitum, ſive Medicamenta ad ſanitatem tuendam; ſequitur, illi regioni, cui benignitas naturæ non modò omnibus illis vitæ ſuppetiis proſpexit, ſed quæ civium quoque longo induſtrioque uſu & labore in ſummum decorem inſtructa & exculta eſt, illi inquam regioni non tantùm conſultum eſſe, ſed vel maximè incumbere, ut, cujus peregrinæ gentis communione nihil indiget, ab ejus quoque vitiis, aviditate, fraude, armis, inſidiis, cives ſuos & fines imperii quovis remedio muniat, dummodo muniri patriæ ſitus & conditio patiatur, tum civium ſuorum præſidio & virtute poſſit. Dictis verò conditionibus, præ ceteris Orbis cogniti regionibus, beari Japoniam liquebit, ſi ejus brevem, quatenus ad propoſitum ſpectat, iconem dederimus.

§. II.

Japoniæ deſcriptio.

Japonia inacceſſa.

Japonia indigenis 本日 *Nipòn*, id eſt, Solis fulcrum, dicta, ea eſt Inſula, quam Europæis primus M. P. Venetus *Zipangri* ignotæ originis vocabulo indigitavit. Inſula verò non una, ſed multarum congeries eſt, anguſtis oceani faucibus, ad inſtar Magnæ Britanniæ, diviſa, & in remotiſſimo Oriente ſita; Inſuperabili verò præſidio Regnum hoc munivit ac invictiſſimum præſtitit natura, mari undiquaque circumfuſo, navigantibus infenſiſſimo; æſtuat enim majori anni parte, & renitentibus fluctibus ac ineluctabili tempeſtate adverſatur iis, qui à meridie velificant, nec claſſem noſtratem niſi paucis menſibus admittit. Littorum abruptæ crepidines æquori incumbunt ſcopuloſo, & ultra anchoræ jactum demiſſæ profunditatis ſunt. Unicum totâ Inſulâ vadum grandiori navigio patet in ſinu urbis *Nagaſacci*; ſed per anguſto & flexuoſo aditu, nec

non ſcopulorum latentium eminentiumque labyrintho etiam gnaris infeſto; Plura enim ſi vada ſunt, capitali ſanctione usque huc celata atque occultata ſunt. Ut nihil dicam de diſcrimine in alto mari ſufferendo, præſertim circa *Formoſam* aut *Liquæenſes* Inſulas; tanto certè, ut Luſitani olim non dubitaverint fortunatam prædicare expeditionem illam, (tunc non ſatis exploratio mari) in quâ ex tribus navibus una rediret incolumis.

Japonia populo plena. Civium in Inſula frequentiam, omnem dixeris ſuperare fidem, & regionis capacitatem: Pagorum ſæpè continuus nexus eſt; ex uno ne fueris egreſſus, quin alium intraveris: ſic mutato ſaltem nomine in plura milliaria domuum ſeries extenditur. Urbium in eâ, copia eſt: quarum primariæ ſtupendam exhibent, ædificiisque denſiſſimam magnitudinem. Unam, quæ à maximi Pontificis ſede 京 *Kjo*, ſeu *Meáco*, i. e. Urbs, ſeu metropolis, vocatur, & rectiſſimis ad normam teſſellatæ figuræ plateis diſtinguitur, vix trium horarum in longitudinem, duarum ſpatio in latitudinem permeaveris. Imperatoriæ verò ſedis, urbis 戸江 *Jedo* tanta eſt amplitudo, ut jure maxima totius Orbis vocanda ſit: certè uni plateæ, quæ mediam, curvato ductu dividit, integrum impendimus diem, cum à capite ejus, ſuburbio *Sinagáwa*, ad calcem usque modico greſſu equitavimus.

Cives ejus bellicoſi. Civibus non deeſt, audacia dicam an fortitudo? ſi vitæ propriæ contemtum ita vocare liceat; dum nil dubitant, vel ab hoſte devicti, vel cuicunque ignominiæ vindicandæ impares, Stoico prorſus animo violentas manus propriis viſceribus injicere. Si legeris civilium bellorum hiſtorias, ſtupendos auſus mirabêre, quibus mutuam virtutem ſuperioribus ſeculis exercuerunt. Mutios Scævolas & Horatios Coclites inveneris, ſi *Joſitzne*, ſi *Kíjómori*, ſi *Kusnóki*, ſi *Abino Nákimar*, & innumerorum heroum

Japo-

Japonenſium geſta evolveris. Unum non poſſum, quin producam facinoris exemplum, quia foris, ſpectantibus Belgis, & paucis retro annis (anno Chriſti 1630) id patrabant juvenes ſeptem, ex provinciâ *Satzuma.* Ex hâc mercatum venerat navicula in Inſulam *Formoſam*, (nam hæc à profugis Sinenſibus nondum occupata, nec clauſa adhuc erat Japonia) cujus vectores à Præfecto *Petro Nuits*, Batavo, fortaſſis jure talionis, duriter habebantur. Ignominiam in ſuum Principem redundantem non ſiluit revertentium religio; nec auditam niſi immoderatè tulit ipſe territorii Princeps, qui injuriæ vindicandæ impar, præſertim à *nan banj* illatæ, i. e. auſtrali plebe (hoc levi nomine Japoniæ venimus!) tantum non dehiſcere viſus eſt. Quid fit? *Tui verò*, adſtantes inquiunt, *ne corporis cuſtodes erimus, niſi & dignitatis vindices eſſe permiſeris: eluemus maculam offenſatoris cruore, ſive primâ aggreſſione ſceleratum caput avelli, ſive vivum adduci juſſeris, & dilaniandum tibi ſiſtere hîc. Septem è tuis ſufficimus; non obſtabit ardori noſtro eluctandum æquor; non caſtelli præſidium; non cataphracti lateris ſatellites. Nan banj ſunt iſti; nos Divûm genus Nifon ſin*, id eſt, Japones, ſeu κατ' ὄνομα ſub ſolaris mundi homines: Non deſiſtentibus rogare conceſſa dimiſſio eſt; nec defuit prudenti audaciæ ſucceſſus, quin naviculâ delati & ad ſalutandum admiſſi, extractis frameis, Præfectum per medios excubiarum ordines, multo die, ſpectantibus omnibus, captivum in cymbam ſuam abduxerint, nemine ex præſidiariis aut domeſticis audente tam improviſo in ſpectaculo ductoribus ſe objicere, impreſſuris aciem ſenili Gubernatoris, quem ducebant, capiti, ſi quisquam obſtitiſſet.

Indefeſſam præterea conſtantiam bellandi ne deſideres in eâ gente, quæ amores, odia, arma ad ſeros nepotes, & ad partis alterutrius internecionem protrahit. Madet adhuc Japonia ſuperioris ſeculi laniatibus, quibus inter ho- *Implacabiles.*

 ſtiles

ſtiles *Feki* & *Gendſi*, familias earumque poſteros ſævitum fuit, non priùs depoſitâ à *Gendſiis* victrice haſtâ, quàm ad Fekiani nominis exſtirpationem; nemine ex illuſtriſſimâ proſapiâ ſuperſtite, præter paucos, ad inacceſſorum montium aſyla in provinciam *Bongo* profugos; quos in ſpeluncis, & nominis ſui & humani cultûs oblitos auram ſpirare nuper compertum eſt, Faunis quam hominibus ſimiliores.

Invicti. Ab externo autem hoſte minùs fatigabitur; à quo rarò tentata, nunquam ſuperata, nunquam juſſa accipere ſueta eſt, magnanima & invicta natio. Decem decurrunt ſecula, cum regnante Imperatore 武木亘 *Kwan Muu*, abyſſus magnæ *Tartariæ* (Græcis ob vaſtitatem ſic dictæ ἀπὸ τοῦ Ταρτάρου, non à flumine) totas legiones in Japoniæ littora evomeret; Improviſo impetu admiſſus, non æquè citò excuſſus eſt hoſpes; nam cùm repetitis conflictibus detritus, novo ſubinde milite inſtauraretur, in decimum & quintum annum, qui eſt Chriſtianæ æræ ſeptingenteſimus nonageſimus nonus, belli & pugnarum ſeries continuavit: dum unâ tempeſtuoſâ nocte (annalium verba ſunt) maximus Deorum 音蓬昊 *Quan non* ſeu *Quan wonj* (gentis Briareus ille πολύχειρ) numeroſis ſuis manibus (potentiis) hoſtilem claſſem ſubmergeret, nec ceſſaret poſtridie divino ſubſidio excitatus *Tamáramar*, Dux Japonum, aciem ſuam in hoſtiles copias dimittere, quas perplexis rebus, ſpe victoriæ dejectas, fugâ intercluſas, ſic fudit, ſic delevit, ne manſerit vivus, qui cladis nuncius reverterit. Pari animorum conſtantiâ, anno Chriſti 1281, regnante 参亭亍参 *Goouda*, ſæviſſimi Ducis Tartarici *Mooko* impetum Japonia ſuſtinuit; nam cum is, Sinenſium Devictori 宗迣 *Sji Su* hujus quoque Imperii purpuram ſubjecturus, 4000 navibus & 240000 armatis (Sinenſes referunt

runt ſaltem 100000) littori inſultaret, pari omnino fortunâ & ſtrage deletus eſt. Nunquam acerbiùs ante tentata fuit Japonia; nunquam majoris victoriæ fructu exultavit, quam geminâ hâc vice. Et ut paucis: vel quicquam deeſſe genti in bello prudentiæ, alacritatis, ordinis, obſequii, nulla poſteritas comperiet; nihil obſtante nunc regni otio & profundæ tranquillitatis ſenſu, qui alioquin inertiam & torporem animis inducit; quin præcordia ſua facinorum avitorum memoratione agitata, in perpetuo quaſi vigore fortitudinis conſervant. Audimus vagientes puerulos bellicis cantilenis ſopitos; vidimus receptum in ſcholis morem, ut heroum, & qui eo nomine veniunt, autocheirorum ferales epiſtolas diſcentibus exponant, memorandas & deſcribendas injungant, velut cum ſtylo ſimul quoque mortis contemtum & fortitudinem animis inſtillaturi. Nec inſolens convivis eſt, priſcorum bellorum decantatione condire pocula, admirari facinora, & gloriæ cupiditate priùs incendi, quàm liquoris ſpiritu. Hinc ubi, ex regni inſtituto, nocturnâ in montibus excitatâ flammâ periculum civibus publicatur: aut Regulorum, datis ſignis auxilia petuntur, turmas videris convolare hominum, ſuo quasque territorii Principi armatas comparere, Ducis cujusque ſui juſſa flagitare, ejus nutui æmulos obtemperare; moræ etiam (ſed quod carpendum) impatientes, imperia ſæpe anticipare juvenes, igneo inſtigatos laudis deſiderio. Nec arma deſunt idonea, telis, ſclopetisque hoſtem eminus, cominus falcatis haſtis & acinacibus petunt: Hos habent præacutos, ut levi percuſſu humanum corpus dividant, ſingulari arte fabricatos, & vetitos dudum vel peregrino vendi, vel Regno exportari, ſub ferali venditoris & omnium piaculo, quorum cura id prohiberi poterat.

Dura prætereà, & laborum patiens eſt natio; ſueta ſylveſtri ſatiari olere, algâ, teſtudinibus; ſitim levare aquâ, nudis *Duri & laborioſi.*

 nudis

nudis tibiis & capite incedere, non veſtiri induſiis, nullo corpus emollire pulvinari, dormire humi, ligneo cubo pro cervicali uti, vigiles perferre & rigidas noctes; cetera licet veſtitu, corpore, moribus, ædificiis puriſſima nitidiſſimaque exiſtat.

Longè enim à meo judicio abeſt, ut Japones mollium Sinenſium progeniem duxerim; nec diſſenſerit, qui primi relatoris non præoccupatus auctoritate, interiores Regni in ipſo Regno notitias perſcrutabitur: Tartarica habet, ſed cicurata, ſed expolita ingenia; Tartaricum habet, ſed Serûm venis fœcundatum ſanguinem; ut propediem oſtendemus in Deſcriptione Japoniæ.

Japonia nullius regionis communione indiga.

§. III.

Ceterum, fruſtra conſtituerit tam munita & invictiſſima natio hoſpitem æque atque hoſtem arcere, niſi finibus ſuis & contenta poſſit & beatior vivere. Poſſe autem, à quo Imperii fores obſeravit, ab optimâ rerum magiſtrâ ſeſe edoctam ipſa fatetur, & credet, quisquis noſtrum ceteras regni conditiones inſpexerit. Nam, quod inter primas felicitates numerandum eſt, eo gaudet cœli poſitu, cujus nec æſtivo ſole aduritur, nec riget hyberno frigore: mitior enim nuſpiam eſt, nec fœcundior terræ facies, quàm quæ Polum aſpicit gradibus triginta inter & quadraginta elevatum. Sed difficilem, *inquis*, ſaxoſam, præruptis montibus aſperam, &, ſi ſibi relicta, ſterilem regionem! Nimirum hoc ipſo naturæ gratias debebit, ſi, quod telluri vitii ineſſe ais, id poſſeſſori in virtutem cedat: Non tam duras rupes, non tam excelſa videbis montium cacumina, à quibus fœcundo hoc climate laborioſus ruricola annua induſtriæ ſuæ & ſudoris tributa non exigat; vel ſi culturam omnino reſpuant, cujus ſylveſtres plantas, & neglecta nationibus aliis lolia, in menſæ delicias convertere, agrorum inops & nunquam otioſa multitudo neſci-

Gaudens cœlo temperato.

neſciat: quin paludum, ſylvarum, teſquorum radiculas atq; omne maris animale & vegetabile, quod vocant, genus, holothuria, conchylia, algam, piſces etiam venenatos, non ad victum modò, ſed ad ſecundæ menſæ & conviviorum pompam transferre edocta. Deeſſe ſcilicet natura noluit, quin daret virtutis materiam illis, quibus adverſùs ſoli difficultatem duriora corpora, adverſùs ſterilitatem ſolertia ingenia conceſſerat, & cavere, ne inertiæ turpitudine generoſa indoles torpeſceret; inſtar nigritarum, inter Tropicos degentium, qui ſpontaneâ arborum annonâ obruti, languidam ducunt vitam otioſi pecoris. *Regeris:* infelicem tamen patriam eſſe, quæ cives ſuos perpetuò diſtineat, & communionis difficultate impediat, quippe ſic diſtracta, & in fragmenta inſularum pene innumera divulſa? Sed & hoc dandum eſt beneficio inſolentis naturæ, quæ intervallis illis quaſi orbem terrarum æmulata, & ſoli ſitûsque varietate, varium quoque neceſſariorum proventum enixa eſt. Quid enim in eâ deſideraveris, quod non aliqua ex variis provinciis inſulisque in communem uſum imperio ſuo conferat? Aurum parturiunt *Oſju, Sado, Syriga* & *Satzuma;* Argentum *Kitamai* & *Bengo;* Cuprum *Syriga, Atſingano* & *Kii no kuni;* Stannum *Bungo;* Ferrum *Bitſju;* Præbet carbones foſſiles *Tſikuſen*, ligneos *Ono;* Sulphur eructat perpetuo flammans *Jwogáſima*, & foſſile produnt plures terræ aliæ; *Fiſen* variam condit argillam, etiam pro vaſis murrhinis (porcellan); *Toſſa, Oſarra, Aki* ligna dimittunt; Boves vendit *Nagatto*, equos *Oſjo* & *Satzuma;* Oryzâ abudat *Canga*, Caſtaneis *Tſikuſen*, ficubus fructibusque variis *Wakaſa;* Littora provinciæ *Oki* cochlearum, *Niſji Jamma* algarum, cetera piſcium varietatem & copiam præſtant. Omitto, quæ uberè plures ſimul conferunt provinciæ, velut grana, legumina, & earum rerum varietates, quæ pro texturis ſerviunt. *Omra* in ſinu ſuo margaritas habet; *Rjuku,* *Sat-*

Terra feraciſſima.

Satzuma & *Kii no kuni* in littore ambram recipiunt; *Tſugaru* cryſtallum fovet & lapides pretioſos. Nec medicamenta aliunde deſideres, cum tot valles depreſſi, tot montes editiſſimi, diverſorum climatum herbas, unius compendio regni proferant. In artium verò quocunque genere, cum nulla intra patriæ circuitus materia deſit, in quo ingenium & ſolertia gentis occupari poſſit; longè quoque abeſt, ut magiſtros ſuos aliunde requirat, ut potiùs omnes populos manu & ingenio antecedat, præſertim fabricatione varii æris, auri, argenti & cupri. Ferro quantam norit duritiem & nitorem conciliare, armorum teſtabitur præſtantia. *Sawaas*, atrâ ſuperficie nitens pretioſiſſimum metallum, (ſed quod arte producitur ex cupro aurique modico) nulla Orientis gens pari ingenio novit attemperare, exſculpere, inaurare, & ad obryzi nobilitatem ac pretium elaborare. Pannos ſericos fili æqualitate & ſubtilitate texit ipſis Seribus inimitabiles: nobilium id præſtat operâ, qui ad inſulas ex delicto aliquo damnati, ingenium & tempus ad ſubtilioris texturæ patientiam impendunt. Vinum quoque, quod *Dſáki* vocant, ex oryzâ ſuâ multò coquit generoſius lautiusque, atque Sina; idem in cibi coctione, nullis niſi vernaculis aromatibus temperari ſolita, primatum obtinet. Chartam pariter firmiorem & candidiorem parat ex cortice mori ſylveſtris, quàm Sina ex arundine & goſſipio. Verniceum verò ſplendorem in menſis, in ſupellectilibus, in domibus, quis non admiretur? quicquid Sinenſis aut Tunquinenſis moliatur induſtria (nam Siamum, quod vernicem maximè ſuppeditat, æternus torpor occupat) ad eum nitorem nunquam vernicem reduxerit, aut in obductionis artificio æquè excellit. Taceo diverſa hæc artium opera, ſive ad vitæ neceſſitatem, ſive ad luxum ſpectent, variis in provinciis non eodem ingenio & nitore, non in pari pretio & copiâ elaborari. Hinc ad vernaculas rerum com-

Exculta artibus.

Mutuis commerciis florens.

commutationes & mutua commercia, hem, quàm occupatæ ſunt negotiatorum curæ! quàm inſtructi navigiis portûs! quàm florentia inde paſſim locorum reperiuntur emporia! Vivere circa littora Oceanum & inſularum freta putares: tantus ibi hominum tumultus, tantus diſcurſus velorum; navigiis non minùs ad pompam inſtructis, quàm ad uſum fabricatis. Structura navium eis eſt ſingularis: nam præter cetera, puppis eſt aperta, ut undas hauriat in altum mare provecta, & inepta ſit, quâ effugium ex orbe Japonico tentari poſſit.

Scientias atque cultum ingenii quod attinet: fortaſſis Philoſophiæ ſtudium deſideramus. Non equidem Japonii Philoſophos extra patriæ limites proſcribunt; ſed otioſas contemplationes ad monaſteria relegant: contenti ſolâ morali, velut diviniori Philoſophiâ, quam Doctori 丘 丘 ſeu 孔夫子, *Koo* vel *Kooſj* (qui apud nos nuper obtinuit nomen *Confutii*) acceptam referunt, & quam olim toto pene ſeculo poſterior Græcorum *Socrates* de cœlo traxiſſe ac mortales primus docuiſſe dicitur. Sed exulat, fateor, Muſica, quæ harmoniæ præceptis conſtringitur; exulat cum eâ interior totius Matheſeos cognitio. Aſt, quæ eſt extra Europam gens horum ſacrorum capax? quodnam eſt, præterquam Occidentis noſtri, ingenium, quod usquam terrarum hâc luce clareat? Idem ſenſeris de Theognoſiâ per Chriſtum ſalvificâ. Equidem grave eſt cultiſſimæ genti, antiquiſſimam religionem patriam deſerere, amplecti peregrinam, novam & primâ ſpecie incredibilem de Deo-Homine, eoque crucifixo! Flagrabat jam abhinc ſeculo accenſa Orienti huic pharus Chriſtianæ religionis, ſed quæ brevi poſt, eheu! martyrum ſanguine rurſum exſtinguebatur: eorum profectò culpâ RR. PP., quorum laudabili zelo ipſa accenſa erat. Experirentur

Imbuta ſcientiis.

Theologiâ;

Qqq

tur induſtrioſi hujus Ordinis PP. durabiliores ſucceſſus in propagatione Chriſtianæ fidei, niſi auſpicatis initiis, & ſuis conſiliis nimium freti, alienis negotiis & periculoſis auſibus eosdem aggravarent, aliquando etiam præcipitantiâ peſſumdarent, ſperatorum eventuum impatienter cupidi. Gentiles certè nulli ullam religionem priùs damnant, aut ejus doctores arcent, quàm ab iis damna & publicæ tranquillitatis pericula experti ſint. Japonia tamen non eſt ἄθεος: eſt ei ſua, quin multiplex, religio, & Divinæ Majeſtatis cultus, qualiscunque licet, ac veneratio ardua; eſt in virtutum ſtudio; eſt in devotione & vitæ puritate; eſt in animarum curâ, in peccatorum expiatione, in æternæ beatitudinis deſiderio, Chriſtianâ major æmulatio. *Medicinâ;* Medicæ artis, quàm (noſtratis) Chirurgiæ, gnariores ſunt. Medicamentorum tamen farragine ægros non multum fatigant Medici: qui morborum radicem (quam obſtructionem vocant), & doloris materiam, (quam occluſos flatus ajunt) externâ arte, puta acu fumoq́ꝫ, exterminant. Balneorum quoque uſu domeſtico, quô indigenæ puritatem corpori quotidie conciliant, innumeros morbos, vel citra intentionem, profligant; contractos quoque contumaciores, noſtratium more, ad thermas relegant, quibus ſparſim regio ſcatet efficaciſſimis. *Jurisprudentiâ;* At, *inquis*, Themidis ſacra ignorantur? Noſtræ, profectò, æquo animo ignoraverint: quorum crebriore abuſu Innocentia pati magis, quàm vindicari conqueritur. Brevior Japoniæ ac toti Aſiæ ad Juſtitiam via eſt: non hîc integras Olympiades contendunt, aut ſcripta reciprocant; ſed percepto controverſiæ ſtatu, auditis utrinque teſtibus, attentis rerum circumſtantiis, congruentem Legis tenori, ſine morâ ſententiam fert Judex, nullâ Appellationis remorâ intercipiendam, nullo ſuperioris judicis favore mitigandam. Quâ quidem brevitate, ſi in aliquâ juris particulâ aliquando erre-

erretur; non poteſt tamen error tantam afferre noxam, quantam vel per legitimos fori proceſſus patimur in Europâ. Ut non dicam de cauſarum magnâ tarditate, per exceptiones, dilationes & trecentos rabularum aſtus: quibus omnibus exantlatis, provocamur denuo ad Judicium, quod vocant, ſuperius; ad novam litis totius redintegrationem cogimur; à maximis patientiâ & impenſis ad majora compellimur; à Charybdi in Scyllam ducimur. Interea non putaveris, Lector! ſine Inſtitutis & Legibus agi in Japoniâ. Tantæ molis & ſummi floris Respublica, tam vicini maris inſtar mobilis & ſeditioſa natio, in eo ordine & tranquillitate contineri nequaquam poſſet, ſine Conſtitutionibus ac Legum acerrimo freno. Harum rationem atq; ſimul ipſam felicitatem regiminis perſpicies, ſi Rempublicam, quatenus imperio clauſo nunc geritur, primasque occluſionis occaſiones & cauſas excuſſero.

Legibus optimè inſtituta.

§. IV.

Occluſionis occaſio & hiſtoria.

Latuerant diu obſcuro nomine è *Daats*, ſeu *Tartariâ*, hoſpites in Japoniâ, & per provincias diſſeminati, incultam ichthyophagorum vitam vixerant: cum Romanæ gentis conditori coævus 奈武示帥 *Dſin Muu Tei*, Princeps prudentiâ & corporis Majeſtate ceteros antecellens, Monarchiam inter ſuos conderet, & primus mereretur, â quo Annalium memoria & æra patria auſpicium caperet, ceterorum gentis antiſtitum rebus, & omni antiquiori hiſtoriâ, ob illius temporis incuriam, omiſſis. Verum, quæ primitus regimen in illâ ſeculorum innocentiâ felicitabat, ea deinde rebus proſperè gerendis maximè obfuit, ſuperſtitioſa, inquam, & ſupra humanam aleam faſtuoſa ſanctitas, quam ſibi arrogabant *Mikaddi*, ſive Monarchæ microcoſmi ſui; (hôc enim omnem contineri

Primi Monarchæ erant Pontificiæ dignitatis;

mundum putabant) freti felicitate originis ſuæ, quam ſe ex 神大照天 *Ten dſjo dai dſin*, ſeu ſupremo mundi ſui Jove, per primogenitorum deſcendentem lineam ducere ajebant. Dedecebat enim ſanctitatem illam, ſui adoratores ſubditos niſi molliter regere; dedecebat res humanas niſi alienâ & ſeculari operâ dirigere, atque nutu omnia, Divûm more, agere. Invaleſcente igitur temporum livore, effrena nobiliorum potentia, non modò traditas ſibi à Majeſtate Provincias retinere auſa eſt, ſed quotidie etiam in majoris fortunæ deſiderium accenſa, diſſenſiones movere, & introducto armorum uſu, de poſſeſſione exturbare cœpit finitimos. Hinc radicata in animis odia ſunt; hinc recluſæ civium lanienæ, & iracundiam niſi ſuccumbentis ſanguine temperavit poſteritatis ambitioſa licentia.

deinde Rectores Imperii ſeculares.

Ad quam verò, quantum poſſibile, reſtringendam, cum *Sëogun*, id eſt, ſummus Dux, Imperatorio exercitu armatus mitteretur, è Regiis filiis natu major, utpote futurus Dignitatis paternæ ſucceſſor: cœpit in hoc oriri Majeſtatis quidam fulgor ſecularis, tantus quidem, ut *Joritomo*, quinque ab hinc ſeculis Dux, cum Pontificalis Majeſtatis ſucceſſione fruſtraretur, Imperatoris titulo decorari & in horum ordine primus recenſeri cœperit. Attamen Duces illi, cùm non ſuâ, ſed mutuatâ ſaltem potentiâ, & Majeſtatis paternæ tantùm refractis radiis clarerent, noſtri tandem ſeculi (ſexti ſupra milleſimum) principio factum eſt, ut propriam poteſtatem & ab aulâ Pontificali neutiquam dependentem, in ſeculari regimine ſibi vindicaret Dux, miſſus è filiis natu minor: qui divortium Majeſtatis, rem majoris momenti, quàm negotii, aggreſſus, ſanctam genitoris ſui Purpuram, cujus ipſe hæreditatem injuriâ nativitatis deſperabat, retento ad arbitrium exercitu,

citu, privavit omni ſeculari potentiâ: intaminatâ ejus auctoritate ſacroſanctâ, quâ gaudere creditur in ſpiritualibus, velut genuinus in Divûm ſolio ſucceſſor, & proximo à Diis cultu à populo ſuſpiciendus.

Temeritatis ſucceſſus non adeo fuit facinoroſo filio, quàm ipſi Patriæ ſalutaris, in quâ Dux fundamentum jecerat ad novam Reip. & meliorem perquam ſeditioſæ nationis frugem. Quippe detractum Pontificali Celſitudini ſeculare Diadema, tantum abeſt, ut violatoris capiti relictum fuerit: ut potiùs communi dimicantium aleæ diu expoſitum, tandem fortunæ conceſſerit Herois incomparabilis prudentiæ & fortitudinis *Fidejos*, vel, ut deinde appellatus eſt, *Taico*, ex ſervili miniſterio ad hanc ſpartam ſuâ induſtriâ & virtute enitentis, circa annum Chriſti 1583. Sagaciſſimus Imperator, Principum & totius nationis ingenium, facultates, inclinationes, vota, atque ſtatûs intima perſcrutatus, advertebat: haud durabilem ſibi futuram Imperii poſſeſſionem, niſi Regulorum enervatâ priùs ambitione, domitâque libertate. Hoc quidem maximi ponderis & huic Orienti novi facinoris negotium erat; ſed quod ſuo tempori & gloriæ relictum videbat: oppreſſis jam à ſe aliis; aliis conflictu mutuo fatigatis; ceteris adhuc bello & aſtu declinandis, qui obſiſterent.

Taico factus ex ſervo Imperator Japoniæ;

Secula quatuor fruſtra laboraverant ſancti Monarchæ, Principum ſuorum ut libidinem compeſcerent, per Duces filios & vim armorum. Hanc unâ & alterâ Olympiade edomabat *Taico*, non tam viribus, quàm prudentiâ & occaſione temporis, in quod virtus ejus inciderat. Motis namque à ſe in Coræam armis, nondum proſtratas civili bello manus Potentiorum, à cœlo natali & territoriis propriis abſtrahebat; quas extra patriam dum laboribus & alienis curis transmarina occuparet turba Tartarorum, Ipſe interea ſibi Dominatum, nemine obſiſtente, firma-

Coërcet Regulos;

bat in Patriâ: In quâ, re ſuâ feliciùs, quàm in ſolo hoſtili expeditâ, Regulos ex caſtris revocandi conſilium inibat. Hos, injuriis peregrini cœli pertæſos, exhauſtos facultatibus domeſticis, fractos vigore animorum & prono in ſeditiones ſpiritu, denique cupidos viciſſitudinis patriæ tranquillitatis, quavis etiam ſub conditione perfruendæ, facilè perſuaſos iri confidebat (conſilio quidem *ſecuritatis, hâc ſeculi tempeſtate*, quod ajebat, *neceſſariæ*) ut intra pomœria Sedis Regiæ, (quam interim muniverat, palatiisque eum in finem adornaverat) pro conjugibus liberisque domicilia caperent; ipſi verò territoria quique ſua reduces futuri ſubirent; definito ſingulis tempore, quo & familiam & Imperatorem quotannis viſitatum accederent. Latebat, in hôc graviſſimo Imperatoris inſtituto, formæ regiminis & fortunæ patriorum Principum fatalis mutuatio: dum hôc ipſo eorum familias haberet in clauſtris ſuis perpetuos obſides fidei, quam & Principes ipſi annuâ homagii præſtatione confirmarent: Incomparabili exemplo tam expeditæ ſubjectionis Celſorum Principum à plebejo milite.

Domat populum; Sic ſatis frenatâ, publicæ & Majeſtatis ſecuritati infeſtâ, Regulorum potentiâ, ad domandam pariter Rebuspublicis pernicioſiſſimam licentiam vulgi, belluæ multorum capitum, progrediendum erat, & ab ejus ſeditioſo furore Majeſtas nova, novis Legum ſanctionibus, munienda. Illas verò, ſic permittente temporis fortunâ, omnino ad cœli gentisque genium accommodare placuit, & eo rigore acuere, ut à *Dracone Athenienſium*, non atramento, ſed ſanguine ſcriptas eſſe dixeris: non quòd vel ultra facultatem parentium, vel citra ſalutarem Reip. & in ſtatu regiminis fundatam rationem quicquam exigant; minùs, quòd *Dionyſiano* animo promulgatæ, & ne legi poſſint ſuſpenſæ, innocentium ſupplicia eſuriant; ſed quòd omnia,

con-

contra Leges Imperatorias, delicta, nunquam mulctâ, ſed procul omni juris moderamine & conniventiâ, delinquentis ſanguine expianda veniant; exceptis Magnatum criminibus, qui ad Inſulas damnantur, vel ſuâmet perire manu jubentur. His regio Legibus compeſci flagitat; pernicioſum fore & improbiſſimum pronuncians, (nec ſine ratione) ſi pauperes tantùm conſtringerent, permiſſâ peccandi facultate divitibus! Miratus ſum, viator, ſuſpenſarum Tabularum (quibus ubique præſtanda publicantur) breviloquentiam & nuditatem; nullâ recentis præcepti cauſâ vel occaſione, nullâ Legis ratione aut ſcopo, nullâ pœnæ qualitate definitis. Decet nimirum promulgantis Majeſtatem Imperatoria brevitas; ſufficit rationem noſſe illum, de cujus judicio diſputare ſacrilegium eſt; Pœna verò parilitate rigoris nec poteſt eſſe ignota, nec iniqua etiam indigenis: qui peccatum in ſolâ reponunt Legis transgreſſione, non in majori vel minori criminis malitiâ. Contumaces equidem ſubditi, diſſidentes locô & animis provinciæ, & quod ex primis eſt, dura & Imperii ſitientia Principum capita, duro quoque ſceptro in devotione & officio retinenda ſunt; quod de Ruſſis ſuis dicere ſolebat Moſchorum Dux *Johannes Baſilides*. Generoſa quippe præcordia Primatum, priſci memorum ſplendoris, perpetuò turgebunt vindice libertatis ſpiritu, & in auſus erumpendi prono; ſequaci ſemper ſubditorum, & in has vel illas partes propendentis multitudinis, libidine non ſatis frenatâ.

His ita partim conformatis, partim etiam Succeſſoribus commendatis, deceſſit anno Chriſti 1598, qui ſudum Japoniæ primus inducere feliciter exorſus eſt, Imperator prudentiſſimus *Taico*, poſt fata Divino nomine *Sſin Fatziman*, id eſt, novus Fatziman ſive *Mars*, appellatus. Cujus faſces non minùs ſecundo Reipublicæ fato

Teicoi morientis ſceptro potitur familia Tokngaua, Regnandi gnara;

fato excepit filii ſexennis *Fide-Juri* tutor *Ongoſjo*, mox *Jjejas*, & poſt mortem, *Gonginj* dictus, ſatus ex famoſâ proſapiâ *Tokngaua;* cujus per Regiam ſucceſſionem nepotes clavum Imperii hucusque dexterrimâ manu, acerrimis Legibus, feliciſſimo ſucceſſu dirigunt: Regulos retinendi ſubmiſſos in officio, ac pro ratione ſtatûs ſingulorum attemperandi vires, gnari; non armis premendo, non gravando tributis, ſed humanitate & beneficiis variè ſibi devinciendo. Emungunt, cum largiuntur; exhauriunt, quos inviſunt; impediunt, cum officia dant; gravant, quos Titulis nobilitant: & quibus non oneroſis gratiæ generibus Magnates ſibi ad præſtandam obſtringunt devotionem non minùs, quàm ad profundendos provinciæ cujusq; reditus, qui ſunt civilis belli inſtrumenta & illecebræ. Innata enim genti ſuperbia ita animos extollit, ut honoribus ab Imperatore collatis, magnifica reſpondere expenſa debeant, collocanda in nitorem Domûs ſuæ, in miniſtrorum multitudinem, & in pompam itineris, ad Aulam quotannis ſuſcipiendi: ut, cujus nunc orbati ſunt Principes Gentilitiæ poteſtatis fortunâ, ejus umbrâ tamen ambitionem exſatient. Taceo eximias artes, quibus iidem Imperatores Regulos ac Principes ſuos, à mutuis congreſſibus & communicatione diſtinent, colloquiorum & domuum arcana ſcrutantur, propenſiones vel odia, prout è re Majeſtatis eſt, inter illos ſufflaminant, vel ſuffocant. Taceo miram ſagacitatem, quâ Officialium toto regno reditus, labores, induſtriam expendunt; quâ Præſulum vitas, ingenia, intentiones explorant; quâ Judiciorum actiones & deciſa cognoſcunt.

Abolet peregrinos mores, luſus, religionem.

Rebus igitur jam ita compoſitis, ne, quas ſpirat gentis indoles, ſeditiones ex patrio fonte facilè manarent, ad tollendas quoque peregrinas malorum occaſiones, cura extendenda erat, & omni niſu id agendum inviĉtiſſimis Re-

Rectoribus, ut naſcenti felicitati Reipublicæ complementum, introductæ tranquillitati firmitatem, & rerum ordini perpetuam conſtantiam adderent: ne dolere ſera poſteritas ſui neglectûs & imprudentiæ culpam poſſet; quam alioquin in cœli influxum rejicere, & fatali Rerumpublicarum periodo excuſare ſolent Politici. Cenſuram illico ſubibant peregrini mores, quos partim ipſi cives aliunde, partim advenæ hoſpites induxerant. Chartæ luſoriæ, teſſeræ, duella, epularum veſtiumque luxus, & quævis exotici moris deliciæ, virtutum & civilis continentiæ peſtes declaratæ ſunt! Nec evaſit judicii rigorem invecta ſalutaris Chriſti doctrina, utpote formæ regiminis, unitati civili, & religioni, quâ Diis patriis, & ſanctitati Pontificis *Mikaddi* ſui obſtringerentur, maximè infeſta! Civium in regna tranſmarina, exterorum ad hos fines excurſiones, alienum & à cœli indole degenerem nationi animum, totique Reipublicæ inquietudinem inducere judicatæ ſunt! Verbô: cœlo peregrino acceptum relatum eſt, quicquid noxæ in Republica vel ſupereſſet, vel renaſci in futurum poſſet; fruſtra verò ſanitatem corpori promitti, niſi reſectâ priùs membri gangrænâ; fruſtra in abolendis malis laborari, niſi mali ſublato fonte!

Claudi igitur, claudi in perpetuum, & ab omni hoſpite penitus repurgari poſtulavit Imperium: Suaſit idem regiminis ratio; exegit populi ſalus; deſideravit cœli genius; voluit ſummi Principis ſecuritas. Quocirca Sereniſſimus Imperator & illuſtre Regni Senaculum conceſſerunt in hanc ſalutarem ſententiæ concluſionem, æternâ inq; omnem poſteritatem inviolabili Lege ſtatuendam: *ut clauderetur!* *Claudit Imperium.*

Ex omnibus peregrinis non erant, qui vel firmiores radices, vel Regno deteriores egiſſe putabantur, atq; Luſita- *Exturbat Luſitanos.*

ſitani, non diſparis ingenii à Japonum arrogantiâ natio; Ex quo enim hæc, anno Chriſti 1543, primùm in hanc Colchidem pedem intuliſſet, atque illico figere etiam ſtatuiſſet, aurei velleris amore percita, ſic partem gentis devinctam ſibi brevi reddidit mercibus exoticis, religione & connubiis, ut rerum ſuarum freta ſucceſſibus, auſa ſit extendere deſideria ad regiminis politici mutationem, nefariis ſanè & damnoſis Regenti Familiæ conatibus. Percutiebat Sereniſſimi pectus plena proditionis epiſtola, à Batavis, Luſitanorum tunc hoſtibus & lucri æmulis, circa Africæ promontorium, Bonæ Spei dictum, intercepta; & parilis momenti altera, à Japonibus ipſis ex Cantono, Sinenſium urbe, tranſmiſſa; Fatigabat aures de faſtu hoſpitum primus Regni Senator, cui obvio Epiſcopus jeſuita non præſtitiſſet ſolitam à civibus obſervantiam; Movebat viſcera incredibile lucrum, quo ſubditos, ſupra ſortem curioſos, & exoticarum rerum dementer cupidos, emungerent; ſuſpendebat animum Chriſtianorum novitiorum inter ſe concordia, in Deos patrios odium, fideique tuendæ pariter & propugnandæ ardens pertinacia; ſtimulabat curas ſeditionum metus, ne, qui tot patrios ignes in recenti Imperio ſuppreſſerant, &, pro ſecuritate ſuâ, rebelles Principum ſpiritus, tot impenſis laborum & patrii ſanguinis, tandem coërcuerant, ne, inquam, exoticum hunc fomitem gliſcere permitterent.

Chriſtianos internecione delet.

Hunc igitur delere, ſed lentâ manu, cœperat Imperator *Taico*, cùm, maturè extinctus, magni momenti & longi temporis opus ſucceſſoribus relinqueret: qui deinde ſub crucis pœnâ juſſerunt, cum Clero ſuo atque omni Japonici ſanguinis affinitate, exire Luſitanos, remanere intra limites Imperii indigenas, profectos verò præſcripto temporis termino rurſus adeſſe, delendos pariter, ſi redierint ſeriùs; Chriſtianos factos, Crucifixi nomen, ſignum,

gnum & doctrinam abnegare. Hæc non ſine ſummâ difficultate ſucceſſerunt: ut olim in acquirendo Majeſtatem minùs, quàm nunc in ſtabiliendo, illic gentilis, hîc Chriſtiani ſanguinis profuſum fuerit. Nam cum refutari Chriſtiani non poſſent rationibus; ferro, laqueo, igne, & quibusvis duriſſimæ concluſionis argumentis convicti ſunt. Quibus tamen omnibus recens converſorum pietas, tantum abeſt, ut fracta fuerit, ut potiùs in æternum gentiliſmi dedecus, quovis martyrii genere oppugnata, Chriſtianæ fidei veritatem, in fatali cruce, ſtupendis conſtantiæ exemplis obſignaverit. Duravit ex ſtirpationis tragœdia annos circiter quadraginta, dum ſæviſſimus Chriſtiani ſanguinis heluo *Jjemitz*, à morte appellatus *Teijojin*, filius & ſucceſſor *Fide taddæ*, poſt fata *Tei to quini* dicti, nepos *Jjejæ*, ſanctas reliquias Chriſtianorum in Japoniâ, unicâ plagâ & die, ad internecionem deleverit; videlicet Chriſtianos ampliùs 37000, quos ad vitam tuendam deſperatio convocaverat in arcem *Simabara*, in marino littore provinciæ *Arrima* poſitam; expugnatam poſt trimeſtrem obſidionem, die 28 Menſis ſecundi, periodi *Quanje* (i. e. die 12 Aprilis anni 1638) prout impreſſi referunt Annales Japonici *Nen dai ki*, *O dai ki*, & quæ de tumultu Chriſtianorum extat hiſtoria Japonica *Simabara gaſen*. Quo ipſo tandem omni exhauſto Chriſtiano ſanguine, humanæ lanienæ & martyrii ſcena circa annum Chr. 1640 reducta eſt, repurgatâq; penitus ab extraneis Japoniâ, totius Imperii fores, fines & littora occluſa ſunt; ita ut ne Luſitanis, Legatorum quidem titulo præfato anno advenis ex *Macao*, ſententiæ veniam Jus gentium præſtiterit: quin cum comitibus ad ſupplicium rapti, pœnam capitis invenerint ſexaginta & unus; rei ſpectatæ nunciis ac teſtibus remiſſis paucis ſervorum.

Batavi hoſpites, ab anno primo decurrentis ſupra mil- *Admittit Batavos.*

 leſi-

leſimum ſexcenteſimi ſeculi, regnum illuſtris Societatis nomine frequentabant. Iniquum erat eosdem pari rigore damnare, quorum fides per omnem in Japoniâ moram explorata erat, tum contra Luſitanos, regni declaratos hoſtes, tum contra indigenas rebelles *Arrimæ;* præſertim Imperatoriis Diplomatibus inſtructos, uno ab *Jjejâ* anno 1611, altero à *Fide tadâ*, anno 1616 dato, quibus negotiandi libertatem perpetuam adepti fuerant. Ea res igitur ita moderata eſt, ut, quam primò captivitatem in Sinu maris pro Luſitanis exſtruxerant Japones, eam ſubirent non ejiciendi prorſus, nec tamen admittendi Belgæ, quò inter juratos Argos & cuſtodes à communione indigenarum ſatis occluſi, vinctis ſimiles, fideique obſides, transmarini mundi internuncii remanerent: ex quibus quid foris extra microcoſmum ſuum ageretur, reſciri poſſet; merces quotannis pro ſumma 500000 uncialium vendere permiſſis, ut eſſet, caveâ damnatis, patientiæ præmium. Errat, qui putat, Batavorum mercibus Japoniam carere non poſſe; plus ea veſtium una hebdomade atterit, quàm illi uno anno ſerici & texturæ inferunt; ceteris, velut *Catſjù*, Camphorâ de Baros, *Putſjù*, ſeu Coſto, & aromatibus, pro luxu Medico tantùm ſervientibus.

& Sinenſes. Sinenſium verò nationem, cujus & doctrinâ exculti majores ſui, & exemplô ad tantum decorem perducta Respublica fuerat, à latâ conſtitutione habendam duxêre immunem, præciſâ ſaltem licentiâ appellendi mercandique alibi, quàm in littorali emporio *Nagaſacco*. Admiſſi igitur ſunt, cùm ex ipſâ Sinâ, tum ex Indiæ regnis, (in quibus nunc diſperſi habitant) Sinenſis nominis advenæ, donec, qui inter hos Chriſto initiari cœperant, libros vetitæ de DEO vero lectionis, inter Sinenſium librorum volumina (quæ quotannis important venalia) reconditos, inducere tentaſſent, & eam doctrinam de novo vulgare, quæ ſalu-

ſaluti publicæ peſtifera judicata,& tot turbis martyriisque non ita pridem eradicata fuerat. Eandem igitur, ut in clauſtro habitarent, experiri cum Batavis ſortem coacti ſunt; ſed quam nunc multò luunt turpiorem,injuriis non æquè generoſè reluctari, atque noſtrates edocti; quippe æmuli inter ſe, unius quidem nominis, ſed diverſarum regionum cives, lucri cupiditate, ad quascunque ignominias in clauſtro ſuo ferendas, patientes.

Regni Japonici ſtatus poſt occluſionem proſperrimus.

§. V.

Hôc occluſæ regionis ſtatu,obſtare ampliùs Imperatorum intentionibus non valuêre, vel ſubjecti Principes ambitione, vel cives contumaciâ ſuâ, vel nationes peregrinæ conſiliis; vel denique converſatione hoſpites,vitæ ſolutæ ut plurimùm ſtudioſi,ne (patulis Regnis inimitabili exemplo) civitates, vicos, pagos & cujuscunque nominis collegia & ſocietates, non exceptis operariorum & opificum ſodalitatibus, in ſtrictiſſimos ordines redegerint,conſuetudines caſtigaverint, ritus alios inſtituerint, operas limitaverint,ad artium perfectionem & novitatum inventionem laudibus præmiisque cives ſtimulaverint,univerſam verò multitudinem mutuis cenſoribus & coryphæis expoſitam, ad ſubmiſſi animi ſtudium, vitam honeſtam & induſtriam adſtrinxerint, & in unam quaſi civilitatis ſcholam, univerſam regionem conformaverint. Ipſa nunc auguſta Domus Imperatorum ab omni ſeditionis periculo vindicata, priſci temporis felicitatem refert, fretaque regionis præſtantiâ & invicto civium ſuorum robore, omnem ceterarum nationum gentiumque invidiam deſpicit. Quos enim habeat? quos extimeſcat? niſi immortalem Deum! *Liquæa*, *Jedſò*, *Coræa*, & quicquid inſularum adjacet,Majeſtatem veneratur homagio. *Sinam* ipſam,regionem quamvis ampliſſimam, non timet,ſed illa

hanc formidat. Mollis quippe Sinenſis gens eſt, cujus devictor, Tartaricæ ſtirpis Imperator, regionum, nationum atque diſcriminum multitudine ſupra humanum modulum oneratus, ad Japoniam manus nunquam videtur extenſurus. Solium qui hodie exornat *Tſinajos*, filius *Jjetznæ*, poſt mortem *Genjujiin* dicti, nepos *Teitoquini*, Princeps eſt inclytus, virtutis patriæ hæres, & præter ſævam, quam tenet, Legum cuſtodiam, Clementiſſimus: qui *Confutiano* dogmate à teneris imbutus, clavum Reipublicæ ad ſubditorum cœlique genium ſuâmet manu dirigit. Vigent ſub ejus imperio concordes cives: Cives Diis ſuis cultum, Legibus morem, Superioribus obſervantiam, paribus officia præſtare edocti: Cives morum, artium, virtutum atque elegantiarum omnium genere præ ceteris mortalibus florentes: Cives inteſtinis commerciis, fundi ubertate, corporum robore, animorum vigore, vitæ neceſſitatibus, patriæ ſuæ tranquillitate, proſperrimi: qui, ſeu priſtinam licentiam ſuam conſiderent, ſeu remotiſſimorum temporum hiſtorias excutiant, non reperiunt *feliciori ſtatu Patriam, quàm ubi ſummi Principis arbitrio moderata, ab exterarum gentium communione maximè abſtracta & occluſa eſt!*

AMOE-

AMOENITATUM EXOTICARUM

FASCICULUS III.

Continens

OBSERVATIONES PHYSICO-MEDICAS CURIOSAS.

Catalogus Relationum
FASCICULI III.

Obſerv. 1. Agnus Scythicus, ſeu fructus *Borometz*.
2. Torpedo Sinûs Perſici.
3. *Muminahì*, ſive Mumia nativa Perſica.
4. Dracunculus Perſarum in littore Sinûs Perſici.
5. Hiſtoria Aſæ fœtidæ.
6. *Dſjerenàng*, ſeu Sanguis Draconis, ex fructibus Palmæ coniferæ ſpinoſæ elicitus.
7. *Andrùm*, ſive Hydrocele, regioni Malabaricæ endemia.
8. *Perical*, ſive Hyperſarcoſis ulceroſa pedum, Malabaricæ genti vernacula.
9. Tripudia ſerpentum in Indiâ orientali.
10. Gemina Indorum antidota.
11. Curatio Colicæ per acupuncturam.
12. Moxa, polychreſta cauteriorum materia.
13. Theæ Japonenſis hiſtoria.
14. Ambra vindicata.
15. Inebriantia Perſarum & Indorum pharmaca.
16. Ligaturæ magicæ Macaſſarorum.

OBSER-

OBSERVATIO I.

Agnus Scythicus; ſ. Fructus *Borometz.*

Sicut ex dactyliferæ arboris hiſtoriâ Phœnicem formavit priſca credulitas; ita curioſitas ævi recentioris, pari nomenclaturâ decepta, contrariâ transformatione ex animali vegetabilem fœtum, plantamve *Borometz*, ſeu *Barannetz*, in exoticarum rerum hiſtorias intulit: plauſibilem ſanè adeo, ut magnus in Plantarum Regno Princeps, *Joh. Bauhinus*, magno *Scaligero* primæ relationis gloriam invidiſſe videatur, cùm recitatis, qui Plantæ ante ipſum meminerant: *Sanè*, inquit, *merebatur tanti miraculi recitatio, auctoris honore mactari; ſed adeò nimirum omnia voluit ſcire, aut ſciſſe putari, vir ille ſine æmulo maximus, ut vel in eo ſe ipſo fretus, noluerit alieni nominis ſubſidio gradum ſibi facere ad gloriam ſuam.* Plantam, idem ſcribit, creſcere in Tartariâ, (*Baro* de *Heberſtein*, apud Zevolhenſes; circa mare Caſpium alii) agni figurâ, ad pedum ferè trium altitudinem, corio tenuiſſimo obduci, cujus detracti uſum incolis eſſe ad capitum tegmina; depaſcere gramina, devorari à lupis, & plura alia, quæ tranſcribere nihil attinet: quippe vera ſatis, & legenti primâ fronte notiſſima, ſi, ut par eſt, de ejusdem patriæ, Usbeciæ ſcilicet, ſeu Tartariæ mari Caſpio finitimæ, veriſſimo animali, puta Agno & agnino fœtu, neutiquam de vegetabili ſpecie intelligantur. Hujus rei fecit fidem, non obiter inquirenti, mihi magiſtra rerum experientia, quam hìc Lectoris candori evolvam.

Baràn vox Sclavonicæ originis eſt, Polonis Ruſſisq; ovem ſignificans, cujus diminutivum Polonicè ſonat *barannek*, Moſcoviticè *borannetz*, corruptè *borometz*. Ab eâ non abludit Perſicum بَرّه *Barrèh*, prædictæ ſignificationis vocabulum & cum Scythis finitimis commune. Ovium autem Scythicarum duplex genus eſt; unum vulgare & in Germanorum patria familiare; alterum ſingulare quoddam, in Provinciis quibusdam circa Caſpium frequens, velut in *Choraſmiâ*, *Bocharâ* & *Nagajâ*, atque his potiſſimùm nominibus notabile: (1) quòd mole ſuâ regularem aliarum ovium magnitudinem ita excedat, ut non raræ ſint, quæ aſinorum altitudinem referant, tripedalem omnes longè ſuperent. (2) quòd caudâ donetur à noſtratium abſimili; enormem enim pinguedinis maſſam, cui caudæ adhæret veſtigium, clunibus ſuis gerunt, tanti pònderis, cujus circumductioni ipſæ aliquando deficiunt; Fidem, non veritatem, ſuperavero, ſi quadraginta libras interdum aſſequi dixero. (3) quòd donetur carne, præ omni ceterarum beſtiarum exquiſitâ; pinguedine verò, præſertim quam caudæ maſſa exhibet, longè dulciſſimâ, quæ in oryzæ & qualiumcunque ciborum coctione butyri locum bonitate ſuâ ſupplet, ſuavitate longè ſuperat. (4) quòd pelle tegatur prorſus eximiâ, quæ pilorum teneritate & cirrato decore ſingulariter ſe commendat. Harum pellium, ut ad rem veniamus, utrisque gentibus, Scythis Perſisque, uſus eſt trivialis; quoniam, ex lege religionis Mahhammedanæ, ab aliarum pellium indumentis abſtinent, tanquam ab exuviis impurarum, vel impuritatis ſuſpicione non carentium, beſtiarum. Magnatum verò divitumque faſtus, ſupra vulgi ſortem amiciri cupiens, pullorum pelliculas expetit, qui annoſis multò teneriores ſunt, & eò quidem cariores, quò juniores fuerunt agnelli, quibus detractæ ſunt; horum enim pili

à pel-

à pellionibus cogi patiuntur in ſubtiliores & denſiores cirros, qui toti pelliculæ pretium & venuſtatem tribuunt. Inde fit, ut teneritatis & lucri inſidiatores non vereantur ipſam anticipare, crudeli lanienâ, nativitatem, & matribus uterum gerentibus, diſſecto ventre, partum ante partum eximere, ſolius gratiâ pelliculæ obtinendæ. Hæc, ritè elaborata, tam dubiam prorſus & delicatiſſimam teneritatem exhibet, ut, reſectis extremitatibus, vix agninæ cutis retineat ſimilitudinem, ſed ignaram credulitatem ſpecie quâdam membranæ cucurbitinæ lanuginoſæ poſſit decipere. Elaboratio in eo poſita eſt, ut interior facies vulgari artis modo liberetur ab impuritate & exteriori cuticulâ, piloſa verò magis atque magis incriſpetur; poſterius non ſuccedit, niſi ſub radiis ſolaribus, & hôc modô perficitur: Pellicula manibus à duobus hominibus vehementer expanditur, lanugo pectitur, ut diſſolvantur flocci, tum peniculo (Bürſte) laceſſitur & in gyros aſſiduò agitur; interim director operis aquam ore retentam ſubinde aſpergit; quo ipſo pili agitati, reciprocæ perfuſionis & inductæ ſiccitatis ope, in cincinnos denſos ac minutiſſimos abeunt, quibus mox firmitas & planities leni prelo concilianda eſt. Pretium pelliculæ, pro bonitatis opinione, exſurgit ad aureos tres, vel ampliùs; ſervit ea pro duplicatione mitrarum, nec rarò, ornatûs gratiâ, togarum & amiculorum limbum conſtituit. *Kalema* vocant pelliculam, quæ exenteratis, *mimraas*, quæ in lucem editis detracta eſt, vocabulis in pellionum officinis ſaltem uſitatis, ignotis in foro publico, unde eadem charactere Perſico notare nolui. Idem ovium, & Scythicis par magnitudine, genus eſt, quod alit Arabia deſerta verſùs بَصْرَة *Baſram*; pellium tamen minor illic dignitas & uſus eſt; fœtus verò exſcindendi ſævitia omnino inſolens & ignota. Quin ad Palæſtinam usque tota inferior Aſia hoc ovium genus

alit, ſed quod pelle diverſæ indolis tegitur, & corpore giganteam illam molem neutiquam aſſequitur; æquè tamen dulce præbet ſebum. Hôc oriens, uti fercula cetera, ita frequentiùs oryzam, inungit; quæ inde ſapore imbuitur longè gratiori, quàm qui expectari poſſit ex butyro, vel quavis aliâ pinguedine.

His præmiſſis aſſerimus: quia de exiſtentiâ Zoophyti, gramina paſcentis, nullibi Tartariæ apud vulgum vel botanicæ peritos extat notitia & memoria, prout ipſe ad riſum & nauſeam exploravi, neque ulla res *Borometz* dicta, præterquam ovinum pecus, ibidem poteſt reperiri, meram eſſe, quicquid de hâc plantâ proditur, fictionem & fabulam: ſive hæc natales debeat conjecturæ alicujus contemplatoris philoſophi; ſive inſcitiæ tribuenda ſit primi relatoris, qui per linguæ ignorantiam, vel incuriam in parergô, rem auditam perperam intellexiſſe potuit; ſive cuicunque acceptam referamus occaſioni alii, quâ per longè diſſitas regiones paſſim provecta ambiguæ teneritatis pellicula integritatem hiſtoriæ ac nominis ſui amiſerit: donec tandem appulſa nobis cum prodigii lepore, in virum illuſtrem, curioſum & hujus peregrinæ lanuginis admiratorem incidens, vegetabili vultu ſuo fidem prodigii, ut ſolent mirabilia omnia, nullo negotio fecerit. Sic auctoritate illuſtratus error, mox ſcriptis quoque firmatus, ſapientiſſimorum ingenia & vulgi opinionem ita occupavit, ut hodie pro Zoophyti ſpecie inter rariora muſeorum oſtentari ſoleat, quæ veriſſima cæſarei fœtûs pellicula eſt. Scitè *Barclajus: Prodigia cum narrantur, excipi ſolent favore mirantium, & quanquam non ad verum exacta ſint, poſtquam ſemel ſcriptorem invenerunt, pluribus placent, veneratione creſcunt, vetuſtate commendantur.*

OBSER-


OBSERVATIO II.

Torpedo Sinûs Perſici.

§ I.

Anatome.

Torpedo piſcis, à ſtupore, quem contrectantibus incutit, nomen ut apud Latinos, ita quoque apud Perſas & Arabes ſortitus eſt, ut illis لرز ماهي *Lers mahii*, his رعّاد *riaad* nuncupetur. Frequentem alit torpedinem dives ſquamigeri gregis Sinus Perſicus, & vernis præcipuè menſibus piſcatorum verriculis immittit minimè deſideratam. Figura corporis ei compreſſa eſt, Rajæ,exceptâ caudâ, ſimilis, exactiùs tamen orbiculata; magnitudo tanta, ut geminæ ſpithamæ diametrum non excesserit, quam vidimus, maxima. Craſſitiem habet in medio biuncialem, ſenſim oram verſùs attenuatam, illic ſubſtantiæ cartilaginoſæ, hic mollioris, exoſſis, & idoneæ, quâ pinnarum officium expleat. Exteriùs lubrica eſt & ſine ſquamis, maculis variis diſtincta, in dorſo albidis & fuſcis, in caudâ obſcurioribus: Venter candicat, ut in pleriſque generibus piſcium planorum & fundi amantium. Superficiem habet utroq; latere inæqualem, maximè in dorſo, cujus medium in ſcutuli protuberat figuram; ſub quâ exſurgit cauda inſigniter prominens, & extra corporis quoque orbem ultra palmæ latitudinem protenſa. Caput nullam habet eminentiam, ſed intra corporis circulum clauditur. Oculi in eo parvuli, extra dorſi ſuperficiem, prominent, latum pollicem tum à ſupremâ orâ, tum à ſe invicem diſſidentes; palpebris ſinguli inſtruuntur duabus, penè ſecundum corporis longitudinem poſitis, exteriore validâ, quam rariùs claudit, interiori tenui & translucente, quæ in aquâ ſubinde nutat. Oculos à culmi



A. Torpedinis maſs dorſum.
B. ejusdem venter.
C. Abdomen fœminæ apertum unà cum cavo pectoris, ut in hôc Cor, in illo Ova & inteſtina appareant.

mi latitudine excipiunt duo ſpiracula, ſeu foramina, obliquè oculis ſubtenta, eorumque magnitudinem referentia, quæ ipſa, in aquâ degens torpedo, tenuiſſimâ pelliculâ, ad modum humani nutûs, ſubindè claudit, ut qui obiter adſpiciat, alterum par oculorum putaverit; quod fortaſſè Clariſſimo *Borrichio* accidit. In ventre ſpectatur os, oculorum ſitui appoſitum: quod tantæ capacitatis eſt, ut, licet clauſum, pollicis articulo tegatur, ob laterales tamen labiorum anfractus in ingentem hiatum diſpandi valeat. Labia in caveam oris depreſſa acutiſſiimis ſubtiliſſimisq; aculeis aſperantur, eo ſitu, ut res intromiſſas ægrè dimittant: Hos rara excipit dentium acutiſſimorum ſeries, in imis faucibus recondita. Oris utriq; ſinui inſtar narium incumbit anfractus ſeu hiatus lunaris figuræ, intus à cavo oris, molli (qualis ſub piſcium mandibulis latet) craticulâ diſtinctus, ac ne in ſeſe collabatur, oſſeo intergerino diſtentus ac firmatus. Mediam ventris regionem, videlicet partem abdominis, maximè ſpongioſam, mollem ac tenuiſſimam, diſtinguunt parva foramina, in duas ſeries dimiſſa, utrinque quina, anguſta, longitudinis exiguæ, in transverſum locata, donata ſingulari, quâ clauduntur, cuticulâ firmiſſimâ; quam adſtringunt gemini nervi, ſingulis foraminibus à latere affixi, eisque longitudine, ſitu & ſerie reſpondentes. Anus oblongo foramine pertuſus eſt, eo loco ventris, quo cauda extra circularem corporis ambitum emergit. Hic compreſſus egeſſit fæces atras, tereſtres, cum lumbricis palmaris longitudinis, albis, tenuiſſimis. Cauda craſſa eſt, cono ſimilis, in pinnam deſinens obliquè ſurrectam, extremitate decuſſatâ; quam in eâdem ſerie, pari ſitu, ſed anguſto intervallo, antecedunt duæ pinnæ aliæ, extremitate ovatâ, majuſcula quidem, quæ medio dorſo, parva, quæ extremæ caudæ propinquior eſt. Caudæ principium utrinque ſtipatur pinnâ carnoſâ majuſculâ, in planum hemiſphærium biuncialis dia-

diametri expanſâ: hæc in maribus deſinit in uncialem quaſi priapum, cartilagineum, tenuem, utcunque ſtriatum, binis in extremitate foraminulis pertuſum, ex quibus humor lacteus, pinguis, viſcoſus, levi compreſſione elicitur. Eviſcerata torpedo tenſam præbuit diſſecanti cuticulam, carnem candidam ex cœruleo dilutam: peritonæum firmum; vertebras à tergo cartilaginoſas, & in caudæ turbinem excurrentes; ſpinas nullas, ſed earum loco firmos tendines, à vertebris demiſſos. Cerebrum quinque refert conſpicua nervorum paria, quorum primum oculis porrigitur, poſtremum modico tractu medullam comitatur, cetera mox ab ortu variè diſcurrunt. In pectoris anguſtâ caveâ liberum pendet cor, ficûs figuram exactè referens. Abdomini capax ventriculus eſt, multis fibris firmatus, plenus atri fœtentisque excrementi; venis donatus pluſculis, unâque inter illas inſigniori, quæ ad epatis dextrum lobum protenſa, felleam lambit veſiculam. Ejus orificio ad lævam oblonga adhæret exiguæ molis glandula, informis, cœrulea, ſeu ea pancreas, ſeu lien fuerit. Epar ingens viſcus eſt, ex rubido pallens, duplici conſtans lobo; quorum primus totum replet dextri lateris cavum; alter ſiniſtrum occupat, priore minor & compreſſior, venam exhibens inſignem, atro ſanguine turgentem: Hunc poſteriorem lobum diceres Lienem eſſe, niſi cum illo (ſub pectore) tenui iſthmo coiret, ejusdemque planè ſubſtantiæ eſſet & coloris. Multis lobi infarciuntur adhærentibus glandulis, fortaſſe p. n. naſcentibus, qui diſſecti ſuccum fundunt pinguem, butyro ſimilem. Remotis cum ventriculo inteſtinis, prodit dorſo utrinque affixum vas quoddam tenue, pellucidum, curvum & inæquale, multis ductuum gyris perplexum, cui quodammodo carnoſa quædam ſubſtantia adhæret, alis veſpertilionum, quas anatomici vocant, non diſſimilis; uterum ſive ovarium eſſe dixeris. In fœmellâ, utrique epa-

epatis lobo incumbentia inveni ova plurima, non teſtâ, ſed tenui cute clauſa, coloris in ſulphureum palleſcentis, in ceteris gallinaceorum ovorum vitellis ad aſſem ſimilia, liquori mucoſo pellucido innatantia, communi incluſa membranulæ (ovario) teneræ, pellucidæ, epati annexæ. A ſubtiliori anatome abſtinere nos juſſit climatis injuria, longam moram in conclavi nequaquam paſſa. Recenſebimus potiùs ſub dio enotatas, quæ ſe in torpedine Perſicâ exſeruêre, facultates mirabiles, paſſim à Phyſicis obiter, vel ex relatu aliorum deſcriptas.

§. II.

Facultates.

Videtur autem noſtra Torpedo ab illâ, quæ in mari mediterraneo capitur, qualitatibus nonnihil diſſidere; ſiquidem eas rectè deſcribunt *Ariſtoteles*, *Plinius* & *Galenus*: perinde fortaſſe, atque Tarantula in Perſide illas ſuo veneno tragœdias nunquam excitat, quas in Italiâ ludere perhibetur à Venerabili naturæ myſtâ *Kirchero*, & nuper admodum à Cl. *Baglivio*. Nimirum horrificos vapores non perpetuò exhalat, ſed, per intervalla temporis, niſu ſpontaneo explodit, dum, effugium conando, libertatis remoram aut contrectantis offenſam ſentit. Exſerit virtutem quaſi momentaneo quodam ructu & convulſo viſcerum motu, quo abdominis ſpiracula dilatando, aërem ſorbet, eodemque illo niſu ſimul tremendum virus in auras excutit: parili ferè impetu, ſed motu corporis remiſſiore, quo hyſtrices Africæ & Orientis ſpinas in lædentes ejiciunt; vel petulantes ſimiæ quædam, ad terrorem tangenti incutiendum, ſubitò tremiſcunt. Sub aquâ manibus prehenſa ſegniùs ferire ſentitur; vel quòd excuſſam virtutem aqua intercipiat; vel quòd in elemento proprio non admodum irritetur. Extra aquam manibus illæſis nonnunquam diutulè tractatur, donec vel aëris pertæſa, vel preſſurâ irritata, repente virus ſuum

diſſolverit. Recens ſalo extracta frequentiùs acriùsque ferit, rariùs & languidè, ſi horas aliquot ſervata & tractata eſt. Nimirum, quò vivacior, major, recentiùs capta, eò ſtupefacit vehementiùs ac frequentiùs; Ferire item fœminea torpedo efficaciùs, quàm maſculina mihi viſa eſt. Ut contrectata, quàm maximè brachiis & humeris, ita pede (calceato) offenſa, genibus, tibiis & femoribus torporem ac vim horrificam intulit. Cor ſibi magis palpitare conteſtati ſunt, qui pede, quàm qui manibus impetum excipiebant. Qui ſemel aut bis torporem experti erant, illi etiam cominus manum admoventes, horrificum vibrantis torpedinis frigus ſubſentire ſe teſtati ſunt, nullatenus, qui primùm accedentes à contrectatâ nondum ſtupefacti fuerant. Negant piſcatores, irretitam torpedinem attractione funium poſſe ſentiri; certè, per ſcipionem ſtupor irritantis manibus inductus non eſt, nedum haſtâ virgâque attingentis, quòd ſcribit *Plinius*, & credunt literati. Torpor illatus non eſt, qualis in artuum ſopore percipitur, ſed affectio repentina, quæ per tangentis membri proceſſum ad vitæ ſpirituumque arcem momento penetrat, unde univerſum corpus animumq; percellit, partes nervoſas ac duriores ita corripiens, ut manus, tibias, ulnas, verbô, articulos majores luxari tibi putes, præſertim ejus membri, quod excuſſos halitus proximè excipit; idque cum cordis horrore, artuumque omnium tremore, ſtupiditate ac frigore. Tanta eſt & tam velox horrificæ exhalationis vis, ut frigidi fulguris inſtar contrectantem ſuffundat, nulloque præmio (modò ne nimiùm torpedo langueat) exhalationis impetum facilè quis ſuſtineat, ne piſcem illico abjiciat. Dignum obſervatione incidebat, dum torpedines tractarem, aliquem ex ſpectante cœtu Africanorum, piſcem audaci fronte iterum ſuſtuliſſe, & ſine horroris ſenſu continuiſſe. Roganti mihi ut modum revelaret: Attractum, inquit, libera-

beraliter & pleno pulmone aërem ſine exſpiratione præſenti animo retine; quam diu id feceris, nullam à piſce noxam ſenties. Feci periculum cum ſucceſſu, & quibus recentis ſecreti copiam dedi, pariter ſine horrore ſucceſſit retentio. Autumo ego, in eâ aëris retentione halitus undique è corpore noſtro copioſiùs ſpirantes, occurſantibus ex piſce inquinamentis reniti; nam à longiori retentionis perſeverantiâ, remiſſis nonnihil pulmonibus, iterum ſubſenſiſſe venenatas exhalationes nobis viſi ſumus. Teneræ vitæ eſt Torpedo, adeo ut amplo etiam vaſe, aquæ marinæ pleno, retenta, nunquam in diem poſterum vixerit: ſed matutinis horis modicè tractata, poſt meridiem mortua ſit. Mortua ſine ullâ noxâ tractabilis eſt: quin & edulem ajunt; capta tamen, torporis formidine, dimittitur. Credunt piſcatores, facultatem ſtupefaciendi torpedini pro tutelâ datam à naturâ eſſe, quâ piſces piraticos & vicinos quosque enervare poſſit ac torpentes reddere. Affirmat idem *Stagirites*, probat *Plinius*, & teſtantur veloces illæ apuæ, quas in torpedinum ventriculis inter ceteros piſciculos aliquoties inveni. In cupam aquæ plenam cum aliis piſcibus depoſita, id non præſtitit; fortaſſe, quod capta hoſtem negligeret. Uſum nullum habent torpedines, ſed captæ dimittuntur: quo ipſo à piſcatoribus præmio inductis facilè eas obtinui. *Habeſſinos* impoſitâ torpedine (in lacubus & fluminibus captâ) febres curare relator eſt *Cl. Ludolfi, Hiſt. Æth. L. I. c.* 11. Fruſtra eſt *Sennertus*, fruſtra ceteri, qui de memorati torporis curatione agunt; quippe qui ſponte & illico deſinens, nullum relinquit corpori aut humoribus detrimentum. Figuram Italicæ torpedinis fœminæ exhibet *Matthiolus*, noſtræ perſimilis, ſi macularum ordinem, pinnamque caudæ extimam excipio, quæ noſtræ ſurrecta & decuſſatæ extremitatis eſt, illi ad corporis planitiem expanſa ac rotunda.

OBSERVATIO III.

Muminahì, ſeu Mumia nativa Perſica.

Mumia nativa in genere.

Nomen.

§. I.

Vernaculis Margaritarum & Turcheſiarum opibus, queîs Perſarum ſuperbiunt Gazæ, multis regio hæc paraſangis anteponit nativum quendam mirandæ virtutis liquorem, quem proprio nomine مومیناهی *Muminahì*, i. e. Mumiam appellant; vel in eminenti ſignificatu, vocabulo generali بلسان *Beleſſoon*, i. e. Balſamum; vel appellatione laudativâ قدرتی *Kodretì*, quod ultroneum à DEO & naturâ munus, id eſt, Mumiam naturalem inſinuat.

Hiſtoriam ejus dignam judico, quæ Latio noſtro, me relatore, innoteſcat, cùm à viatorum paucis cognita, à nemine deſcripta ſit, tantum abeſt, ut ipſum nobiliſſimum Medicamentum ad officinas noſtras unquam penetraverit: quippe quod ex durâ rupe parciſſimum emanans, ſoli ſacratur poſſeſſioni Regiæ, & intra ſereniſſimæ familiæ orbitam conſumitur; raro ſaltem particulæ ex Regis clementiâ dimanant ad magnates, ſi quem reſciat præcipitem cum equo actum (prout contingit in venationibus) cum vitæ diſcrimine decumbere. Hæc eſt illa, ex opinione popularium, vera & genuina Mumia antiquorum, quâ apud priſcos Ægyptios corpora Principum condita, atque inde apud noſtrates Mumiarum appellationem ſortita fuerunt. Quod ipſum deinde nomen in balſamo artificiali ex aromatibus facto, veræque Mumiæ in conſervandis cadaveribus ſuppoſito, retentum eſt. Ea propter Perſæ Ægyptiam ſic dictam Mumiam, ceu indignam nobiliſ-

biliſſimô nomine, vocarunt انساني *Enſaanì*, vocabulo Arabicæ originis, Humani quippiam deſignante; ſive ſubſtantivum reſpiciant موم *muum*, quod ceram, ſive *Muminahi*, quod liquorem balſamicum noſtrum, veramque Mumiam ſignificat, ut nimirum ab hac genuinâ ſuâ, adulterinam Mumiam Ægyptiorum diſtinguerent. Eſt noſtra, quam inducimus, Mumia, ſuccus bituminoſus, ex petroſâ montis ſuperficie exſudans; fœdâ ſutoriæ picis facie, colore, denſitate, & quodammodo quaſi lentore; recens dum rupi adhæret eâ liquidior: ad calorem tractabilis eſt, olei gaudens conſortio, aquæ miſturam reſpuens, inodorus prorſus, & Ægyptiacæ Mumiæ ſubſtantiâ perſimilis. Carboni injectus ſulphuris ſpirat graveolentiam, ex Naphthâ nonnihil attemperatam, naribus non omnino moleſtam; odore affini, quem vel Naphtha arida, vel Aſphaltus, vel veterum Mumia Ægyptiaca, addo vel Ambra nigra ſuffumigando ſpirant: Nam omnia hæc non omnino diſſimilis ſubſtantiæ bitumina ſunt, majoris graveolentiæ aut ſuavitatis gradibus à ſe invicem recedentia, ob diverſam ſulphuris, vel ſi mavis, ſalis ſui diſpoſitionem & copiam. *Deſcriptio.*

§. II.

Collectionis hiſtoria.

Duplicis Mumia differentiæ eſt; Una primaria, quam eximia virtus, & paucitas nobilitant, ea, quam hîc potiſſimùm laudamus: Altera ſecundaria, quam largiori manu impertiens natura, minori efficaciâ inſtruit, ſupponi in illius locum & pro virtuoſâ venundari ab impoſtoribus ſolita. Natalis locus Mumiæ primariæ, ab hominum aditu, pagis, fontibus eſt remotiſſimus, & maximè deſertus, ſitus in provinciâ داراب *Daràab*, unius diætæ intervallo, ab urbe دارا *Darà*, ita à Dario conditore nuncupatâ, Per-

 ſarum

ſarum Monarchâ ultimo, ex victoris ſui laudibus ſatis inclyto. Incunabula ei hîc præbet caverna quædam anguſta, geminam orgyjam inſtar putei demiſſa in petram ſub radice montis prærupti Caucaſii. Nam hic (Caucaſus) ex Iberiâ ſurgens, Aſiam, ut *Curtii* verbis utar, perpetuo jugo dividit, ſparſis ubique ramis Perſidem pererrans, locis plerisque ſterilis, at hôc potiſſimùm incultus & aſperrimus.

Ejus collectio aliquot retro ſeculis intermiſſa dicitur, vel quòd proventus ceſſaverit, vel quòd locus bellorum turbis amiſſus & oblivione obliteratus fuerit. Inventus iterum, & collectio redauſpicata eſt, in principio ſeculi à Chriſto ſexcenteſimi ſupra milleſimum; à quo tempore magnâ pompâ & ſplendore Mumia inde quotannis petitur. Et ne pretioſo rori legitimæ originis fides deficiat, quippe inter cariora Domûs Regiæ adoptando, ab ipſis ibidem ſupremis Provinciarum Directoribus excipiendus eſt, eâ quidem æſtatis parte, quâ ex intenſis Syrii caloribus maximè molleſcit, ac laterum aſperitatibus faciliori opere abſcedit. Ritus & colligendi modus hic eſt: Supremus provinciarum لار *Laar* & *Dardab* præfectus, cum ceteris ex utroq; territorio Regiis adminiſtris, indicto tempore ad montis radicem conveniunt, luſtrant & reſerant ſigilla, quibus cavernam ſuperiori anno obſignaverant. Tum ſaxo ingentis molis, quod ingreſſum claudebat, viginti bajulornm lacertis devoluto, unus ad extergendum bitumen intromittitur, inſtructus cochleari ferreo, ad rimanda latera, probè roſtrato. Ne verò colligenti, in obſcurâ ſolitudine, latebræ ac veſtimenta furandi occaſionem ſuppeditent, his totus exuitur, & præter pudenda nudus dimittitur: datâ priùs, quâ ingluviem claudat, aquâ limpidâ, plenis buccis continendâ, donec redeat. Speluncam ingreſſus, abradit quicquid ſuperio-

rioris anni decurſu petra eliminavit, circiter horam unam in illo opere conficiens; Dum interim deputati, id tempus epulando daturi, repetunt tentorium, quod eum in finem è regione cavernæ magnificè expandebatur. E puteo redux, & Mumiam deponit Inſpectoribus, & retentam ore aquam in patellam argenteam egerit, ab omnibus cenſendam, an pro acceptâ lotium ſuum ſubſtituerit: quin papilione eductus, in ano ipſo immiſſis digitis viſitatur, ſi vel inter ſterquilinia gemmeum rorem condiderit. Tum verò Mumia igni illico liquatur, ut lapidoſa excrementa unà cum bitumine abraſa ſubſideant, limpida ejus ſubſtantia in pyxidem argenteam, eam in rem noviter fabricatam, inclinatione effunditur, quantitatem plerumq; referens viginti quinque مثقال Meſcalium, i. e. unciarum paulò plus quatuor; nam *Meſcaal* drachmam unam cum granis paucis continet. Obſignata pyxis, â præſentis coronæ primoribus quinque, hemerodromo porrigitur, ſine morâ in Regiam Iſphahanenſem exportanda. Quæ impura remanet portio, eam inter ſe, connivente Rege, curatores dividunt. Dehinc, clauſo rurſus ſignatoque aditu, concio dimittitur.

§. III.

Mumia ſecundaria.

Secundaria Mumia ſparſim ex rupibus deſertorum in eodem montium tractu, *Laram* inter *Darabum*que urbes, exſudat. Hæc, ut pari naturæ ſtudio non eſt elaborata, ſic multis paſſibus ignobilior & virtute inferior eſt, adeoque hæc, ſi inveniatur, cuivis promi permiſſa eſt, modò ob præcipitii difficultatem poſſit. Celeberrima ex his eſt, & pro pretioſâ ſupponi frequentius ſolita, quam loci ſui nomine colligentes agricolæ *Sebebbenaad* vocant: Adhæret prærupto cacuminis dorſo, quò fune, qui abradat, horrendo ſpectaculo demittitur; ſagittarii etiam telis infernè miſſis particulas disjungunt. Redolet

let ſuffitu ſulphur crudum ex Naphthâ, graviùs quàm pretioſa; venum nobis oblata à poſſeſſore ſuo, tanto argenti pondere, quantum ipſa in lance librabat. Alia ab ignobili loco, nomine agreſti *Tſjenpèh*, aliis *Tſjampèh*, dicebatur, quæ quadruplo argenti pondere conſtabat; expers crudæ illius graveolentiæ; fumigata Ambram nigram ex Aſphalto referebat, proximâ ſuavitate, vel majori penè, ac ſpirat Mumia nobiliſſima Ægyptiaca veterum, cujus quoque exhibebat friabilem conſiſtentiam. Per Mumiam *veterum*, non intelligo dubiam illam fœdamque hujus nominis miſturam, quam officinæ exhibent; aut à vulgo ita appellata humana cadavera, in arenis deſertorum exſiccata, ſed veterum illud Balſamum, quo nobiliorum corpora replebant Arabes atque Ægyptii. Hujus duplex genus reperio: *Unum* pretioſiſſimum & multò rariſſimum, è Principum cadaveribus depromptum; cujus particulas in citeriore Aſiâ inter rariora Magnatum invenire nonnunquam licuit: hoc, & ſubſtantiæ ſimilitudine, & pretio, & vel ſolâ nominis parilitate ſe genuinam Mumiam Darabenſem teſtabatur; ſuffitu verò (quo Mumiam Tſjampenſem magis redolet) cum Benzoino, Styrace, vel Opobalſamo ſe permixtam prodit: à quo & illud fortaſſe obtinet, (niſi id debeat antiquitati) quòd comminutum in colorem rufum nonnihil inclinet. *Alterum*, quod pro verâ veterum mumiâ paſſim & copioſè in Europâ aſſervamus, ut exuvias ignobiliorum corporum infarcivit, ſic & viliorem, ex quâ conflata fuit, materiam exhibet. Aſphaltum eſſe crederem, nam ejus ſuffitum ſpirat ſatis genuinum.

Nativæ mumiæ perſimlem liquorem fundi vidimus in Naphthiferæ Caſpii maris peninſulæ monte quodam, ſito tribus milliaribus ab urbe Mediæ *Backuu.* Emanat ex ſummitate, liquidiori primùm ſubſtantiâ, ſenſimque defluendo congelaſcit, ignaris ruſticis ſolùm pro igne bal-

balneario ſerviens. Sed quæ inde ab uno circiter milliari puteis extrahitur Naphtha nigra, ea negligenti tractatione perpetim in terram profuſa, in conſimilem reſinam indureſcit. Hæc ab illâ ſecundariâ Mumiâ, per graviorem ſulphuris ſui & Naphtham nigram ſpirantis fœtorem dignoſcitur, quem recens redolet, etiam non accenſa, ſed facta antiquior deponit. Ejusdem notæ ac farinæ eſt Bitumen congelaſcens aridum *Strabonis Lib. XVI. de Sit. Orb.* cujus fontem eſſe in agro Babylonio prope bitumen liquidum, ſeu Naphtham, ex Eratoſthene adducit. Ego locum non vidi; ſuſpicor ibidem & nunc reperiri, quia liquidum inde petitur. Prædictarum Mumiarum cum Naphthâ aridâ, Aſphalto, Ambrâ & Mumiâ veterum tanta eſt in ſubſtantiâ, colore & conſiſtentiâ parilitas, tanta in odore & virtute affinitas, ut vix non audeam prædicta omnia ejusdem generis bitumina affirmare: quarum, quæ intercedit, major vel minor odoris ſuavitas & virtutis præſtantia, partim ex loci natalis diverſo colo, partim ex ſubterranei ignis diverſo gradu & uſtione dependeat; ita, ut in illâ ſeu percolatione, ſeu ſublimatione, paulò aliam ſui ſulphuris depurationem, & particularum diſpoſitionem nanciſcantur.

§. IV.

Vires & uſus.

Ad Mumiam primariam ut redeamus; hæc omni illâ pollet virtute, quâ ſcribitur veterum, ſeu Arabica, ſeu Ægyptiaca, olim excelluiſſe: Oſſibus verò glutinandis tantâ claret efficaciâ, ut fracturas crurum in animantibus paucis diebus, in pueris quidem triduo, in pullis gallinaceis intra diem vertentem, modò ritè reducta ſint, firmare & ad uſum ſtabilire credatur. Quæ medicamenti efficacia in vulgus Perſarum innotuit adeò, tantâque fide creditur, ut vel quicquam de eâ dubitare ipſis religio ſit. Uſus ejus internus & externus eſt. *Internè* balſamum

præſtat vulnerarium eximiæ virtutis, in viſcerum apoſtematibus & ulceribus ſanandis, reſolvendo ſanguine coagulato, rupturis & ceteris malis, quibus à caſu ab alto præcipitantium viſcera violantur, ſi ejus particula, cum modico butyri liquata, propinetur; cavendo, ne dentes medicamento imbuantur, quos offendere ac vacillantes reddere perhibent: crediturque hæc nobiliori Mumiæ non admiſſi adulterii nota eſſe. *Externè* valet in luxatis articulis, qui poſt reductionem, artis lege inſtitutam, loco emplaſtri, prædicto liquamine ſemel tantùm inunguntur: quæ verò inunctio, ſi ante reſtitutionem fiat, tendines, interpoſitâ unius noctis morâ, ſic arctari ajunt, ne reduci poſtea transmota pars ullâ arte valeat. Utrovis verò interno & externo uſu potiſſimùm, quod dixi, in fracturis oſſium graviſſimis locum obtinet, ſi Mumiæ portiuncula liquetur in ſufficiente quantitate butyri, pars liquata plus minus granis Mumiæ quinque impraegnata, deglutienda detur, reliquum linteo illitum fracturæ probè reductæ applicetur; ſic factâ ſemel deligatione, non ſolvuntur faſciæ ante uſum membri. In pullis gallinaceis, ſi crus frangitur, duo vel tria grana pro utroque uſu ſufficiunt. Hanc ſtupendam in fracturis efficaciam non dubitavi ego (ut ſoleo miracula naturæ) inter ea referre, quorum veritas conſtare debet ex tribunali αὐτοψίας & experientiæ. Experimentum igitur in Gallinis inſtituo, non ſemel, ſed quoties Mumiæ particulam pretio vel dono obtinere contigit, & in applicatione omnia ad præſcriptum exequor. De Mumiâ autem primariâ conſequendâ, cum fruſtra laboraſſem; Secundariam ſubſtituo, vel eam, quæ pro primariâ falſò venditabatur. Pollere enim eâdem virtute dicitur, ſed ſegniori ſaltem. Quid tum? ſucceſſit aliquis ſemper effectus non illaudabilis, verùm longè infra deſiderium noſtrum & ſponſorum jactantiam, ut vel ſine bitumine obligata pullorum

Experimentum.

cru-

crura ſolidari non multò tardiùs, comperiverimus. Accidit poſtea, ut cum forte fortuna in nobilium coronâ exprobrarem ultra vires jactatam Mumiam; diffidentiæ extemplo vindex me adoriretur quidam domeſticus Gubernatoris Larenſis: virtutem Regiæ Mumiæ, cujus particulâ gaudebat, in conſolidando oſſe probaturus, antequam me, ut ajebat, dimiſſurus ſit. Rem magnâ fiduciâ aggreditur, turbâ hominum ſpectante, cujus hîc integram rem ſiſtam Lectoris cenſuræ. Recipiebat Darabenſis Mumiæ pretioſæ quantitatem cicerculæ, id eſt, grana duo vel tria; cui de ſecundariâ pro majori corpore addebat quantitatem triplam; junctas liquari jubet cum butyri modico (circiter drachmâ unâ) in cochleari argenteo, quod illi negotio exhibui utenſile meum. Hoc dum fieret, producitur in ſcenam pullus gallinaceus ſemeſtris, cui frangi crus alterum mihi committitur. Fregi penitus, ita ut feſtuca è cute pertuſâ promineret; reduxi, & ligulam balſamo noſtro inunctam fracturæ calidam circumpoſui, ſpleniolisque firmatam obligavi: quod balſami liquefacti ſupererat, gulæ ejusdem infudi degluttiendum; ſic ſervavi gallinam loco anguſto tenebricoſo: omnia ſic jubente, qui Mumiæ ſuſceperat patrocinium. Poſtero die convocatis in idem tempus, qui pridiè ſponſores & ſpectatores adfuerant, gallina è tenebris producitur, ſolvitur ligulis & dimittitur. Quæ tunc expanſis alis quatiens, ſuæ applaudit libertati, & expeditè diſcurrit, ut eſcam quærat; tantillâ cum claudicatione tamen, quantulâ vel in ſano pede inferri offenſa potuiſſet ex ſpleniorum preſſurâ. Mox ſparſis granis aſſiliens, doloris ſe ampliùs expertem, vel hôc ipſo teſtata eſt, quòd ceteras gallinas audacter impetiverit, & ab eſcâ depellere conata ſit. Mirabundi ſtetimus, quicunque de Mumiæ dotibus dubitabamus. Poſtulatus ego, ſponſorum ſententiis ut ſubſcriberem: niſi, ajo, ſcriniariorum arte fracturas quis conglutinaverit,

naturali certè nondum combinari: quippe licet Mumiæ eximiam virtutem videam & prædicem, neutiquam tamen me credere, naturam quocunque etiam fortiſſimo remedio jutam, uno vertente die tantum præſtitiſſe opus in exſangui crure, ſecreviſſe calli materiam, glutinaſſe, induraſſe. Nec moror, crure diſſecto, fracturam oculato examini ſubjicere: in quo offendimus externam cutem, ſub balſami liturâ, plus ſolito craſſiorem, oſſis fracturas firmiter ſtringentem: quâ ipſâ ſcalpello remotâ, perioſteum prodit mirè quoque conſpiſſatum, quod fracturam faſciæ inſtar obvolvens, feſtucas loco ſuo retinebat & firmabat: abraſâ verò eâ membranulâ, tantum abeſt, ut intermedio callo, quod credebant, fracturæ cohæſerint, ut potiùs levi attactu disjungerentur: comparente in oris fracturarum cruore exiguo, pro ferramenti primordio: Ex quo conſtabat, naturam opus ſuum laudabiliter inchoaſſe quidem, neutiquam perfeciſſe. Hujus experimenti fiduciâ cum deinde virtutem Secundariæ in ſubjecto humano explorarem, (nam ejus copiam per natalem locum peregrinatus coëmeram) callum quoque celeriùs, quàm quovis medicamento porotico obtinui, excreſcentem plerumque ultra deſiderium.

OBSERVATIO IV.

Dracunculus Perſarum, in littore Sinûs Perſici.

§ I.

Appellatio.

Hæc vita eſt Ormuſienſium, imò civium totius littoris Perſici, ut perpetuas in corpore calamitates ferant ex cœli intemperie: modò ſudore diffluunt; modò vexantur furunculis; nunc cibi ſunt, mox aquæ inopes; ſæpè ventis urentibus, ſemper ſole torrente, ſqualent;

lent; & quis omnia recenſeat? Unum ex ærumnis gravioribus induco: nimirum *Lumbricorum* ſingulare genus, quod non in inteſtinis, ſed in muſculis per corporis ambitum natales invenit. Latini medici vermem illum nomine donant τȣ̃ δρακοντίȣ, ſ. *Dracunculi*, vel propter aliquem cum figurâ colubræ ſimilitudinem; vel quòd ſerpentis more convolutus in muſculo hoſpitetur, vel quòd ſerpentis inſtar ſub cute progredi, credatur *Rhaſi* (medico centenario) relatori. *Sennertus*, Germanorum ille Galenus, & ex gregariis ſcriptoribus non pauci alii Dracunculum confundunt cum *Crinonibus* puerorum, i. e. cum pororum excrementis illis, quæ, ob lentorem, figuram vermiculorũ referunt, Germanicè appellatis Mit‸eſſer. *Avicenna* eum vocat عرق مديني *Irk Medinì*, id eſt, Nervum Medinenſem; ſeu, ut Carmonenſis ille vel ſupinus vel indoctus ejus interpres, ex vocabuli عرق ambiguitate perperam reddit, *Venam Medeni, Lib. Can.* 4. *Fen.* 3. *Tr.* 2. *c.* 21. Per Medinam autem intelligit Arabiæ oppidum, quod Arabes ob excellentiam مدينة id eſt, *civitatem* abſolutè, vel مدينة النبي i. e. *civitatem prophetæ* vocant, quoniam Meccâ fugiens Mahhammed, ſedem hanc ſuam conſtituit. *Gvineenſes* nigritæ linguâ ſuâ Meinenſi vermes illos vocant *Ickòn*, ut produnt reduces ex aurifero illo Africæ littore. *Perſæ*, Sinûs accolæ boreales, alumnos ſuos پيوك *Pejuuk* & نارو *Narù* nuncupant. Sed quid moramur nomina? de quibus abundè ſatis diſſeruit *Velſchius*, multijugæ lectionis & eruditionis Medicus, *Exercitat. d. Ven. Med.* Ego de *Dracunculo* & ejus attributis pauca tantùm, atque ea tradam, quæ autopſiâ & experientiâ meâ hauſi.

§. II.

Deſcriptio *Dracunculi Vita.*

Confidenter autem vermem voco, contra αὐτόπτην quoque

que *Avicennam*, qui de Dracunculi vitâ animali dubitans, nervi eundem, vel venæ maluit, quàm animalis vocabulo inſignire. Obiter enim inſpectus, prout plerumque ſucceſſu temporis extrahitur, aut fruſtillatim cum pure egeritur, nervi figuram quandam non obſcurè exhibet. Verùm, felicior ego huic partui obſtetricatus mihi videor, cui bis contigit vivum, quod rarò evenit, uno nixu extrahere ex cavô ſcroti: unum Afro, alterum Perſæ; uterque in lucem editus ſpontalem motum vitamque prodebat, atque oſtendebat clariſſimè ſpectatoribus, à me in rei fidem advocatis, quibus duo intererant juvenes chirurgi. Notabile erat, quòd in aquam calidam injectus actutum marcidus & immobilis flacceret; extractus inde, rigebat illico & movebatur, ſatis obſcurè tamen; in aquam frigidam verò immiſſus, valdè ſe huc illuc curvabat, & ſubmerſus, algidi humoris impatiens, caput ultra aquæ ſuperficiem ſubindè exerebat, motu, profectò, percepti doloris indice, & alio planè, ac cernitur in chordâ aut filo duplicato, quæ admiſſo humore gyrantur, ex mechanicâ partium diſpoſitione & neceſſitate. Qui igitur ægrotis noſtris nunquam credideramus, de ſubcutanei lumbrici vitâ & motu, atque inde enaſcente repentino dolore querulis, nunc ultro pedibus ab *Ebn Sinæ* diſceſſimus ſententiâ, impoſterum credituri, verùm animal eſſe & lumbrici ſpeciem, quam Venam perperam appellaverat *Avicenna*, ille Arabum maximus ut *Zacutus Luſitanus*, & oculatiſſimus ut *Mercurialis* eum vocat.

Forma. Lumbricus ille coloris eſt ex pallidô albicantis, longitudinis incertæ, pedalis, cubitalis & ampliùs; tener & teres, chordæ in citharâ (craſſioris) tenuitatem referens. Roſtello inſtruitur, quod Perſæ ريش *Riiſj*, ſive barbam, vocant: nam per microſcopium conſpecta, pilos referre dicitur; album eſt, pellucidum, digitum longa, pili inſtar tenu-

tenuiſſima, & tenerrima adeo, ut ſponte fatiſcens, dum in lucem editur, aut cum epithemate divulſa, ſegnes chirurgi oculos haud ſubeat. Ad radicem barbæ punctum atricolor, & inermi etiam oculo ibidem oris veſtigium quoddam, in caudæ extremitate verò foraminis quoque punctum, velut ani nota, conſpicitur. Duplici conſtat tunicâ, utrâque albidâ, interiori paulò teneriori, cujus cavum liquore albo, pingui, nonnunquam & ſeroſo referta eſt, nulla omnino ſanguinis comparente guttulâ.]

§. III.

Generatio & nativitas, *Patria.*

Non eſt beſtiola hæc ſoli Perſidi vernacula, ſed & Gvineæ in Africâ, & *Rhaſe* ac *Avicennâ* teſtibus, Choraſmiæ & Ægypto quoque. Medinenſem Arabiæ tractum earum feracem teſtatur ſæpe laudatus Arabs, & morbum ſub hujus Patriæ titulo, ex inſtituto pertractat gemino *capite* 21 *&* 22. *Lib. Can.* 4. *Fen.* 3. *Tr.* 2. Dracunculorum genitrices quoque offendi pagos mediterraneos quosdam terræ Gangeticæ ultra *Paliacattam*. Veſtigia inveni quoque in Tartariâ deſertâ, prope flumen *Jaïcum*, quà Caſpium ſubit. Omnem autem Dracunculi patriam comperivi æſtuoſam, torrentem & intemperati cœli; ſolum vero in eâ ſalſum, ſterile & arenoſum, quod aquam nec in ſuperficiem effundit, nec in intimo ſinu fovet aliam, niſi ſalſugine inquinatam & ſiti reſtinguendæ ineptam. Imber igitur brumalis (qui cœlo Ormuſienſi præſertim parciſſimus eſt) per terræ ſuperficiem confluens, ciſternis amplis, eam in rem operoſè fabricatis, excipitur, & reſervatur ſtudioſè, velut potabilis annona, parci Jovis indulgentiâ ſibi ad demorandum eo cœlo conceſſa: id quod inſectorum noſtrorum generationem inquiſituris probè notandum eſt. Lucem ſortitur eâ æſtatis parte, quam ardens infeſtat canicula; quaſi infelix monſtrum non niſi inauſpicatò naſci oporteat. Prout verò una æſtas fer- *Tempus nativitatis.*

ven-

ventior eſt alterâ, ita præſertim fœcundiſſimam lumbricorum eam fuiſſe expertus ſum, quæ maximè erat æſtuoſa. Gaudet præ ceteris partibus crurum hoſpitio, præſertim à genibus ad imum usq; pedem: in femoris verò proceſſu, à lumbis ad usq; genua, non æquè frequenter gignitur. Malleolum externum & internum ſæpiſſimè omnium occupat. Ex pede imo, & brachiis, aliquoties eduxi. Sub patellâ, in genuum juncturâ, ſcrotoq; latitantes, tum ex manu, coxâ, lumbis, latere, omnino ſemel & bis extraxi; ex aliis partibus, quod memini, nunquam. Ut plurimum ſub carnoſo deliteſcit panniculo, ſitu ſanè promiſcuo; nunc ſupra muſculum rotatus in multos gyros; nunc in rectum extenſus; nunc muſculorum interſtitiis impactus, ſæpè ligamentis artuum mirè implicatus, ſæpiſſimè omnium vago flexu per muſculos diſtractus: hoc enim ex dolore, motu & exulceratione diverſarum partium, & ex his factâ divulſi unius dracunculi excretione, luculenter conſtat. Extraxi ſcribæ vermem triplici hebdomade, cujus extremitatem ſub genu prorumpentem dum ducerem, major pedis digitus, velut continuâ chordâ tractus, ingenti dolore movebatur, & ſub eo tandem extrema portio, multâ ſanie excreta eſt. Eduxi fabro lignario, cujus altera extremitas in ſummitate ſuræ locata primùm lucem vidit, media portio ſub malleolo, extrema demum in plantam pedis protenſa moleſtiſſimè prodiit. Hæc de ſitu. Paucis nunc ipſum ortum & huic annexa.

Locus generationis in corpere.

Situs varius.

§. IV.

Ortus.

In lucem prodituri nuncia plerumque eſt febricula, ut plurimum ephemera, nonnunquam in tertium diem protracta, cum fœtæ partis levi rubedine & tumore; in quo poſtridiè exſurgit puſtula piſi magnitudine, tenera, aquoſa, pellucida, non raro atricolor: quâ poſt unum aut alte-

alterum diem ſpontè ruptâ, vel acu apertâ, proſilit lumbrici ſummus apex, ſive roſtellum, ibidem hactenus abſconditum, quod pedetentim & reliquum corpus undecunque ſubſequitur, blandâ attractione quotidiè ſolicitatum. Sæpè etiam non niſi prævîô partis dolore, & duritie vix ſenſibili naſcitur; rupto ibidem, quo perpetuò ſibi viam parat, ulcuſculo, ſine epidermidis puſtulâ. Excretio, pro lumbrici magnitudine & maturitate citiori, tum pro ſitu & loco generationis vario, facilior eſt aut difficilior, longior aut brevior: rarò autem pariter & vivus, frequentiſſimè ſucceſſivo tempore, diebus circiter decem, extrahitur. Omnium feliciſſimè egreditur, qui in ſcroti cavo abſconditur, nam hunc, barbâ exertâ, vivum illico educimus, ſine dolore & purulenti ulceris incommodo. Supra muſculum aliquem in crure aut brachio non admodum diſperſus jacens, vel in gyrum volutus, qualis oculo & tactu deprehenditur, intra paucos dies, à quo maturare incipit, ſine notabili pure & moleſtiâ, quin vel uno interdum niſu extrahitur. Ex femore & ulnis plerumque facili partu exit, diebus admodum paucis. Situ vago ligamenta pedis involvens admodum difficulter, morâ videlicet viginti vel ampliùs dierum, excluditur, cum tabo quotidie copioſiſſimo magnoque ægroti cum dolore & incommodo. Id evenit, ſi importunâ manu attractus rumpatur: Rumpi autem & recedere contingit, ſi ligamentis valdè implicetur, vel agglutinetur, præſertim diſtantiori, ab exitu, loco: haud enim pariter dracunculus, ſed per partes, maturatur, ita ut naſcente extremitate unâ, videlicet capitis, reliquum corpus generari adhuc, & velut per appoſitionem (ut in ſcholis loquimur) produci videatur. Impar hinc in extractione ſucceſſus eſt; ita ut aliis diebus facilè & magnâ portione excedat, aliis planè renitatur, quicquid attraxeris, aut cum acerrimo patientis dolore tentaveris; donec, quod videtur, ſucce-

dens portio elaborata fuerit, & ſecreta à parte illâ, cui adhærebat. Durat hoc pacto partus ille, cum ulceris ſanatione, menſtruum penè vel ampliùs ſpatium; præſertim in corpore cacochymico. Tria igitur, implicatio, maturatio tarda, & enormior longitudo vermis, exitum protrahunt. Uti de utrâque priori, ita de longitudine nihil determinari poteſt. Viro tricenario vermem ex ſurâ, felici quotidie cum ſucceſſu, plus minùs palmari longitudine produxi, nec intra tertiam hebdomadem finem aſſecutus ſum; credo adunatas, quas indies reſecabam, particulas, geminæ orgyjæ longitudinem exceſſuras fuiſſe. Contingit etiam eodem decubitu plures edi dracunculos: Uni ego juveni heluoni, jam tertiùm Medioburgo ad Indias remiſſo, per unam continuam æſtatem, eduxi lumbricos ad minimum decem. Aliquoties uno menſe ex eodem crure tres, quatuor & quinque ſuſcepi. Nonnunquam ex eodem ulcere, geminos eodem partu, in alio totidem ſucceſſu temporis eduxi. Non raro contigit lumbricum medio corpore, adeoque duplicatum, prodiiſſe, extremitatibus intrò abditis. Si totus in profundo generetur, longâ ulcerationis morâ putreſcit, ut vix lumbrici veſtigium effluat, niſi quod ex albis tabi ſtriis colligas. Numerus vermium non ſemper dignoſci poteſt, dum ruptus retrocedit, & interpoſitis diebus alio loco prodit ulceratio gemina, cum multa excretione particularum, incertum ejusdemne, an alius etiam dracunculi. Nam in ſtatu cruris, ex ulceroſis cuniculis & tabi latebris depravato, vermis plerumque præpoſterè, putrefactus, & partitis vicibus, excluditur. Infeliciter ſitus, & imprudenter tractatus, aliquando pediſequam ſortitur contumacem fiſtulam. Accidit interdum, ut dracunculus à tumore, nativitatis prodromo, in annum poſterum ſine patientis incommodo ſopiatur, videlicet ab aëre victuque mutato. Tractavi Armenos, Perſas & Batavos, qui itinere

nere, per Ormuſienſe littus facto, vermifero ſemine inquinati, ſequenti anno, nil talium conſcii, dracunculos peperere alieno cœlo. Novi, qui veſtigium lumbrici, quod Gamrono aſportaverat, gemino anno Iſphahani ſervaret, non priùs excluſum, quàm tertio anno, ubi redux in viâ non procul Gamrono abeſſet. Multò majori cum difficultate parit, qui ſerpentigenum virus in aliam regionem transvehit, quàm qui idem cœlo excludit vernaculo; Aëris enim genius partum ac ſanationem accelerat; fortaſſe caloris ſui exceſſu, qui putrefactionem promovet, quâ res, toto genere præter naturam, à ſanâ parte ſecedit faciliùs. Non aliud æger incommodum, quàm ex affectâ parte ſentit, cetera ſanus, niſi in quantum dolor actiones impedit.

§. V.

Principium Seminale.

Ad curationem rectà pergerem, niſi priùs de origine Dracunculi, & ſeminali ejus principio pauca dicenda eſſent. Inſecta & viventia quævis ex ovis homogeneæ ſpeciei, & lumbricos quidem humanos ab ovis fortè culicum & muſcarum naſci, recepta eſt atque conſtans ſententia recentiorum, qui ex ſemine æquivoco, ut in ſcholis loquimur, quicquam viventis generari poſſe negant. Difficilis explicatu fuerit ſtupenda illa transformatio, quâ fœtura culicis in tam heterogeneæ formæ longitudinem protendatur. Non ſunt inteſtina tantæ anguſtiæ, quæ recens excluſam ſic extenuent. Et quid ejusdem ſpeciei ova diſponat, ut excluſa in inteſtinis craſſis fiant aſcarides, in tenuibus verò lumbrici? Dices: tenerioris ovi genus eſſe, quod citiùs, adeoque in inteſtinis tenuibus; durioris verò & alius beſtiolæ, quod in craſſis excluditur. Specioſam fateor conjecturam! ſed quæ unam tollens difficultatem, plures ſubſtituit. Quas etiam quoquo modo eluctatus in generatione lumbricorum in inteſtinis, quæres

res denuo: quî igitur ova, ex quibus naſcuntur Dracunculi (ſive ea lumbricorum terreſtrium, ſive aliorum inſectorum ſint) conſervari poſſint, ne tam longo circuitu cum ſanguine agitata deſtruantur, ſed ſarta tecta deferantur ſub cutis ambitum? Pone, hanc incolumitatem deberi rapido humorum motui & patentioribus illo cœlo ductibus; vel, ſi via placet compendioſior, dic potiùs: volitantes in aëre ovorum atomos (ſed cujusnam animantis?) patentiſſima ſubire cutis ſpiracula, vel iisdem, prout gemmis & tuberculis plantarum evenit, ab ipſis inviſibilis parvitatis inſectis inſeri; Pone inquam, hæc omnia ſic, vel aliter, ſub calente cœlo contingere; quid igitur fœtum ex tantilli ovi puncto naſcentem tam longè extendat, tam vario ſitu diſtrahat? Cur non ſimul & uno actu maturus prodit? quin prior pars vitæ particeps lucem ſubeat, dum reliqua (velut ex *Nili* limo fabuloſi mures Pliniani) ſucceſſu temporis generetur. Ad æquivocam autem generationem *Ariſtotelis* ſi relapſus fueris, & rudem hanc naturæ ſobolem, dixeris, haud magno negotio ex materiâ putridâ, vel excremento tertiæ concoctionis, generari poſſe, quomodo vel ſecundum principia *Carteſii* lumbricum ſibi formavit Cl. *Blankardus, Pr. Lib.* 3. *c.* 10: trecentæ te rurſus involvent difficultates, imò abſurditates aliæ, à quibus poſitionem tuam nunquam vindicaveris. Relatori mihi ſatis fuerit culpaſſe imbrem, è ſuperficie terræ, pro annuo potu in ſubterraneos fornices collectum, & in iis ſtagnantem, qualem omnis propinat Dracunculi patria; atque indicaſſe, ſeminale principium in eâ colluvie; non in aëre, aut cibo, certo certiùs hoſpitari: quicquid contradicant hoſpites ibidem Europæi: qui ex fontibus ſcaturientem, aliquot milliarium intervallo indies delatam, cùm bibant, hâc tamen polluuntur lue ſerpentigenâ. Verùm neſciunt ſæpe ipſi, quid ingurgitent ſiticuloſi, cremato vinove bene poti: exhibent famuli aquam, quæ ad manus

nus eſt, non quæ petitur. Atque ipſe, Gamroni verſatus, experientiâ didici, Camelarios Batavis ibidem demorantibus, pro fontanâ Iſſinenſi, aſportaſſe aquam ex pluviali lacu, quæ eſt in mediâ viâ. Sententiæ meæ teſtes habeo cives montanos, qui in eodem natali ſolo, ſed circa fontium ſcatebras, habitantes, non norunt dracunculos, niſi nomine, nec concipiunt unquam, niſi rariſſimè ii, qui per deſerta profecti, virus ex ſtagnis imbrium hauſerint. Conceptionem autem promoveri aëris genio & diætæ erroribus, haud inficior.

§. VI.

Curatio.

Curatio vulgaris inter populares hæc eſt: Emplaſtro, aliove medicamento emollienti, durities maturatur, ut lumbricus infixus ſuppuratione ſenſim proliciatur; deprehenſi portio, quanta lenem attractionem ſequitur, circa ligulam pollicaris longitudinis rotatur, & epithemate retinetur, ne in ulcus recedat. Ulcus indies geminâ obligatione à pure ſuo liberatur, iteratâ ſemper attractione & totalis eductionis qualicunque tentamine. Cautio eſt, ne fiat attractio fortis aut ſubitanea: Illa inanis eſt & dolores excitat, quòd vermis, parti alicui circumvolutus vel agglutinatus, fruſtra ſolicitetur priùs, quàm maturando abſceſſerit; hæc verò periculoſa eſt, quâ vermis plerumque rumpitur & intro recedit, multis ſymptomatibus poſſeſſorem afflixurus, donec largiori ſuppuratione, vel eodem illo, vel novo ulcere excernatur. Si contingat aliquâ corporis parte extra ulcus retentum dracunculi finem, dolores parere tenſione ſuâ, & omnino fruſtra ad exitum cieri diu, quòd procul inde inſolubilis tendinoſæ parti adhæreat, tunc, (quod experientiâ meâ & ægrorum cum incommodo didici) ſatius eſt finem dimittere, ut intro recedat, & negotium liberum committere naturæ: ſic facto deinde, in loco remoræ, novo ulcere, minori cum

dolore & periculo ibidem extrahetur, vel morâ longiori putrefactus cum tabo copioſo effluet. Cum novam portionem extraxeris, antiquiorem reſecare liberum eſt, ne glomeratus obligationi obeſſe ſuâ magnitudine poſſit; ſufficit tantillam particulam extra ulcus retineri ligulæ circumvolutam, quâ receſſio impediri, & extractio iterari in proximâ obligatione valeat. Verme penitus egeſto, fiſtuloſum ulcus vulgari quovis remedio perſanatur, paucos intra dies & ſupra omnem tractantis fidem, facilimè. Vulgus pauper ſolâ ceparum, ſub cinere toſtarum, impoſitione totum maturationis & eductionis negotium perficit, non infeliciter. Sunt ex illo, qui frequenti aquæ frigidæ affuſione ſibi conſulere ſatagunt, dicuntq́ꝫ, ſanam partem à corruptione ſic conſervari, arceri affluxum ex reliquo corpore, & impediri, ne excreto verme, ulcus remaneat: quæ philoſophia, quàm craſſa videatur, in illo tamen æſtuoſo climate, abſurda fortaſſe non eſt. Sanè in *Javâ*, qui laborant morbillis, niſi ſtrenuè perfundantur frigidâ, vix evadunt. Novi *Bataviæ* chirurgum (fratrem Clariſſimi Viri D. D. t. R.) qui tres natos ſuos, quos Europæâ methodo pertinaciter tractabat, omnes uno menſe amitteret; cum vicinus nigrita ſine medicamentis liberos, quibus numeroſè inſtructus erat, omnes ſervaret, nullo adhibito remedio alio, niſi ſolô hôc baptiſmô, ſub dio mane & veſperi iterato. Conjicio, materiæ peccantis efferveſcentiam, tum excedentem ſubtilium particularũ expirationem, hâc perfuſione inhiberi. Cum momentum omne in vermis extirpatione poſitum eſſe, hujus terræ lippi & tonſores noverint, evenit aliquando, ut præproperè factâ inciſione, deprehenſum pro lumbrico tendinem violent, tragico partis affectæ damno. Vidi duos, ex craſſo illo errore chirurgorum, (quorum profunda eſt per Aſiam univerſam inſcitia) claudos eſſe redditos. Antequam vermis eductionem moliaris, humores evacuare in

in principio morbi oportet, ac temperare in progreſſu, ne ab affluentium copiâ & acredine ulcus aggraveſcat. Pinguium applicatione, ferventi climate facilè gangræna tibiis inducitur: proinde tutiſſimum eſt, pinguium loco primùm tumenti parti imponere cataplaſma, in progreſſu verò locum operiri emplaſtro, eo ſaltem fine, ut ligula, cui vermis extremitas involuta eſt, retineatur: nullâ omnino inſertâ turundâ. Hujus, quod obiter dico, merus apud noſtrates chirurgos abuſus eſt, vix eâ aliud agentibus, quàm ut partem offendant, dolores concitent, humores improbos alliciant, effluentiam puris impediant, inflammationem cauſent, ſanationem protrahant: magiſtrorum imprudentium ſerviles & ignavi imitatores!

OBSERVATIO V.

حکایت هینک دزچکانی

Hiſtoria Aſæ fœtidæ Disgunenſis.

§. I.

هینچکسه *Hingiſèb*

Plantæ deſcriptio botanica.

Umbellifera Leviſtico affinis, foliis inſtar Pœoniæ ramoſis; caule pleno maximo; ſemine foliaceo, nudo, ſolitario, Brancæ urſinæ vel paſtinacæ ſimili; radice aſam fœtidam fundente.

Hingiſèh radicem habet ad plures annos reſtibilem, magnam, ponderoſam, nudam; exteriori vultu nigram, in ſolo limoſo lævem, in ſabuloſo ſcabram ac quadantenus rugoſam; ut plurimùm, Paſtinacæ inſtar, ſimplicem, ſæpe paulò à capite duabus vel pluribus divaricationibus brachiatam, aliis perpendiculariter demiſſis, aliis inconditè & in obliquum extenſis, prout ab objectis flectuntur. Faſti-


Hingiſeh
ſeu
Planta Aſæ fœtidæ
Fol: facie averſâ
Fol. facie pronâ

Faſtigium è tellure prominens, fibris, ſetarum inſtar, ſurrectis, ex fuſco rufis, rigidis, confertim ſtipatur, velut in Peucedone. Cortex ei pinguis eſt, ſuccoſus, facilè, dum radicem ſolo extrahis, abſcedens, concavitate glabrâ & humidâ; ſubſtantiam obtinet ponderoſam, inſtar rapæ ſolidam candidiſſimamque, plenam ſucci pinguis, albiſſimi, fœtidiſſimi, porraceo odore nares horridè ferientis; qui ex eâ collectus, Perſis Indisque *Hingh*, Europæis Aſa fœtida appellatur. *Folia* ſero autumno ex vertice progerminant, ſex, ſeptem, & pro radicis magnitudine plura vel pauciora: quæ per brumam luxurioſè vigent, adultoque vere exareſcunt. Folium autem eſt ramoſum, planum, longitudinis cubitalis, folii Pœoniæ ut plurimùm figuram, Leviſtici ſubſtantiam, colorem & lævitatem exhibens; odorem obtinet ſucci odore remiſſiorem, ſaporem cum amaritie & aromaticâ acredine hircoſum. Structura conſtat ex ſcapo & ramo: Scapus ſpithamalis & ampliùs longitudinis eſt, humano digito tenuior, quadantenus ſtriatus, nervoſus, coloris herbacei, circa baſim ex mutuo complexu canaliculatus, cetera teres; ramus alas refert impariter adverſas quinque, rariùs ſeptem, palmaris & ampliùs longitudinis, obliquè ſurrectas, imas ſuperioribus longiores; Alæ utrinq; in lobos dividuntur incerto numero plures, inæqualis magnitudinis, oblongos & quadantenus ovatos; in aliis plantis peranguſtos, longiores, ad coſtam usq; & largiori intervallo diſtinctos, adeoque pauciores & ſolitarios, quaſi ſingula folia referant; in aliis verò latiores, breviores, & ob parciorem diviſionem continuos; ſinibus ſive inciſuris, plerumque ovatis vel orbiculatis, pro vario naturæ ludentis genio: qui ſæpè in foliis numero differentis plantæ adeo diſcrepat, ut ejusdem ſpeciei folia eſſe vix appareat. *Lobi* autem obliquè ſurrecti ſunt, ſubtus anguſto ductu per coſtæ latera demiſſi, coloris ex glauco virentis, læves exſucci, rigi-

di, fragiles, pronâ facie ſubconcavi; nervo donati unico tenui, qui à coſtâ per longitudinem inæqualiter decurrit, rarò lateralibus aliis ſociatus; Magnitudo incerta eſt, quam reducere ad longitudinem triuncialem, latitudinem plus minus pollicarem liceat. Ante radicis interitum, qui ut plurimùm ſerâ ætate evenit, unà cum foliorum faſciculo emergit *Caulis* ſimplex, rectus, teres, quodammodo ſtriatus, glaber, herbaceus, in orgyjæ, ſeſquiorgyjæ vel majorem longitudiuem luxurioſè exſurgens, craſſitie in imo quanta manûs complexum ſuperat; ex quâ paulatim factus tenuior, in ramos, paucos, hi verò in umbellas, Ferulacearum lege, divelluntur; Foliorum veſtitur rudimentis per intervalla palmaria alternatim conſitis, quorum baſes latæ, membranoſæ, turgidæ, caulem inæqualiter & utcunque decuſſatim amplexantur, dilapſæque impreſſis ſignant veſtigiis, genicula mentientibus. Medullâ farcitur geniculis haud interceptâ, copioſiſſimâ, candidiſſimâ, fungoſâ, paucis permixtâ fibris brevibus, vagis, in longum exporrectis. *Umbellæ*, pedali, aliæ ſpithamali vel breviori ſtylo nixi, in radios explicantur pluſculos (10, 15, 20) in orbem diſperſos: qui ſinguli, quaſi ſubalternas umbellas reddituri, in radiolos paucos alios (5, 6) biuncialis longitudinis terminant, axillis brevibus tenuiſſimisq; ſuſtentantes ſemina nuda ac ſurrecta. *Semen* eſt planum, foliaceum, ex fuſco rufum, figuræ ovatæ, Sphondylii, vel Paſtinacæ hortenſis, ſemini non abſimile, hôc tamen paulò majus & nigrius, quadantenus piloſum ſive aſperum, tribus notatum ſtriis, unâ per mediam longitudinem, reliquis per fimbriam arcuato ductu ad apices utrinque productis; odore maritatur exiguo porraceo, ſapore gravi, acutè amareſcente; medullam, ceu verum ſemen, in medio fovet atram, compreſſam, figuræ ex ovato mucronatæ. *Flores* non vidi; præparvos dicunt & in albidum pallentes; pentapetalos eſſe non dubitaverim.

§. II.

§. II.

Planta Aſæ fœtidæ, ab *Avicenna* vocatur انجدان *Andſjudaan* & حلتيت *Haltiit*, quod vocabulum *Dioſcorides* σίλφιον, Matthiolus *Laſerpitium* interpretatur. In patriâ ejus, cum ipſa ſtirps, tum ex eâ collectum gummi هنكسه *Hingiſèh*, & per Indiam هينك *Hiing* ſalutatur: uſitatius tamen eſt, vocabulo *Hingiſèh* Plantam, *Hiing* ipſam exprimere lacrymam; quod & mihi in præſenti deſcriptione receptum eſt. Unde *Aſæ* nomen ortum vel detortum ſit, non anquiro. Germani ob atrocem fœtorem appellant Teuffels-Dreck/id eſt, ſtercus diaboli. Hujus plantæ, conjecturis botanicorum ad varias ſpecies diſtractæ, à clariſſimis verò literatoribus *Scaligero* ac *Salmaſio* notis ac nominibus illuſtratæ, genuinam hic trado hiſtoriam, diligenti inſpectione à me obſervatam, inſtitutâ eum in finem ex Gamrono urbe ad ſolum ejus natale, laborioſâ profectione. Patria ejus ſola eſt Perſia, non Media, Lybia, Syria aut Cyreniaca regio; unde ex hoc capite facta ſucci apud auctores diſtinctio, eſt inanis. In Sinâ prope muros plantam creſcere, lacrymamque impertiri collectoribus, accepi ex duobus ejus terræ aromatariis; ſed, quòd plantam in Herbario Sinenſi non inveniam, incertus de veritate hæreo; quia per muri viam inductum gummi, apud ignaros genuiſſe errorem potuit. In Perſiâ plantam hodie alunt ſaltem duo locorum tractus, videlicet (1) campi montesque circa هرات *Heraat*, emporium provinciæ *Choraſaan*; & (2) jugum montium in provinciâ *Laar*, quod à flumine *Cuur* ad usque urbem *Congo* ſecundum Perſici Sinûs tractum extenditur, duobus, alibi tribus pluribusve paraſangis à littore. Utrobique autem ſucci ferax quocunque loco planta non eſt;

Hiſtoria uberior. *Etymon.* *Patria.*

ſed circa *Heraatum* ea ſaltem, quæ campeſtre deſertum occupat; in tractu verò Larenſi tantúm illa, quæ creſcit in montibus, vicinis territorio & oppido دُزگَان *Duſguun*, vel, ut vulgò pronunciant, *Diſguun*; quæ in his ultra citraque germinat, vel ſucci inops eſt, non redditura colligenti operæ pretium, vel ſi redditura fuerit, legulum non habet. Quandoquidem citra Diſgunum, accolæ Arabes (ex transmarino littore coloni) collectionem nunquam tentarunt, ſupini ad novum opus, nec alii quàm vitæ paſtoritiæ ſueti, quam ducunt ſub tentoriis inertem atque tenuem. Ultra verò, herba dulceſcere dicitur & fœtorem pene in tantum exuiſſe, ut caprarum greges foliis veſcantur avidè & eorum eſu mirè pingueſcant: Quod ut ſuccedat, pridie ante admiſſionem ſale montano (nec aliud hîc ſuppetit) ſemel cibandi, admiſſi verò, primis quatuordecim diebus ab omni potu arcendi ſunt.

Solum natale. Creſcit promiſcuè in teſquis & crepidinibus, ubicunque avulſa ſemina ventus protulerit; uberiùs verò & ſæpè ex pedali intervallo in locis, qui quodammodo premuntur in planitiem, quippe ſemini retinendo & ob meliorem fundi conditionem fovendo, aptioribus. Solum habet rarò udum aut puriori terrâ fœcundum, frequentiùs interſperſo limo ſabuloſum, ſaxoſum & aridum, &, quem in ſuperficie non invenit, altiùs actâ radice, ex profundo humorem allicit.

Species. Plantæ duplicem Heratenſes conſtituunt ſpeciem, unam *Hingiſèh* dictam, quam affirmant eſſe montanam, & ſylveſtrem Diſgunenſium; alteram *Huſjèh*, ſive campeſtrem ſuam. Illam ajunt lacrymam ſtillare parcam, macriorem & virtutis debilioris; hanc verò Heratenſem largâ manu profundere pinguiorem & fœtidiorem, adeoque præſtantiorem. Ad rei veritatem & differentiæ notas evolvendas, plantam Heratenſem (quam effœtam, Gamroni degens, ex Choraſmiâ obtinueram) cum

cum Diſgunenſi diligenter contuli; ſed mentiar, ſi ullum in figurâ diſcrimen viderim. Tum etiam vectoribus Heratenſis Aſæ (quam Gamronum ferè annuatim deferunt) plantam Diſgunenſem quàm primùm monſtrarem, neſciis unde acceperim: ſuam eſſe, illico affirmarunt, plantam *Huſjèh*, veram & legitimæ Aſæ genitricem. Ex quo infero: non differre Heratenſium plantam à Diſgunenſi, niſi ratione ſoli natalis; quod in campis Choraſanenſibus fortaſſe pinguius eſt, adeoque radicem majori ſucci apparatu inſtruit; id quod ſterile jugum Larenſe tantâ ubertate non poteſt. Ut nihil hic dicam de ipſis utriusque Provinciæ lacrymis, quæ, inter ſe collatæ, nulla præbent veſtigia diverſæ ſpeciei, nec differentias, niſi quas ex adulterio, vel diverſitate temporis & ordinis, quo collectæ ſunt, obtinent; prout latiùs patebit in ſequentibus. Duplicem ſexum Diſgunenſe vulgus conſtituit: mares appellans plantas ſucci expertes, quæ caulem & in eo ſemen gignant, à cujus productione radicitus moriantur; fœminas verò ſucco dotatas, ſed ſine caule. Verùm, erronea eſt diſtinctio & ſine attentione inducta. Nulla enim non radix invenitur, quæ ante ferulæ productionem læſa, ſuccum non fundat; aut quæ ſuo relicta fato, in caulem ſeriùs ocyus non exſurgat: quo producto, exhauſtô vitali liquore, areſcit atque interit; quod ei cum umbelliferis plerisque aliis commune eſt. Longævitatem, ajunt, radici miram eſſe, & æmulam vitæ humanæ: ex quo monſtroſam aliquando magnitudinem conſequi, non eſt peregrinum. Si loci conditio ferat, nec in ferulam (quod aliquando evenit) primâ ætate efferatur, longitudinem orgyjæ, ac peræ humanæ craſſitiem aſſequi affirmant; cùm mediæ ætatis eſt, ſuræ vel brachii, annuam verò pollicis craſſitiem exhibere; cui longitudo proportione ſemper reſpondeat. Hirſutum fibris caput, ætatis quandoque index eſt: credo eas eſſe reliquias ex ſcapis folio-

Sexus.

Ætas & magnitudo.

rum diſſolutis, quas neſcit edax tempus ob nervoſam firmitatem deſtruere.

Aſæ attributa:

§. III.

Origo. Omnis Aſa fœtida ex radice manat ſauciatâ, nulla ex caulibus vel ſponte fluit, vel arte exprimitur: unde faceſſit Aſæ in ſcapariam & radicariam diſtinctio, quam induxit Cl. *Wormius*. Radix quadrienniô minor, parum lacteſcit, & nunquam ſecatur; quò autem vetuſtior & major eſt, eò majorem impertitur lacrymæ copiam. Exemta tellure, ſi vel poſtridie ſecetur, lacte tamen ſtillabit: adeo nimirum ſucco diffluit, à quo inſolens pondus obtinet. In transverſum diſſecta ſummum diſcum perfundit lacteo ſuo ſucco, qui in continuas ſpiras argutè circumductus pullulat: prout videre eſt in Icone. Inſpecta attentiùs duplicem prodit ſubſtantiam: aliam firmiorem & fibratam, fibris per longitudinem vago poſitu diſcurrentibus; aliam magìs ſpongioſam, congenerem & molliorem. Hæc ad liquorem retinendum, & in utriculis ſuis excoquendum nata eſſe videtur; illa ad fundendum, & pro nutriendâ ſtirpe transferendum: addo & ſymbolam conferre ad firmitatem quandam radici fragilimæ conciliandam. Exſiccatæ radici perit omnis mollior ſubſtantia, fibrata remanet, & in ſtupeam quaſi medullam contrahitur; dum rugoſa cortex de amplitudine ſuâ parum amittit. *Fœtor & bonitas.* Succus ex utriculis ſuis recens emanans, candidiſſimus, liquidus & pinguis eſt, flori lactis dulcis exactè ſimilimus, adeoq; omnis exſors lentoris; ad aëris verò ſoliſve contactum, colorem ſubfuſcum induit, & coaleſcens, lentorem quoque. Fœtor, virtutis index, quò major eſt, eò meliorem Aſam teſtatur. At ille in recenti lacrymâ vehementiſſimus eſt, cum eo, quem concreta & antiquior redolet, qualem Europa recipit, nullo modo comparandus. Affirmare auſim, unam drachmam recens effuſam, ma-

jorem

jorem ſpargere fœtorem, quàm centum libras vetuſtioris, quem ſiccum venundant aromatarii noſtrates. Ex monte redux, cum radicum copiam aſportarem domum, (in amplum palatium impluvio diſtentum) adeo cubilia fœtore repleta ſunt, ut eas aſtutum eliminare debuerim. Ex Choraſano cum Aſâ appellens *Cafila* (ita vocatur armentorum onuſta multitudo, ductoribus comitata) in campum longè extra portam hoc mercium genus exonerat: quod ipſum vento illinc ſpirante, omnem civitatis auram halitu ſuo inquinat. Devehenda eſt in Indiam ſingulari navigio, mercibus corruptioni obnoxiis vacuo: cùm eas inficere, & liquores, præſertim potulentos, corrumpere experientia docuerit. Navis mea, quâ transfretavi in Arabiam, unicum ex puppi pendentem ferebat ſaccum Heratenſis Aſæ, quæ per corium transmeans, naribus noſtris magnam faceſſebat moleſtiam; metuente nautâ, ne aqua roſarum, Sjiraſenſe vinum, mercesq; edules, etiam tam brevi viâ noxam caperent.

Virtutem Aſæ medicam, longo catalogo recenſet *Dioſcorides L.* 3. *c.* 78, nec minus in laudandâ effuſus eſt *Garzias, Arom. Hiſt. L.* 1. *c.* 3. Perſici medici ob delicatum nationis genium ab uſu ferè abſtinent; ruſticis ſaltem Larenſibus in colicis torminibus & hydrope, præſertim in tympanitide curandâ uſus innotuit ex conſilio Benjanorum. Retulit mihi civis Diſgunenſis, ſe hoc morbo tumidum, omni mane per ſex hebdomades devoraſſe aſæ bolum ſeu pilulam majuſculam, donec convaluerit: ex eo ſubinde ſibi flatus ſurſum & deorſum receſſiſſe, adeo fœtentes, ut ab hominum conſortio toto tempore juſſus ſit exulare. Semen, idem, ſed minùs validè præſtat; proinde ab Indis in uſum medicum hinc avehitur. Vulnera, ex impoſito recenti ſucco coaleſcere dicuntur ad miraculum. Planta impoſita ſulcis, per quos aqua ad hortos & palmeta defluit, vermiculos ſtirpium quarumcunq; enecat. *Facultates.*

cat.

cat. Indis, præſertim Benjanis, creber aſæ uſus eſt, etiam in cibis pro condimento. Hoc referenti *Garziæ* ægrè credidit Cl. *Renodæus;* nam: *ſi hoc*, ait, *fabula non eſt, ex duabus alterum conjecto: aut aſam fœtidam in Indiâ non fœtere, aut Indos æneum habere guttur. Mat. Med. Lib.* 1. *S.VIII. c.* 8. Deguſtavi hôc ſucco imbuta cruſtula, quæ mihi non adeo ſapiebant teterrimè, ac putaveram. Familiare eſt Benjanis, oras craterum eâdem lacrymâ perfricare, pro appetitu excitando malè habentium. Magna eſt inter Heratanos & Diſgunenſes de bonitate Aſæ diſſenſio; dum quique ſuam præferunt, obtrectant alienam: Heratani macram, exſuccam & ſpuriam vocant Diſgunenſium montanam, & campeſtrem ſuam prædicant multò eſſe pinguiorem, molliorem & fœtidiorem. Reponunt Diſgunenſes: Quicquid Heratenſis aſa pinguedinis obtineat, id omne eſſe adſcititium; quippe cui recens collectæ admiſceant (faciunt id, ne indureſcat!) florem camelini, alii caprini lactis, haud ſuâmet virtute duraturæ, niſi fotu hujus mangonii: hôc illos nequiter fallere emptorem, qui adulterii ignarus peregrinam pinguedinem pro genuinâ habeat. Rixam invidia & æmula lucri cupiditas peperit, non tantopere attendendam, ut inde differentes ſpecie plantas & lacrymas conjiciamus: ex quo lituram inducentes huic & ceteris aromatariorum diſtinctionibus, omnem noſtri temporis tum Plantam, tum Aſam fœtidam, ratione ſaltem loci diſtinguimus in Campeſtrem & Montanam, ſive in Heratanam & Diſgunenſem, vel ſi nomen provinciæ placet, in Choraſanenſem & Larenſem: illa, ut plurimum pinguior & mollior, pellibus caprinis & ovinis involuta; hæc aridior, ſaccis ex foliis ſylveſtris palmæ textis, transmittitur. De poſteriori, uti facta eſt à me obſervatio, ita hôc loco de ejus collectione diſſeram, nihil differente à collectione Aſæ Heratenſis, niſi paucis circumſtantiis.

§.IV.

§. IV.

Meſſis Hingifera.

Inſtituitur (ſit verbo venia) Hingifera hæc meſſis, cùm ab accolis quibusdam paganis, tum inprimis à majori parte civium Diſgunenſium, quos habet oppidum fere trecentos; & abſolvitur quatuor actibus, ſive quod idem eſt, quatuor excurſionibus ad jugum Hingiferorum montium, qui inde diſtant duabus, alii tribus vel quatuor paraſangis. Collectionis actus tradam, prout illi ab oppidanis celebrabantur anno, quo montes inviſi, 1687. Quandoquidem ab illo tenore nunquam receditur, niſi fortè laborum auſpiciis alium deſignando diem, aut collectionibus breviores interponendo ferias.

Actus I.

Colligentes, antequam opus auſpicarentur, de aſâ, utrum ab exteris deſiderata ſit, pro more percunctati fuerant: ne gratis profectiones ſuas & laborum impendia facerent. De caritate igitur ſatis eruditi, ad montes confluebant medio Aprilis; quandoquidem circa illud tempus radix ad fundendam lacrymam ſe præparari patitur: cujus ſignum præbet facies triſtior foliorum palleſcentium & à vigore ſuo in marcorem declinantium. Si paganis vicinis colligere quoque ſtatutum ſit, eodem hôc menſe ad hunc actum compareant, neceſſe eſt. Appulſi cives per vaſta montium ſpatia ſecedebant, procul ſeſe diſſociantes, ita ut qui ex compacto in communem cenſum colligere propoſuerant, ſeu ſingulæ domus, ſeu familiæ cognatæ, ſeu vicatim & à pluribus initæ ſocietates, alium atque alium occuparent montis tractum, quem ad meſſem inibi inſtituendam ſibi aſſignabant. In hôc plantas quisque æmulâ alacritate adortus; *primo* terram, quæ radicem in circuitu proximè ambiebat, compactam videlicet, ſabuloſam vel lapidoſam, ope ligonis, quo armabatur, ad palmi ſpithamæve profunditatem eruebat, ita ut

modica longitudine radix nudam ſe proderet. *Secundò*, ſcapos foliorum, transverſâ manu apprehenſos, intorquendo, à radice avellebat, nullo negotio hâc tempeſtate abſcedentes; ab impedimento quoq; fibrarum, quæ hirſutam mitram referunt, faſtigium repurgabat; quo remoto, rugoſam calvariam exhibet. *Tertiò*, terram, manu vel ligone rarefactam, radici rurſus ad usque verticem circumponebat; tum avulſa folia, & ſi quod aliud herbæ genus adeſſet, in faſciculos aptata imponebat; ſuperaddito lapide, ne à vento, hîc ſæpe vehementiſſimo, diffluerent: eodem ſigno locum, cum redierint, agniturus. *Nota:* tegumento hoc opus eſſe, quò à radiis ſolaribus radix nuda tueatur; quia ab iis ſemel percuſſa, intra diem naturalem putreſcit, nullum legulo collatura beneficium. Poſtquam hoc modo cives radicum myriades aliquot præparaſſent, futuræ collectioni ſubjiciendas, (ſolet ſocietas quatuor vel quinque hominum, ſibi vindicare circiter bis mille) relictis montibus, lares repetebant, abſoluto ferè intra triduum meſſis ſuæ actu primo, quem كُشْتَن *Kuſjtèn*, i. e. occidere, quaſi *actum occiſionis*, nuncupant; quia in eodem plantæ internecioni damnantur, inpoſterum, donec pereant, vitali ſucco emulgendæ.

Actus II.

Ab intervallo quadraginta dierum, (hoc anno, quàm par erat longiori) turba colligentium ad montes reditura, veſperi iter inibat, & primâ luce diei 25 *Maji* ſt. v. appulſa, ſocialiter ſecedabat in loca quæque ſua, ut è radicibus, priori actu præparatis, tributum exigeret liquoris; qui admiſſus pro foliis nutriendis, nunc omnis ſtagnabat in faſtigio. Inſtrumenta colligentibus erant *culter* acutiſſimus, pro radice decurtandâ, *ſpathula* pugillaris, ferrea, lato fronte, ad abradendam lacrymam, *patella* ſeu caliculus femori affixus, qui ablatam portionem ſubinde

inde reciperet; & geminus *corbis*, ex humero bajulandus, pro deportandâ ſucci collecti annonâ. Sciri autem in limine debet, ſocietatem unamquamque, loci illius tractum, quem meſſi ſuæ deligit, atque adeo omnem in eo radicum copiam, in duas claſſes dividere, circa quas, miſſâ alterutrâ, alternis diebus occupetur: Quandoquidem ablato ſucco radix intercalare tempus requirit, tum pro recuperando, quem transmittat, liquore novo, tum pro effuſi neceſſariâ quadam ſpiſſatione. Quod ut ad oculum pateſcat, Tabula Lectori inſpicienda eſt appoſita, quæ exhibet Hingiferi montis tractum, quantus pro meſſe celebrandâ uni ſocietati ſufficit. In eâ litera *A.* locum & claſſem radicum priorem, *B.* poſteriorem notat; radice utrobique expreſſâ ſaltem unicâ, quæ inſtar omnium demonſtrationi ſerviat. Hoc præſuppoſito, pergo in hiſtoriâ. Appulſi in locum *A* colligentes, ſinguli ſingulas involabant radices, remotisque umbraculis, egerebant manu aliquam portionem terræ ambientis, quanta operationi ſuæ obſtaret; quô factô, radicis verticem, quousque ille hirſutus fuerat, per transverſum abſcindebant, ita, ut truncus diſcum exhiberet planum, in quo exſudans liquor, poſt biduum excipiendus, ſine defluvii periculo ſubſiſtere poſſet. Tum, prout in nupero actu, ſauciatam radicem à ſole rurſus defendebant, eâ cautione, ne faſciculus impoſitus diſcum attingeret, hôc fine cogendus quodammodo in arcum, emanantem ſuccum alioqui preſſione diſcuſſurus. Penſô abſolutô, die poſtero 26, cum diluculo pergebatur in locum *B*, atque eodem modo radix truncabatur, omnique ſtudio rurſus operiebatur. Die 27 in locum *A* regreſſi, remotis umbraculis, liquorem in ſuperficie depoſitum ſpathâ extergebant, & ſubinde deponebant in receptaculum, quod femori inhærebat; tum, remotâ terræ accumbentis portione, quanta ſectioni obeſſet, areſcentem diſci ſuperficiem præſecabant,


A
B
May 25 27 29
Jun. 10 12 14
22 24 26
Jul. 3 5 7
May 26 28 30
Jun. 11 13 15
23 25 27
Jul. 4 6 8

bant, ablatô ſaltem orbiculo tenuiſſimo, vix culmum avenaceum craſſô; ſatis enim eſt, ſi vel extima, quæ poros claudebat, ſuperficies auferatur, quò poſſint occluſi ductus ſuccum dimittere: quandoquidem pro comperto habent, quò tenuior teſſera abſciſſa ſit, eò ſuccum prodire promptiùs & copioſiùs. Idem perſuaſi ſunt de modo ſectionis, quam omnino fieri tundendo poſtulant, non vulgari tractu; cum ille fluxum magis promoveat, hic minùs. Sit fides penes credentes. *Nota:* legulos ſubinde femorum patellas deplere, & in receptacula majora, vel in folia humi ſtrata lacrymam deponere, ut ſoli expoſita magis indureſcat: quo ipſo verò peregrinum à nativo candore colorem induit, pro partium mollitie & ſitu diverſo, qui torrentes radios inæqualiter admittit; addo etiam ex ſubjecto accumbente recentem maſſam facilimè alieno colore imbui. Radice coopertâ, labor finitus eſt. Die 28 eadem collectionis opera, cum omnibus requiſitis, peracta eſt in loco *B*. Die 29 reventum eſt in locum *A;* & ſecundâ vice radix emulſa, remoto terræ obſtaculo, reſciſſa, rurſumq; contecta eſt. Die 30 ſecundus liquor etiam in loco *B* collectus, novaque ſectio cum aliis neceſſariis celebrata eſt. Atqui hic labor eſt actûs ſecundi, in quo ſingulæ radices ter ſauciatæ, bis ſucco ſuo exutæ ſunt. Quo præſtito, annona omnis in corbes congeſta & humeris incumbente perticâ deportata eſt; ſingulis quatuor vel quinque hominum ſocietatibus ſpolium referentibus decem vel duodecim *Mann* Diſgunenſium, id eſt, librarum Belgicarum circiter quinquaginta. *Nota:* quod hæc primæ collectionis lacryma non habeatur pro Aſâ optimâ, ſed inferioris notæ.

Actus III.

Collectio II

Poſtquam radicibus mora decem dierum (ſufficiebat octiduum) pro recuperando ſucco indulta eſſet, ad red-

auſpicandam meſſem cum luce diei 10 Junii accedebatur in locum *A.* remotisque umbraculis & impedimentis terræ, nova colligebatur lacryma, abſciſſôque ſummo orbiculo, vulnus operiebatur. Die 11 idem agitabatur circa radices in loco *B.* *Nota:* hunc ſuccum, qui ex morâ plurium dierum copioſior effluxerat, & ad debitam ſpiſſitatem exaruerat, proprio gaudere nomine پسپاس *Piſpaas*, cum alter commune nomen شیر *Sjiir*, i. e. lactis, ex candore & tenuitate perferat; at hic *Piſpaas* ex communi opinione præſtantior dicitur ac multò habetur carior, quàm ille *Sjiir* dictus. Utrum ob paucitatem, an ſolidiorem conſiſtentiam non dixerim. Certè, lacteus ille deterioris ſubſtantiæ non eſt, quamvis humidior, nam aëri diutiùs expoſitus æquè indureſcit, & ab illo *Piſpaas* nullo ſigno differt. Credo igitur ex eo genitum eſſe errorem, quòd Diſgunenſes lacrymam *Sjiir* nunquam antea, prout nata erat, genuinam vendiderint, ſed auctam atque adulteratam vili quadam materiâ, quam recens & liquida facilè admittebat; ſecus ac *Piſpaas*, quæ ob ſiccitatem adulteria reſpuens, non niſi pura vendi potuit. Aſa enim omnis per ſe eſt puriſſima, & quicquid alieni continet, id omne habet ab adulterio. Ipſi colligentes id mihi faſſi ſunt, his verbis: quòd recenti *Sjiir* ſoliti fuerint admiſcere, non quidem farinam, aut Gummi Sagapenum, velut à ſcriptoribus proditum eſt, ſed puram terram limoſam, quæ in monte fortè ad manus fuerat; pleroſque autem parem limi quantitatem, alios deinde duplam, vel pro cujusque avaritiâ majorem immiſcuiſſe, quantam ſucci tenuitas admiſerit. Quo ipſo verò vile pretium, &, detectâ fraude, omnimodum contemptum Aſæ hujus nominis pepererint; ſuo quidem damno: quòd nemo Diſgunenſem ampliùs deſideraverit; inpoſterum igitur cautiùs mercari doctos, omnem ſe repudiaſſe adulterii ſpeciem, ho-

hodieque omnem cujuscunque collectionis & conſiſtentiæ lacrymam in unam maſſam cogere, & iisdem voluminibus conditam in portus deferre, Congenſem & Ormuſienſem; ſi quæ impuritas adhuc ſubeſt, eam deberi negligentiæ legulorum, qui vulneratam radicem minùs cautè contexerint; quanquam caveri vix poſſit, ne à foliis quibus operitur, & à vento, paleas & pulveres adſpirante, tenax ille liquor conſpurcetur. Die 12 claſſis *A.* & poſtero die 13 claſſis *B* ſucco *Sjiir* exuta, reſecta pariter & retecta eſt. Die 14, eadem operatio in loco *A.* & die 15, in loco *B.* iterata fuit. Ita radices, poſtquam ſemel Aſam ſicciorem *Piſſaas*, bis liquidiorem *Sjiir* impertitæ fuiſſent, ſub operculis relictæ ſunt.

Actus IV.

Collectio III.

Exacto domi triduo, die 3 Julii, radices, haud longo otio gaviſas, reviſebant leguli; experientiâ edocti, tot exactionibus infirmatas & ad interitum diſpoſitas facilè tabeſcere; tributum ampliùs haud collaturas, ſi collectio longiùs differatur. Primo acceſſu Aſa *Piſſaas* ac cetera requiſita ſolito more agitata ſunt in loco *A.* Die 4, idem omnino factitatum eſt in loco *B.* Die 5 collectio aſæ *Sjiir* & cetera in loco *A;* die verò 6 in loco *B* celebrata ſunt. Die demum 7, ultima manus admota eſt claſſi *A:* in quâ, abraſo ſucco, ſectio intermiſſa, adeoque radices non opertæ relictæ ſunt, à libero aëre & ſolaribus radiis brevi intermorituræ. Die 8, parem ſortem experta & exitio damnata fuit claſſis *B;* & hôc ipſo finita fuit meſſis Hingifera.

Habes, Lector, communem colligendi modum, quô ſcilicet tribus excurſionibus, ab unaquaque radice octies liquor *Sjiir*, & ter, *Piſſaas* exigitur, in his montibus Diſguno vicinis hactenus obſervatam. *Sciendum* verò, radices grandiores, i. e. majores vicenariis, quales dantur

in

in jugi parte diſtantiori & cum difficultate conſcendendâ, tam citò non dimitti, ſed pluribus mulctari poſſe exactionibus, donec quater vel quinquies *Piſpaas*, tantòque ſæpiùs *Sjiir* effuderint, extenſo collectionis termino in Septembrem. Verùm, hôc montium tractu paucas decennio,nullas ampliùs vicenniô majores inveniunt: per annos enim bene multos, quibus aſæ continua caritas fuerat, à colligentibus extirpatæ ſunt, nullo iisdem, ut grandeſcerent, conceſſô otio. Radices, exſolutis tributis, inſepultæ relictæ, ad unum omnes putreſcere dicuntur: Terrâ obrutas aliquando reviviſcere experientiâ ſuâ teſtabatur unus legulorum, negabant ceteri.

OBSERVATIO VI.

جرنغ *Dſjerenàng*, i.e. Sanguis Draconis, ex fructibus Palmæ coniferæ ſpinoſæ elicitus.

Succi hiſtoria.

§. I.

Ut lapidem Bezoartico ſimilem ex diverſis ſpecie animalibus, ſimiâ, caprâ, cervo; ſic nonnullas quoque reſinas & gummata, ex ſpecie diſtinctis plantis depromi, certiùs eſt quàm veriſimilius. Terebinthinam, Bdellium, Tragacanthum, Vernicem nativam, hoc loco tacebimus: de ſolo ſucco, *Sanguis Draconis* dicto, id oſtenſuri. Duplicem nobis exhibent ſanguinem pharmacopolia, haud quaquam ſolâ puritate, quod creditur, ſed ipſo genere arborum, ex quibus colligitur, differentem: unum nimirum in *glebis*, cujus ex Occidente quoque; alterum in *guttis*, ut loquimur, cujus ex ſolo Oriente nobis fit copia. Ille in Canarienſi inſulâ manat, ex dehiſcente caudice arboris pruniferæ cujusdam, *Draco* dictæ, ſi *Cluſiano* candori fides eſt; ſi Arabibus Perſisque cre-

credimus, idem ex arbore *Santalinâ rubrâ* prolicitur. Hos ita ſentire perſuaſit communis lacrymæ cum Santalo color, bonitatis nota, virtus, & demum patria, videlicet *Cholomandela*, (vulgo *Cormandèl*) *Madagaſcar* & *Æthiopia*, ſive potius Æthiopiæ ora illa, quæ *Sangibára* vel *Zanguebara* inſcribitur. Suffulcit opinionem etymi inter diverſas gentes cognatio & conſenſus: quandoquidem vocabulo, quo Perſæ Draconis ſuccum خون زنگبان *Chuni Sengijoon*, id eſt, Sanguinem Sangibarenſem nuncupant, eodem gentiles quoque Gangetici, Santali rubri lignum indigitant, id appellantes, vel linguâ ſuâ populari Decanicâ: *Reket Tſjandan*, i. e. Sanguineum Santalum: vel doctâ Brahmenum Samscreticâ: *Rakta Tſjandoonam*, quod idem ſonat: vel, *Rakta Tſjandoonam Sangghi*, id eſt, Sanguineum Santalum Sangibarenſe ſive Æthiopicum. Ex aliâ rurſus arbore eundem ſuccum derivari contendunt alii. Nec mirum, ſic diſſentiri de illius natalibus: Varium enim adulterium, quin ſuppoſititium hujus nominis genus, quod arte componitur & pro encauſtis & pictoribus venale proſtat, variam conjecturæ & erroris occaſionem ignaris rimatoribus ſuppeditant. De *hoc* verò poſteriori, quem ſanguinem in guttis appellant, inter nigritas Orientis, Malajos Javanosque, exploravi, quòd artificio eliciatur ex fructu parvulo, ſtrobili figurâ, arboris μονοβλάςυ ſpinoſiſſimæ. Eliciendi hic modus eſt: Reponuntur fructus in craticulâ ſupra vas amplum fictile, quod aquam ad ſui dimidium continet. Quo facto, vas leviter operculatum ſupra prunas collocatur, eo fine, ut elevatus aquæ bullientis vapor fructus emolliat atq; emaciet; ita fit, ut tinctura ſanguinea, quæ in diſſecto fructu ad oculum mihi non comparuit, calente halitu extricatus, exſudet, & in ſuperficie fructuum ſiſtatur. Hæc bacillo abraſa, in folliculos reconditur, ex folio arundinaceo compli-

 plica-

plicatos, mox filo nectendos in ſeriem, & in aëre tamdiu ſuſpendendos, donec incluſus ſanguis exaruerit. Ab aliis ſimplici coctione opus perficitur: nimirum usque eò ſtrobili excoquuntur, donec rubedinem in aquâ depoſuerint; hæc, rejecto fructu, coctione ulteriori in ſpiſſum ſuccum redigitur, folliculis pariter involvendum.

Plantæ deſcriptio.

§. II.

Ad ipſius arboris deſcriptionem, ut proferamur, prænotamus: Indiam multas ferre Arundinum ſpecies, cùm earum, quas *Rotang*, ſeu *Rottanj*, id eſt, arundines caule farcto, tum quas *Bambuu*, id eſt, arundines cavas vocant. Utriusque in cenſum referuntur variæ Palmæ ſylveſtres, inter vaſtiſſima vepreta patriæ (inacceſſa hominibus latibula tigridum) creſcentes. Ex his nobiliores tres potiſſimùm ſpecies, ſpinis armatas, mihi obvias fecit botanica deambulatio, cum indigenis inſtituta: nimirum *Rotanj Salàg*, *Rotanj Gelàg* & *Rotanj Dſjerenàng;* cujus poſtremæ, Draconis ſanguine illuſtris, (ſiquidem ductor meus trium nominum confuſione non erraverit) hîc genuinam repono, ſed pro viatoris Minervâ deproperatam deſcriptionem.

روتن جرنڠ *Rottanj Dſjerenàng*, Palma-pinus eſt, trium ad ſummum orgyjarum altitudinis, undiquaque *ſpinis* horrida atro ſpadiceis, rectis, uncialis pene longitudinis, compreſſis, tenuibus. *Caudex* ad tertiam exſurgit orgyjam humani brachii craſſitie, ſimplex, rectus, ex luteo palleſcens, aculeis verſùs horizontem extenſis, & in imo caudice denſiſſimis armatus, per ſpithamarum intervalla geniculatus, geniculis ob frondium baſes, quibus involvuntur, non apparentibus. Baſes frondium tubulatæ ſunt, ſingulæ ex ſingulis geniculis ortæ, ita ut inferior ſuperioris exortum perpetuò complectatur; quò ipſo fit, ut

ut articuli non appareant, niſi involucris liberati. Hæc involucra ſive tubi, ut caudicis exteriorem ſuperficiem, ita & majorem ejus partem conſtituunt: nam iisdem remotis, ipſa prodit in conſpectum pars intima *medullaris*, ſuperficie nitidâ, coloris ſpadicei, ſubſtantiam obtinens laxam & fibratam, in vertice ſolidiorem, carnoſam, edulem, ſaporis expertem, candidiſſimam. Frondibus gaudet, in caudice, pro articulorum numero, raris & inordinatis; in vertice denſioribus, haud numeroſis tamen: quorum exteriores, lege Palmarum, longiores ſunt; interiores, velut ſucceſſu temporis naſcentes, breviores & imperfecti. *Frondes*, in orgyjæ longitudinem extenſæ, utrinque pinnato foliorum ordine decorantur, imâ earum parte, quam ſcapum vocant, nudâ. *Coſta* earum levis eſt, ex craſſiori principio ſenſim tenuior, quadantenus compreſſa; ſummâ facie herbaceâ, averſâ pallidâ luteſcente; utroque latere, ex quo folia prodeunt, carinato; ſpinis armatur brevibus, raris, in dorſo uncis, & inſtar cornuum per paria junctis. *Folia* (quæ vulgò pinnas appellant Botanici, cùm frondes illis foliorum nomine veniant) ſunt arundinacea, coloris herbacei, cubitum longa, ſemiunciam lata, in longum apicem producta, tenuia, pendula, pronâ facie raris aculeis aſpera; nervis donata tribus, in longitudinem decurrentibus, uno inſigniori medio, ceteris tenuioribus, unde in plicas totidem inclinant, & marceſcendo quodammodo coëunt. Fructûs ſingulari naturæ induſtriâ producuntur: racemis conſiti in comâ, ex frondium axillis, in caudice verò palmari à frondibus intervallo enatis. *Racemi* duobus loricantur adverſis folliculis foliaceis, tenuibus, ſtriatis, fuſcis, in longiſſimum apicem acutè lanceatis: uno inferiori & magìs externo, qui geminam ſpithamam longitudine, ſeſquiunciam latitudine excedit, & in convexo ſpinis pollicaribus, compreſſis, ad rectum angulum exporrectis aſperatur; altero

verò ſuperiori ſive caudicem ſpectante, qui nudus eſt & brevior. Ipſe Racemus dodrantalem obtinet longitudinem, ex paucis (4, 5, 6) racemis minoribus, ſtylum medium in longitudinem ſtipantibus, compoſitus: quos ſingulos ſinguli intercipiunt folliculi alii, prædictis ſimiles, ſenſim breviores & anguſtiores, ita ut ſubinde priorum complexu poſteriores imbricentur. Divaricantur racemi in bacillos ſive pediculos breves, pingues, firmos, ex breviſſimis intervallis ad alterna latera retortos, tuberculisque conſpicuos exiguis, ſquamoſis, non deciduis, quibus inſiſtunt Fructus: qui baſi ſuæ ſubnexas exhibent (reliquias perianthii) ſex lacinias tenues, membranoſas, fuſci coloris, quarum tres exteriores ſunt breviſſimi, lati & frontati; reliqui ex illorum interſtitiis prominuli, ſunt longiores, anguſtiores, acuminati. Ipſe *Fructus* ovatæ rotunditatis eſt, nuce avellanâ major, ſquamulis nitidiſſimis deſuper loricatus, adeoque inverſum ſtrobilum referens, dum mucrones ſuperiores ſubinde claudunt interſtitia inferiorum, accuratâ quincuncialis ordinis venuſtate. Verticem ornant tres ſtyli tenues, arefacti, duriuſculi, in averſos gyros eleganter reflexi. Squamulæ ſunt parvulæ, duriuſculæ, tenues, arctè adnatæ, coloris Phœnicei, oris fuſcis, in angulum rectum mucronatæ; quibus remotis, conſpicitur membrana carnoſa, albicans, laxè involvens globulum carnoſum, per immaturitatem ex herbaceo pallentem, pulpoſum, ſuccoſum, ſaporis leguminoſi & inſigniter adſtringentis, qui ad linguæ contactum per gingivas & oris parietes protinus ſe diffundit, & citiſſimè diſparet.

Mutilam hujus racemi iconem, ſub generis nomine Malaico *Rotang*, exprimere niſus eſt *Bontius*; peneque ſimilem proponit *Bauhinus*, ſub Palma-pini titulo, uſûs verò hujus uterque eſt neſcius. Pariles quoque ſquamoſos fructus, ſed arundinis minoris, non ſpinoſæ, exhibet *Hort. Malab.*

Malab. Tom. ult. Poſſideo in pinacothecâ meâ geminum fructum, ex Oceano in Ambonenſe littus depoſitum, incluſo globulo prægnantem ac ſonorum; marinum aliis, mihi genuinum deſcriptæ arboris fructum, in mari petrefactum.

OBSERVATIO VII.

Andrùm, ſive Hydrocele, (ſcroti tumor) morbus regioni Malabaricæ endemius & communis.

Aquas, pro genio mineræ vel terræ natalis, morborum, quos endemios ſive vernaculos vocant, genitrices eſſe, palam eſt. Plica Polonica accuſat fontes Ucraniæ; Strumas propinat Styria & Tranſylvania; Dracunculos ex ſtagnante imbre hauriunt Arabes deſertorum, accolæ Sinûs Perſici, & Gvineenſes Afri; Liquores verò fundi Malabarici potatoribus ſuis bigenerem morbum parturiunt, quorum prior ſcrotum, alter pedem occupat alterutrum; ille indigenis *Andrùm*, noſtris Oſcheohydrocele nuncupatur: hic Malabaricè *Pericàl* dictus, Pedarthrocacis ſeu ſpinæ ventoſæ ſpeciem exhibet. Bicipitem hunc morbum gemino capite propoſiturus, id agam, ne hiſtoriæ ſterilitas tædium prolixitate pariat.

Andrùm, ſeu, ut cum paraphraſi ſonat, *Andu wája ku*, vi nominis hydrocelem endemiam ſignificat. Morbi tragœdiam orditur ſcroti eryſipelas, ſingulis menſibus recidiva cum novilunio; quâ poſt unum & alterum diem ceſſante, eroſis lymphaticis, ſenſim in ſcroti cavum confluit liquor quidam ſeroſus, ſubſalſus, augmentum indies, lunâ præſertim creſcente, capiens, ſcrotumque ita diſtendens, ut immiſſâ tandem acie educendus ſit. Liquor ille limpidus & tenuis eſt, quandoque magis viſcoſus, non- *Morbi hiſtoria.*

 nun-

nunquam rufus, vel cruore dilutus, & aliis inſuper qualitatibus imbutus, pro laborantis temperamento & habitâ victûs ratione. Dicunt populares, latere cauſam morbi in aquis, quas propinat regnum Cocinenſe (vulgò ſcribunt *Cochin*, pronunciant *Cotſjiin*) ex puteis fontibusque telluris ſuæ, velut ſale ſcatentibus muriatico corroſivo, quo humores reliquæ Malabariæ ſint expertes; propinato ſemini fomentum præſtare auram natalem, quæ pravis quoque udæ ac depreſſæ terræ ſuæ inquinetur ſpiritibus; obſtante montium propinquorum jugo, ne diſſipentur: hos cum corpore humano ita propinatam toties materiam diſponere atque movere, ut eroſis ſcroti potius quàm alius viſceris vaſis, hydrocele, non alia hydropis ſpecies produci queat. Nec leve momentum, meo judicio, confert montanus flatus, qui eo tempore, quo ſol ultra æquatorem verſatur, poſt mediam noctem ſubortus, aërem ſubtili frigore perfundit, & expoſiti ſibi corporis humani poros, alioqui hôc cœlo patentiſſimos, ſubito occludit. Hic (quod propriâ noxâ expertus ſum) interiora conclavium penetrans, morbos exaſperat & diras convulſiones excitat, quas in Europâ prodromos vicinæ mortis judicaveris; hîc tamen nihil ferentes exitii. Morbus civi atque hoſpiti, ſi annos aliquot hîc commoratus ſit, æquè eſt familiaris; ut plurimùm hoc cœlo per totam hominis ætatem durans & incurabilis; nequaquam tamen periculoſus, nec aſſuetis valde moleſtus eſt: niſi fortè inveteratus noxam (quod ſæpè accidit) teſticulis inferat, atque adeo in Hydro-ſarcocelem degeneret. Clima morbi natalitium mutanti menſtrua aqua in ſcrotum illico ſcatet parcior, & penitus tandem evaneſcit: Sarcocele verò jam contracta difficilimè, vel ne vix quidem, tollitur. In ortu, ajunt, utriusque morbi virus deſtrui atque aboleri poſſe, ſi fiat in puteis ſtrages cum arenâ, petendâ ex flumine provinciæ *Mangatti* dictæ, cujus alveus

ex

ex montibus devolutum ducit liquorem innoxium & limpidiſſimum: Faciunt id cultiores quique cives urbis & regni *Cociin*, ſucceſſu non omnino frugiperdo. Claret autem per Malabariam duplex *Mangatti* nominis provincia: una ex præſtantiâ dicti fluminis, ſita ad Cocinenſis territorii fines boreales, quà tranſitur *Craganorum*, Batavorum in littore maris fortalitium munitiſſimum: altera, verſùs orientem, ad limites mediterraneos regni *Signatiæ* poſita. Longè hæc famoſiſſima eſt à templo ſeu diverſorio ſimiarum, quas Brahmenum pietas aſſuefecit illuc quotidie ex ſylvis confluere, ad capeſſendum prandium. Raram hîc loci (ſit venia digreſſioni!) ſpectare curioſo viatori licet ſimiarum pugnam, quam loci curatores in eorum gratiam exhibent, qui expendunt pro alendis beſtiis eleemoſynam. Nimirum, quando prandii tempus eſt, cum, oryzâ coctâ, baculus exponitur: hunc arripit, quæ appellit omnium prima, ut ceteras à patinâ arceat: unde aliis fuſtem, aliis cibum occupantibus, confuſum oritur certamen, quo jucundius nil deſideraveris. Credit incolarum vulgus, ſimias hominum ſylveſtrium genus eſſe, ſed quod loqui nolit, ne in mancipia capiantur à civibus. Sanè, pendent ibidem ex littoris arbore reliquiæ quædam crocodili, quem aliquando à ſimiis, plusquam humanâ aſtutiâ captum ſuſpenſumque fuiſſe narrant: Nam cùm iſte pirata ex agmine ſimiarum proximam littori, fortaſſe ex fluvio bibentem, devoraſſet, ceteras bene gnaras, crocodilos ſubinde in prædæ locum redire, convoluto à ſe corticeo laqueo & ex altâ arbore in aquam demiſſo, inſidias feciſſe, & mox obtorto collo feliciter illaqueaſſe hoſtem ſuum, & attracto fune ſuſpendiſſe, ſocii ſui vindices glorioſos.

Curationem quòd attinet, ea popularibus palliata potiùs, quàm vera eſt: Uſu enim receptum eſt, ope phlebotomi, è ſcroto vel ſingulis, vel interjectis, menſibus tumen- *Curatio.*

menti, ſeroſum laticem educere; nullâ, in operatione, habitâ cautione aliâ, niſi ut imo lateris alterutrius loco lanceolæ acies inferatur. Certum eſt, victûs ratione ad mentem medici accuratè inſtitutâ, tum pharmacorum, quocunque modo intentioni ſervientium, pertinaci uſu, ſerum in ſcroto imminui, vel tardiùs colligi; morbum vero illo cœlo eradicari, nunquam obſervavimus, quicquid ego & alii rigore Mercurii tentaverimus. Toties igitur fruſtrati populares, ſcalpelli mucronem experiri malunt, omni incommodo & periculo expertem, quàm in eventum dubium tot diætæ legibus, tot medicorum præſcriptis longum, & ipſo morbo moleſtius, præſtare obſequium. Verùm, curationem nihilominus tentant gentiles medici epithematibus ex ſpeciebus vernaculis; quorum inſtar omnium & eximiæ virtutis eſſe dicebantur, quæ hîc latinè refero, ex liberali communicatione alicujus medici gymnoſophiſtæ, utinam non ſophiſtæ!

Rec. *Olei expreſſi Seſami; Ol. expreſ. ſem. Ricini, à Cluſio* (perperam) *Ol. cicini dicti; Butyri cocti aa q.ſ.; frige ſuper ignem, frixoque inunge folia Ricini, pediculis priùs exuta & enervata, calida, prout ferri poteſt, ſcroto admovenda.*

Majoris efficaciæ, ac in morbo inveterato demum præpollentis, habetur ſequens:

Rec. *Cinnabaris q.ſ.; ſeminis Coriandri, corticis arboris Móringa* (Arbor alexipharmaca A. Coſt. dictæ) *aa q.ſ. ſingula in anteceſſum ſupra lapidem pulveriſata, ſubigantur in maſſam cum ſucco limonum: Hanc maſſam linteo exceptam ſcroto tumenti applica, removendam, quandocunque urere inceperit.*

OBSER-

OBSERVATIO VIII.

Pericàl, i. e. Hyperſarcoſis ulceroſa pedum; ſive Pedarthrocaces, morbus Malabaris vernaculus.

Alter fontis Malabarici partus, tumor eſt Oedematoſus, qui corporis partem non aliam, quàm pedem invadit, & incremento menſtruo ita tandem expandit, ut ſimilem elephantino cruri figuram exhibeat. Indigenis vocatur *Pericàl*, vel ex linguæ celeritate *Pircàl*, i. e. febricitans pes, intellige menſtruum pedis affecti eryſipelas: hoc enim Medici Brahmenes in catalogo febrium decimam octavam ſpeciem ſtatuunt. Malum frequens onerat Chriſtianos ſancti Thomæ, ab Apoſtolo hujus nominis ſic dictos: cujus quòd amplexi eſſent doctrinam, crudeliter adeò à paganis habiti ſunt, ut relictâ patriâ ſuâ *Carnaticâ* (provinciâ Choromandeli) ſuperatoque, quod regiones dividit, jugo montium, in Malabariam conceſſerint, ampliùs hîc mille ac quadringentorum pagorum, totidemque templorum nunc facti poſſeſſores. Malum ergo ex Gangeticâ patriâ tranſportaſſe vulgata traditione creditur; inani profectò, niſi credant, ſimul illinc fontes & flumina, mali endemii genitores, tranſmigraſſe. Narrant indigenæ: S. Thomam, ingentis molis arborem, quæ portum clauſerat, cùm elephantibus pagani non poſſent, zonâ femoris ſui extraxiſſe; quo facto, qui à paganiſmo ad Apoſtoli doctrinam tranſiverint, elephantino pede à Diis gentilibus notatos eſſe. Advenarum fidem ita hæc occupavit fabula, ut morbum Indi Luſitani *Peju de ſanto Thoma*, & eorum exemplo Belgæ, **Sint Tomas been** appellare non dubitent. Eundem tumorem in pagis *Ceylanæ* ultra Galam, urbem munitiſſimam Belgi- *Morbi hiſtoria.*

cam, tum in *Omerâ*, Regni Japonici provinciâ, endemium (quamvis non ita frequentem) offendi; utrobique emergentem, quod fatentur incolæ, ex aquæ natalis vitio. Morbus nunquam artus alios invehit, quàm crus alterutrum, raro utrumque, & in eo præcipuè imam partem: Hanc ſingulis menſibus cum lunæ incremento phlegmone corripit, quâ intra dies aliquot defervente, tumor tamen inflammationis non remittit, ſed in carnem vitioſam ſecedit, ita ut ambitus cruris, cum incremento ætatis, in deformem craſſitiem, plus juſto (duplo, triplo, aut longè ultra) majorem excreſcat; craſſitiem inquam inæqualem, œdematoſam, duriuſculam, aſpectu ſcirrhoſam, hic illic, prout os ſubjectum afficitur, fungoſam, ulceroſam & feroſâ ſanie ſcatentem. Tumor ſæpè per extremum quoque pedem ad ipſos usque digitos extenditur, raro ultra ſuras aſcendit, ad genua nunquam pertingit. Mali materiam præbent fontes, non tam Malabariæ univerſæ, quam regni Cocinenſis; ſale enim corroſivo abundant, (nitrum ibidem vocant) cujus acredo ſanguini viſcido juncta, partem nutriendam obſtruit atq; vitiat. In cruribus autem hæc tragœdia præ ceteris luditur, quòd in illis mali materia gravitate ſuâ reſtagnet, niſi eadem à cavo ſcroti, eroſis ibidem lymphaticis, intercipiatur; à malo enim omnes illi immunes ſunt, qui hydrocelen fovent. Chriſtianos potiſſimùm corripit, quia ut plurimùm circa montes habitant, quorum aura & aqua ad producendum tumorem majori pollent efficaciâ. In hôc noſtro affectu, vitium contraxiſſe os ſubjectum, nullus vel ex eo dubito, quòd omnem illudat medicantis operam & oleum; Ambiguum verò eſt, an os ſubjectum laboret carie, an intemperie tantum humidâ? Rurſus, ſi caries adeſt, an ea communis ſit, id eſt, extrinſecus, læſo prius perioſteo, inducta, an verò intus facta, à ſucco nutricio in tubulis oſſium ſtagnante, viſcido, acri, acido? talis enim humor oſſis

oſſis ſubſtantiam terebrat & erodit, eamque inducit figuram, quam ab inæqualitate & fungoſitate Spinam ventoſam, ſeu ventoſitatem ſpinæ appellaverunt veteres: cujus nominis barbariem *Severinus* in opere *d. recond. abſceſſ.* caſtigavit, ſubſtitutione vocabuli *Pedarthrocaces*, quod puerorum abſceſſum notat: quia in pueris frequentior affectus eſt, ob molliora oſſa & patentiores in iis tubulos, in quos major alimenti copia defertur, pro augmentatione. Ut me expediam: non ſecavi pedem, nec ſtatum laborantis oſſis definire auſim; perſuadeor tamen, affectum pro Pedarthrocace quadam habendam eſſe, eò quòd juniores potiſſimùm adoriatur, parcat advenis adultioribus, qui ſolidis cruribus incedentes, nullo pro augmento oſſium nutrimento indigent. Malum, etſi tactu durum, aſpectuque nigricans ſit & fœdum, in ſphacelum tamen haud facilè degenerat, adeoque periculo vacat; doloribus quoque vix aliis grave, quàm quos menſtrua parit inflammatio; Odioſum tamen & permoleſtum eſt ſui bajulis monſtroſo pondere, præſertim ſi uſcuſculorum ſtillicidiis madeat, prout ſolet inveteratum. Mireris, quàm parum in officio impediat operarios, ferendo huic oneri ſic aſſuetos, ut ad præſtandas mercenarias quasvis operas, & ad palmas quoq; nuciferas excelſiſſimas eâdem, atque alii, agilitate ſcandendas, nihil minùs ſint idonei.

Qui monſtro hôc gravantur, nullum aliud habent remedium, ex quô levamen hoc cœlo ſentiant, quàm quod ab æviternis fonticulis petitur, inurendis circa cruris affecti genua, ſed mox in mali principio poſt unam aut paucas inflammationes. Hinc frequenter fonticulorum apparatu faſciatos videris hujus regionis Chriſtianos: quô verò non quidem concepta radix extirpatur, ſed pro frenandâ tumoris & ulcerum luxurie, ſerum affluens, præfixâ quaſi catarractâ, ſiſtitur quodammodo & intercipitur. Ab indigenis tamen Medicis curatio totalis, ſaltem in morbi *Curatio.*

principio, tentatur magis, quàm obtinetur; eâ methodo: ut primò omnium mittatur ſanguis; tum caput frequenter cum oleis perungatur, præſtante ceteris oleo ejus terræ communi, id eſt, oleo nucum Cocos; deinde corpus pharmaco ſufficienter expurgetur. His præmiſſis quaſi univerſalibus, ad pedis affecti medelam ſe aquâ & igne accingunt, ut gemino ſacramento partem maleferiati regenerent. Modum appono, à Medico Chriſtiano S. Thomæ ex *Samscretico* manuali ſuo mihi prælectum & communicatum, riſu me hercle, quàm approbatione digniorem: *Paranda facula eſt ex ſtupâ & oleo Cocos*, quod copioſum præſtat Malabarorum patria; *præſto quoque ſit liquor elicitus ex contritis cum aquâ dulci foliis Corveile* (planta eſt fructu grandi, eduli, ibidem notiſſima). *His paratis, pedem repone ſitu elevatiore; poſt, accenſæ facis ipſâ, quâ flagrat, extremitate plantam pedis tardis ictibus percute, & à ſingulis percuſſionibus eandem aſperge cochleari uno prædicti liquoris; quæ, & percuſſio & aſperſio, reciprocanda ſunt continuo trium horarum ſpatio.* Si hôc exorciſmo ſemel aut bis inſtituto hoſpes tuus non excedat, fruſtra eſſe, ajebat, quicquid ad excutiendum ultra tentaveris. Japonii provinciæ Omurâ, hoc morbo petiti, (qui *Kojejas*, plebi *Kojaſſi* appellatur) tumorem incipientem liberaliter ſcarificant, & ſic detumet plerumque; ſi redeat affectus, ſcarificationem quoq; iterant, non neglectâ protuberantiarum uſtione, *moxâ* ſuâ, i. e. lanugine foliorum Artemiſiæ, inſtitutâ; quæ genti huic in omnibus ac leviſſimis quoque affectibus ita familiaris ac uſu recepta eſt, ac ſi in verba Hippocratis noſtri, (quem nunquam legerunt) obſequium juraverint, cum lib. de aff. c. 30 ait: *Si in unum aliquem locum incubuerit dolor, & conſtiterit, & medicamentis non fuerit exactus, urito quocunque loco fuerit dolor, urito autem lino crudo.* Sed de hoc Moxiburio paulò poſt ex propoſito agemus.

OBSER-

OBSERVATIO IX.

Tripudia Serpentum in Indiâ Orientali.

§. I.

Viperæ Cobras de Cabelo deſcriptio.

Aſtutum & fallax genus hominum, quos agyrtas, circulatores, circumforaneos vocamus, velut certa mortalium tribus ſit, ita omnes non modo Europæ, ſed & cultioris Aſiæ regiones pervagatur. Eorum alii ingenioſis & lepidæ agilitatis actionibus ſpectatores conciliant, alii fraudibus oblectant, & præſtigias mentientibus objectis: quale eſt famoſum illud tripudium cujusdam in Orientali Indiâ maximè venenati ſerpentis, *Naja* dicti, qui vocabulô Luſitanô *Cobras de Cabelo* naturæ ſectatoribus innotuit. Ferox & hominibus infenſiſſima eſt beſtia, quæ mordendo exitiale virus inſtillat vulneri. Nam ab eo, qui mordentur, ſubitò anxietates cordis & lipothymias patiuntur, neglectoque alexipharmaci maturo uſu, convulſi moriuntur: vel ſumptô ſeriùs antidotô, partis læſæ gangrænam raro effugiunt, difficulter ſanabilem: inde nullum aliud ſerpentum, quàm hoc, genus nudipedes Indos timere & cavere videris. Obtinet vipera hæc (nam ad hanc claſſem referunt) trium vel quatuor pedum longitudinem, craſſitiem mediocrem; cutem ſquamatim & decorè ſtriatam, tenſam, aſperam, coloris ex fuſco nigricantis, in abdomine albidi. Habet hoc laceſſita ſingulare, quòd utroque cervicis latere cutem inflare, & in orbem planum, ſive compreſſum, ad inſtar alæ vel vittæ extendere ſoleat. Vitta illa in dorſo exactiſſimam imaginem exhibet conſpicilli albido colore delineat, cujus orbiculi in expanſâ utrinque vittâ, &, quæ hos connectit arcus, in ipſo capite expreſſi ſunt. In duellum igitur ubi prorumpit, erecto corpore inſurgens, alas, iracundiæ in-

dices, circa caput ſuperbè expandit, & apertis faucibus caninorum dentium monſtrans lethiferam aciem, in hoſtem, nî cautè repulſa, mirâ celeritate involat. Verendam hanc verſare beſtiam, nullo capiſtro frænoque tractabilem, & incitare cantu, ut motus ſpectatoribus exhibeat tripudiantis æmulos: id magicum judicant vel incredibile, qui audiunt; qui vident, jucundum & admirabile. Verùm, ſi & ſerpentini tripudii modum, & aſſuefactionis rationem inſpexeris, omnis tibi admiratio, omnis ſuſpicio incantamenti evaneſcet. Tripudii nomine hic utor, vel abutor potiùs: ne Lector æquivocô vocabulo *Saltûs* confundatur, Tripudii autem hiſtoriam primò referam.

Tripudii viperini actus.

§. II.

Circulator (plerumque cum ſocio ſuo, vel puero) unâ geminâve inſtructus viperâ, regionem vicatim diſcurrit, & in compitis foriſque angues ſuos in ſpectaculum educit: quo ipſo, concitatâ (ut in locis publicis ſolet) hominum turbâ, tripudium ſerpentum publicè celebrat. Vel etiam idem oſtiatim obambulans, domeſticos ad ſpectaculum invitat, tripudii quidem à viperâ nusquam ante, ut prædicat, ita lepidè, ita curioſè exhibiti. Juſſus, promiſſa ſua ante fores, vel intra parietes, exſequitur, hoc modo: Primò omnium promit particulam radicis, cujus copiam velamento femoris illigatam gerit; Hujus, dicens, præſidio adoriri ſe innocuè ſerpentes poſſe, & immunem præſtare, à lethiferis eorum inſultibus. Radiculam hanc poſtquam dextrâ ſuâ incluſit, viperam ex vaſe, quo reconditur, in terram excutit, & bacillo, vel obverſô, quem muniverat, pugnô leviter irritat. Hæc repente ad offendentem converſa, imæ innitens caudæ, corpus procerum erigit, vittas in orbem expandit, & ſibilante ſono vibrat ſubinde linguam, apertis faucibus, rutilantibusque oculis, timida tremulaque in magiſtri ſui pugnum intenta. Tum



Tum ille cantilenam ſuam modulari incipiens, pugnum nudum variè & ad menſuram quodammodo, à dextrâ ad ſiniſtram, & vice verſa à ſiniſtrâ ad dextram, nonnunquam ſurſum deorſumque movet. Anguis in magiſtri pugnum oculis defixus, motum illum, quocunque vergit, capite totoque corpore lepidè imitatur, ita ut caput, ad duarum ſpithamarum diſtantiam, (immotâ caudâ) huc atque illuc, à dextrâ ad ſiniſtram vertat, & hôc ipſo ſpeciem quandam tripudii exhibeat, horæ octavam partem durantis. Tanto enim temporis ſpatio vipera exerceri poteſt, antequam fatigetur, & erecti ſitûs motûsque pertæſa effugiat. Ejus igitur laſſitudinem fugamque ut antevertat circulator, maturè cantum abrumpit; quo ipſo ſimul vipera humum demittit corpus, & ſaltare deſinit. Hoc ita præſtito, ſtipem, ſeu mercedem, à patre-familias, ſive circumſtantibus, colligit, & viperam in ollam ſuam recondit.

Quæres jam: quid viperam faciat pugni motum imitari; an radiculæ occulta qualitas, an verò anguium ductoris illa incantatio? Ab utroque junctim cogi, dicunt circumforanei: à radice quidem, ne lædat; à cantu, ut ſubſiliat. Proinde radiculas ſpectatori venales obtrudunt, nec quenquam facilè patiuntur ſalientem viperam propinquè accedere, niſi emtâ particulâ munitum: nec enim integras exhibent, ſed in particulas (ne noſcatur) uncialis longitudinis diviſas, quæ ſapore & externâ facie Salſaparillæ ſimiles, paulò tamen craſſiores ſunt. Verùm, ne dementes adeo ſimus, qui credamus, iſta omnia vel quicquam ad rem facere. Exploravi virtutem radiculæ, & geminam particulam, aliquot obulis ab agyrtâ emtam, indignante venditore objeci viperæ, peracto ſaltu humi cubanti: quæ inde neutiquam commota eſt, ut loco ceſſerit, vel quicquam averſationis oſtenderit. Cum allio idem probavi, poſtulante ipſo circulatore, cui de

ἀντι-

ἀντιπάθεια egomet veriora, ipſe non aliter perſuaſus, promiſeram; ſed nec ab hôc objecto territa eſt vipera. Et credo nil magis fraxinum & alias plantas valuiſſe, quas ſerpentes fugere docent *Plinius* & magiæ naturalis ſcriptores. Cantu verò faſcinari ſerpentes, ut tripudient, hôc ſeculo nemo, niſi ſtolidus, perſuadetur. Non capiuntur cantu inſecta, nec S. Scripturæ locus apud *Davidem* id docere videtur. Ut brevis ſim: Solus metus eſt, & ex metu enata aſſuetudo, quibus generoſa & docilis illa beſtia inducitur, ut caſtigatorem pugnum obſervet, & ejus motum intentè aſſequatur.

Viperarum exercitatio & aſſuefactio.

§. III.

Aſſuefactionis rationem videre mihi contigit in terrâ Gangeticâ, apud virum ex tribu Brahmenum, extra urbem *Nagapatanam*, remotiore ſuburbii loco habitantem. Hæc ſacra tribus ex longo tempore numero aucta, & à Regibus Mahhammedanis paſſim exuta ſtipendiis ſuis, ad aliud vitæ genus eos demittit, quibus ampliùs ſuſtentandis templorum reditus non ſufficiunt. In Malabariâ ad bajulorum fortunam prolapſi, hôc gaudent à Regibus ſuis privilegio, ne cuiquam merces bajulandi & per provincias exportandi licentia ſit, niſi ex hâc ſacrâ ſtirpe natis. Sed ad civem meum; Is domandis viperis, & ad motus varios aptandis, vitam profeſſus fuerat, quas mitigatas circumforaneis vendebat. Eſt enim hoc genus anguium, ex omnibus, ut maximè venenatum, ita & prudentiſſimum ac maximè docile, dummodo ſic loqui liceat. Aſſervabat ſingulas in ollâ fictili operculatâ, ejus capacitatis, quæ inflectendi libertatem corpori concederet. Exercitii tempus erat pomeridianum, ſole ſcilicet remiſſiore; (fortaſſe & matutinum) quo appetente, foris diſponebat in arenoſo ſolo, quotquot habebat ollas (numeravi duas ſupra viginti) & ſingulos ſerpentes alternè edu-

ctos, brevius longiúsve, pro cujusque profectu, exercebat, rurſumque recondebat. Erant enim aliii rudes, vel ſaltem motibus exprimendis initiati, alii habiliores & exercitati. Ratio exercendi erat,ut,demptô operculô & inverſâ ollâ, excuſſam viperam, ubi fugiebat, bacillo ad ſe converteret; ad pugnam ſic laceſſitæ (cui ſeſe ut plurimùm ſponte ſiſtunt) & ſubinde, ut mordeat, inſilienti ſibi, arreptam ollam, ad inſtar clypei, objiciebat, ita ut naribus offenſa & nocendi intentione fruſtrata reſiliret. In illâ luctâ erectam viperam diu (alias mediam, nonnullas quadrantem horæ) detinebat, donec ſuo damno multoties illuſa, ab inſultibus ſibi temperaret: dum interim tamen expanſâ vittâ oſtenſisque dentibus obluctari non deſineret, ſed motum offendentis clypei, quem ardente oculo intuebatur, cautè ſequeretur. Cavebat autem magiſter, ne viperam nimis læderet aut fatigaret exercitiô; ſecus, ſuppreſſo ſpiritu, timidam ſegnemque redditurus, ut in arenam provocata, fugam potiùs, quàm luctam, impoſterum ſubitura ſit. Indies ita tractatæ viperæ adſveſcunt paulatim ad ollæ, & tandem dimiſſâ ollâ, ad pugni ſolius objectationem aſſurgere, & ſuperbè vittatis capitibus motus objecti pugni, huc illuc, citò tardè, & ad menſuram quodammodo factos, imitari, ſubverentes ſemper,ut mihi viſum eſt, ne ab objecto læderentur. His facetis motibus, ex luctâ primùm enatis, ſi accinat magiſter,non illepidum exſurgit ſpectaculum, quod,apud imperitum vulgus, famoſum ſerpentum tripudii nomen obtinuit.

Veneno viperas privandi modus.

§. IV.

Vanum eſſe innuimus, radiculis armari velle adverſus viperas. Ergone circulatores in horas vitæ ſe periculo exponent ob paucos obulos? Hoc vel ob Regias delicias nollet Damocles paraſitus. Nimirum viperas in ſcenam producendas priùs omni toxico exuunt, ut innocen-

center à ſe tractari queant; ſæpe enim improvidos ſe morderi contingit, cui vulnuſculo cùm venenum abſit, id nullius momenti eſt. Virus omne, quod habet ſerpens, in gingivâ ſuperiori habet, & non aliud eſt, quàm ſalivoſus ille humor, qui ex capite deponitur in illam gingivæ partem, quæ prædictis dentibus caninis intra oris cavum accumbit. Hâc igitur in mordendo compreſſâ, non poteſt non fieri aliter, quin ſimul virus factis vulnuſculis immittatur. Proinde, ut hanc ſalivam ex receptaculo eliciant, viperis priùs irritatis pannum, vel quidvis aliud poroſum ac molle objiciunt: quod ipſum aliquoties mordicus à viperâ apprehenſum, omnem è gingivis ſalivam imbibit. Alii cervicem priùs digitis apprehenſam comprimunt, ut vindictæ cupida virus dimittat; ſic laceſſito angui demum objiciunt, quod liquoris reliquias extergat. Hanc toxici emiſſionem circulatores quotidie, vel alternis diebus, inſtituunt; caventes tamen, (quod pro arcano habent) ne ſpolium perpeſſis recens gramen, vel quodvis herbaceum, paſcere permittant, ſecus paucas intra horas venenum ex eo pabulo recuperaturis. De hujus veneni genio nihil dicam, cum jam ante de eo doctiſſimè diſſeruerit indefeſſus veritatis naturalium ſcrutator *Redus Tom. 2. Opuſculorum Obſerv. de Viperis.* Tantùm unicam placet hiſtoriam ſubjicere, pro Clariſſimi illius Itali ſententiâ, contra Clariſſimum pariter virum *Charaſum* Gallum; quorum ille toxicum ſerpentis omne in ſalivâ, hic in vindice ideâ repoſuit. Bataviæ (quæ in Indiâ metropolis eſt Hollandorum) cum anno 1689 aliquot menſes degerem, ex militibus gregariis Germanus, qui Pharmaceuticæ in patriâ ſtuduerat, excubias tenebat die dominicâ, in illâ caſtri portâ, cui ab aquâ nomen eſt. Salutabam hominem ante concionem, quâ durante ſupervenerat juveni illi inopinata mors à viperâ, & ipſâ quidem mortuâ. Hanc à ſocio ante mediam horam, non

procul ab eo loco occiſam, tradi ſibi in excubiis ſtanti curabat, exuviarum cupidus, quibus vaginam frameæ ſuæ indueret. Dentibus igitur apprehenſo capite, cutem, prout anguillis ſolent, circa cervicem cultrô ſolvit, & ſolutam vix detrahere ceperat: cum linquens animo repente concidit, & nemine remediis opitulante (clauſis ſub concione portis) intra horæ medium convulſus obiit. Nullum mihi dubium eſt, ſeu linguæ apicem, ſeu labia homini recens fuiſſe excoriata; quibus ori viperino, quod salivâ diffluebat, admotis, venenum, à venis capillaribus abſorptum & ad vitalem arcem delatum, dira ſymptomata atque ipſam mortem concitavit. Norunt enim hâc terrâ omnes, attactam viperæ ſalivam vulnuſculo adhuc cruento, quàm exiguum illud ſit, etiam acu punctum, mortem inferre poſſe; cum & intra corpus etiam copioſè aſſumpta nihil quicquam manducanti noceat; quod ipſum & de ceteris animalium venenis (ſcorpionum, phalangiorum, veſparum &c.) affirmare non dubitant; excipiunt tigridum myſtaces, quas Indi, occiſâ beluâ, perferre ſuis Regulis obſtricti ſunt, velut acerrimum interno uſu venenum, & hactenus vulgo ignotum. At, quæ in viperâ noſtrâ nocendi intentio aut vindex idea fuerit, jam pridem mortuâ? Pluribus, quæ addam, experimentis inſtruor, ſi pro *Redianâ* militari hîc locus eſſet. Vidi quoque geſticulatores pro lucrifaciendis nummis diſcurrentes cum ſerpentibus magnæ molis, craſſis, orgyjâ longioribus & ex humeris in terram propendentibus: qui inter cetera ſpectacula hos quoque ſerpentes producunt, quibus fauces violentis & panno obvolutis manibus effringunt; tum linteo ſuperioris maxillæ dentibus bis vel ter inſerto, omnem humorem ſalivoſum extergunt. Hôc factô, linguam, quàm longè poſſunt, extenſam ſerpentis ori ingerunt; quam retrahentes, prædictorum dentium acie innocuè vulnerant, ita ut ſtrias longas ſanguineas refe-

Notabilia de Venenis.

referat, quas ſpectatoribus contemplandas oſtendunt. Pigrum hoc & inconditum ſerpentis genus (glabrum erat, albidum, magnis nigricantibus maculis variegatum) parum veneni, plus roboris habere dicitur: nam ex eorum claſſe ſunt, quos ſuâ linguâ *Conſtringentes* nuncupant: ita dictos; quia neſcio quo aſtu occupata quadrupedia circumdare &, dum moriantur, conſtringere, ſuffocata demum deglutire dicuntur: an uros etiam, quod Cl. *Cleyerus in Ephem. Germ.* retulit, id nunquam comperi, vel à fide dignis audivi. Nugæ ſunt fabulantis vulgi; quemadmodum ea, quæ narrantur de *Ruk*, tanti roboris & magnitudinis ave in Inſulâ Madagaſcar, ut elephantum rapiat; quæ tamen in ipſâ patriâ nec nomine nota eſt. Stolidi ſunt, qui credunt talia, & impudentes, qui credi poſtulant!

OBSERVATIO X.
Gemina Indorum Antidota.

§. I.

Radix *Mungo.*

Æſtuans inter Tropicos ſolaris focus, ut ſalutares rerum naturalium virtutes, ita & deleteriam in venenis qualitatem magis intendit & acuit, quam ſub zonis cœli magis algidi. Quis enim, ut omittam cetera, non ſtupeat celerrimam malignitatem arborei ſucci Maccaſſarienſium, quô infecta tela, ad leviſſimum ſanguinis contactum, ſubitò vitam inſtar lucernæ extinguunt? Quis ſerpentis *Naja*, Luſitanis *Cobras de Cabelo* dicti, ſalivam non horreat, quæ leviſſimè morſos interimit? Hæc gemina ut præ ceteris formidantur ab Indis venenorum genera, ita Antidota totidem, iiſdem potiſſimùm venenis oppoſita, quàm maximè celebrantur: quæ ipſa hîc brevi relatione introducere animus eſt. Primum antidotum

ex Vegetabili regno, Radix eſt, plantæ Malaicè هَمڤَدُّو تَانَهْ *Hampaddu Tánah*, id eſt, *Fel terræ* dicta, à ſapore amariſſimo omnium ferè partium, præſertim radicis, quæ intenſam bilis amaritiem exhibet, Luſitanis ibidem *Raje* ſ. radix *Mungo* appellata, à muſtelâ quadam ſeu viverra, Indis *Mungutia*, Luſitanis ibidem *Mungo*, Batavis *Muncus*, Garciæ ab Hort. Ar. Hiſt. L. 1. c. 44. *Quil* & *Quirpele* appellata, quæ radicem monſtraſſe, & uſum ejus pro alexipharmaco prima mortalibus prodidiſſe creditur. Eſt muſtelæ huic is genius, ut ſerpentem naturali odio proſequatur, & velut glirem catus invadat. Tradunt igitur, ſi contingat morderi muncum, ſerpentis aſtutiâ roboreve victum, relicto hoſte, pro alexipharmaco hanc radicem quærere, & eſu ejus illico reſtitutum, certamen redintegrare. Sit fides rei penes indigenas. Hoc tantùm de muſtelâ hac exploratum habeo, morſam à viperâ, vel luctâ fatigatam, dimiſſo victore, ex palæſtrâ in campum excurrere & obvias depaſcere herbarum radiculas, mox paſtu, ut opinor, refectam, rurſus comparere ad certamen, cum hoſte, ſi adſit, redauſpicandum.

Viverra Mungo deſcriptio.

Mungutia illa (quam perperam à Quirpele *Garciæ* diverſam inducit Cl. *Rajus* Synopſ. Anim. quadrup. p. m. 197.) ſciuri figuram exhibet, eo tamen paulò major & geſtibus tardior eſt; Pilis ornatur glaucis, in caudâ longioribus, ex atro ad decorem interpunctis. Domi alita facilè manſueſcit: Habui, quæ mecum dormivit & inſtar caniculi domeſtici per urbem & campos me ſecuta eſt. Mungos alunt rura calentis Aſiæ omnis, usque ad Gangem, etiam in iis Regionibus, in quibus hæc Radix ante dicta nunquam germinavit. Indi igitur, (ut ad virtutem radicis redeam) præcipuè qui Sumatram & Javam incolunt, ſive uſum à muſtelâ edocti ſint, ſive caſu quodam invenerint, radicem pro explorato habent antidoto; ſive venenum extrinſe-

cus

cus vulneri illatum, ſive intrinſecus aſſumptum fuerit. Maxima autem celebritas radiculæ enata eſt, ab eximia illâ virtute, quam adverſus toxicum Macaſſarienſe præſtat, exitiale illud, & vix alio remedio vincibile. Eſt venenum hoc ſuccus lacteus & pinguis, qui colligitur ex recens ſauciatâ arbore quadam, indigenis *Ipù*, Malajis Javanisque *Upà* dictâ, in abditis locis ſylvarum Inſulæ *Celebes*, præſertim in ejusdem provinciâ *Turaſiâ*, creſcente. Triplex dicitur arboris varietas vel ſpecies, ſolius ſucci malignitate majori vel minori, & areſcentis colore (fuſco, rufo & albicante) differens: cujus genuinum & in ſolâ Macaſſariâ germinantis ſuccum, qui colligere ſuſcipiunt, præſentiſſimis vitæ periculis ſe exponant neceſſe eſt. Nam ad quærendam arborem loca dumis beluisque infeſta penetranda ſunt; inventa verò, niſi eminus vulneretur, & ab eâ parte, à quâ ventus adſpirat, vel aura incumbit, aggreſſores erumpente halitu ſubitò ſuffocabit. Quam ſortem etiam experiri dicuntur volucres, arborem recens vulneratam transvolantes. Collectio exitioſi liquoris, morti ob patrata maleficia damnatis committitur, eo pacto, ut pœna remittatur, ſi liquorem reportaverint. Ex Scyllâ igitur in Charybdim regredientes, magnâ cautione & circumſpectione opus hoc inſtituunt. Nimirum, ſylvam ingrediuntur longâ inſtructi arundine, ex magno & robuſto illo genere, quo domicilia ſua extruunt, quam alterâ extremitate (eſt enim duriſſimum genus, cruris vel ſuræ humanæ craſſitie, cavum, internodiis ex pedali vel longiori intervallo geniculatum) ex aſſe acuunt, ut ad pertundendam arboris corticem valeat. E longinquo conſpectam arborem adoriuntur, ex eâ plagâ, quam præmonuimus. Tum, quàm longè poſſunt, ab arbore conſtituti, arundinis aciem arbori validè intrudunt, & liquoris, ex vulnere effluentis, tantum excipiunt, quantum arundinis cavô ad proximum usque internodium capi poteſt,

Venenum Macaſſarienſe.

poteſt. Hoc ſpolio onuſti, adverſo vento retrocedunt, & mox extra vulneris exhalationem in vado conſtituti, liquorem vaſi vitreo, ſed cautè pariter, infundunt & obturant. Reduces, ſupplicio & omni diſcrimine defuncti, hoc vitæ ſuæ λύτρον Regi offerunt. Ita narrarunt mihi populares Celebani, hodie Macaſſari dicti. Quis autem veri quicquam ex Aſiaticorum ore referat, quod figmentis non implicetur? Certum eſt, Regem Macaſſarorum, ceterosq; ejus cœli Principes, lanceas ſuas & pugiones (quibus ſolis armati ſunt) lethifero illo ſucco inficere, ſed qui ab ambiente aëre, niſi arma probè obvoluta ſint, morâ temporis miteſcit; non æquè facilè, ſi telorum rimulis (denſiùs aggeſtus) inhæreat. Telum illud eſt exiguum ſpiculum, ex arundine ſciſſum, apice ſubtiliſſimâ, in quam ſtria deſinit toxico illita. His telis non rarò milites ejus terræ armati ſunt, qui ea per tenues arundinaceos tubulos (qualibus noſtrates pueri utuntur in paſſerculis petendis) flatu oris explodunt in hoſtem, ut lethale ſpiculũ corpori infigatur, tremendum nudis Indis, ſed quod ab Europæo militum veſtitu illuditur. Audivi infectum armorum tentare alios etiam ſalivâ ſerpentum; ſed cujus collectio in Indiis admodum operoſa eſt, & infectus non ejusdem momenti, quia reſervatus ſalivoſus humor areſcit, & plurimum malignitatis amittit. Collectio ſalivæ pro inficiendis armis dicitur familiaris eſſe Africanis non longè à promontorio Bonæ Spei habitantibus. Eſt enim ibidem ſerpentum genus quoddam ex aureo colore variegatum modicæ longitudinis, quod poſt caninos dentes, inſignes habet veſiculas veneno tumidas, quas exſcindunt interemptis, & liquorem pro toxico reſervant. Anguem in naturâ non vidi, ſed, cum aliis ejus terræ inſectis, vivis coloribus artificioſè pictum apud Batavorum in eo promontorio Gubernatorem Generoſum Dominum van der Stelle / ſen. Virum curioſiſſimum & de culturâ ejus

ejus loci optimè meritum. Non dubito, tela & aliis pharmacis poſſe imbui; Quid oleum Nicotianæ præſtet, ſatis notum eſt; quid ſuccus allii valeat, quid toxicum Hiſpanorum ex radicibus Hellebori coctum, ipſe non exploravi. Sed ad radiculam. Aſſumitur hæc, cùm ad præſervationem, tum ad curationem, ab inferendo vel illato veneno, drachmæ unius vel dimidiæ pondere, cum hauſtu aquæ dulcis vel cujusvis liquoris, ſive rudi frictione ſuper lapidem, ſive cultiori modo in pulverem redacta; nec inconſultum ajunt, ipſi loco affecto pultem ex pulvere radicis, cum ſputo vel aquâ factam, imponere. In radiculæ hujus notitiam antequam deveniſſent, Indorum hoſpites vel hoſtes, Europæi, nullum aliud ab indigenis ferocis veneni antidotum revelatum eſſe dicitur, quàm ſtercus humanum exſiccatum; quod à ſauciatis eo ipſo momento tantâ copiâ deglutiendum erat, donec, excitando enormem vomitum, virus illatum (revellendo, eliminando aut quocunque modo, perinde eſt) ſuperaret atque illuderet. Hôc igitur ſtercoreo antidoto inſtructi, aciem cum nigritis *Celebanis* ingrediebantur, vitam neſcientes, niſi in ſui ludibrium conſervare, ſordidiſſimo remedio; donec patuiſſet, aliud ab indigenis foveri antidotum: cujus revelatio nulla arte alia potuit, quàm cruciatu extorqueri. Jurant alii, ſi recens ſuccus fuerit, & oblito recens telo alicui illatus, vitam nec antidoto ullo, nec læſæ partis exſtirpatione conſervari poſſe, ſed exanimem concidere priùs, quàm quis poſſit ad opem ferendam manus porrigere. Ego radicem (cujus copiam ex Javâ aſportavi) in febribus putridis, morbisq; malignis redux feliciter utor, & multis ſucceſſibus infallibilem experior virtutem adverſus canis rabidi morſum, in brutis æquè ac hominibus.

Planta noſtra, cui ab amaritie Indi, à viverrâ Luſitani nomen dedêre, patriam habet, quod ſcio, Javam, Cey- *Deſcriptio botanica.*

lanam & Sumatram Inſulas, fortaſſis, quòd opinor, & alias regiones. Creſcit altitudine pedali & longiori, faciem eminus conſpecta exhibens Centaurii minoris. *Radix* illi una eſt & ſimplex, ſpithamam longa, digiti craſſitie, crebro vagoque flexu intorta; *cortice* firmiter adnatâ fungoſâ, ruſâ, rugoſâ; ſubſtantiâ lignoſâ, durâ, fibrarum exorte & fragili, coloris albidi, ſaporis amariſſimi, inſtar Gentianæ, ſed ſubtilioris & haud æquè ingrati. *Caule* aſſurgit recto, tenui, æquali, *ramulis* raris, alternè adverſis; quos *folia* ornant pari ordine diſpoſita, rariora, anguſta, longitudinis uncialis, figuræ lanceatæ. *Stylis* ſingulis, ex ſurculorum axillis in duarum vel trium digitorum transverſorum longitudinem exſurgentibus, tenuibus, deciduis inſiſtunt *Floſculi*, circiter 50, plures pauciores, præparvi, in plures faſciculos digeſti, & in umbellam, tantillam, quam ungue obumbres, conglobati, pulchrè rubentes: qui per microſcopium cognoſcuntur nudi, tubulati, extremitate in quinas & ſenas lacinias diviſâ. Areſcente floſculo ex umbilico ejus *Semen* minutiſſimo pediculo protruditur, in aliis geminum, i. e. ex duobus ſeminibus ad baſes concretum, faſtigiis divaricatis, in aliis ſimplex & unum, inæqualis rotunditatis, & ex quadantenus compreſſo utcunque turbinatum, oſſeum, ſeminis coriandri magnitudine, cute veſtitum carnoſâ, adnatâ, per ſiccitatem rugoſâ, coloris promiſcuè vel nigricantis, vel ex viridi pallentis. *Nucleus* interior albus eſt, oleoſus & pingvis, ſaporis vapidi ſubdulcis. *Mungo* planta, quam ceu Phaſeolum Orthocaulem à *Fab. Columna* deſcriptum proponit Cl. *Rajus* Hiſt. Plant. LXVIII. Sect. 3. cap. 6. mihi ignota eſt.

Lapis viperinus.

§. II.

Alterum, ex animali, quod credunt, regno depromptum antidotum, *Lapis* eſt; qui extrinſecus vulnuſculis vene-

venenatis admotus tenaciſſimè adhæret, donec (ex ore indigenarum loquor) veneno ex vulnere attracto ſaturatus ſpontè decidat. Is quanquam omni venenoſo vulneri, ſive toxicum ictu & morſu inſectorum, ſive telô mortiferô inflictum ſit, inſigne præſtet auxilium, ſpecificum tamen & infallibile habetur antidotum in ſolo homine adverſus morſum veneniferi ſerpentis *Cobras de Cabelo.* Ut ritè expediatur curatio, gemini Lapides in promptu eſſe debent, quò, delabente uno, illico admoveri poſſit alter, qui veneni reliquias imbibat. Si verò unicus ſaltem adfuerit, qui ſpontaneo lapſu venenum ſupereſſe indicet, oportet lacti recenti confeſtim immittatur; lac enim virus è poris extemplo eluit, ita ut in ſuperficie ſpectabile ſupernatet, colore ex flavo cœruleoque variegatum: Sic veneno liberatus, & diligenter abſterſus lapis, vulneri denuo admovendus eſt. Signum exhauſti veneni ſtatuunt, ſi Lapis non ampliùs decidat, ſed manu detrahendus ſit; ſupereſſe enim poros, veneno vacuos, qui ſaturari ampliùs non poſſint. De efficaciâ hujus lapidis, &, quæ indies cum ipſo inſtituuntur in Indiâ experimentis, multa dicenda, inquirenda, dubitanda venirent. Quicquid ſit, ſpondent efficaciæ veritatem, quotquot ex Hindoſtanis de Lapide quæſivi; & innumeros inveni, tum qui experimenta ipſos ſe feciſſe, tum qui facta ſuis oculos vidiſſe mihi per Jovem Lapidem jurarunt; adeo, ut inter Indos de Viperini Lapidis virtute contra ſerpentis *Cabelo* morſum dubitare, execrabilis incredulitatis crimen ſit. Ex multis unum placet inſerere caſum oppidò rarum, quem mihi de experimentis Viperinis, incidente diſcurſu, dubitanti narravit, & tota teſtata eſt ſpectatrix familia Generoſi Domini *de Pavillon*, qui domi ſuæ acciderat, cùm in Choromandelo Gubernatoris provinciam gereret. Una ex ſervis domeſticis à *Cobra Cabelò* pede morſa, ardentiſſimos plorabat dolores. Productus illico & impoſitus

Lapis eſt; quo decidente, cùm nec Lapis præterea alius, nec lac dulce in promptu eſſet, quod poros elueret, nutrix, in tam pernici malo anxia, Lapidi immulſit ex ſuis uberibus. Ex quo verò illi papilla confeſtim dolere, mox uber ejusdem lateris tumeſcere & inflammari, non ſine vitæ diſcrimine, in quo triduum verſabatur, ab uberis duritie vix decem diebus liberata. Papillam autem habuerat aliquantillum ab alumni gingivâ excoriatam, adeoque recluſis venulis aptam, quæ veneni inquinamenta reciperet, calenti lacte elicita. Quî autem conciliabimus cum Indorum experimentis tot facta in contrarium à celeberrimo *Redo*, citata *in opuſc. tom.* 2? Negabunt, opinor, Patroni lapidis, Rediana experimenta locum habere ad valorem ſui antidoti deſtruendum, utpote quæ in brutis, non in homine, cum oleo tabaci, vel veneno heterogenei ſerpentis, non vipero Cabelo, tum ſub cœlo magis algidô, non ſub æſtuante Indico inſtituta ſint. Relator ego nihil dijudico, ſaltem fateor ingenuè, penes me valorem lapidis ſemper manſiſſe in ſuſpenſo, dum quid erroris & fallaciæ ſublatere poſſet, propriis experimentis non exploraverim. Et licet tot lapidis prædicatoribus & experimentorum jactatoribus quid contradicerem non haberem, auſus tamen nunquam fui in ſonticis caſibus, plerumque inopinatò & cum pernici periculo incidentibus, beneficium Lapidis experiri; cùm non caperem, ſi tam velox eſt viperinum virus, ut eſſe omnes ajunt, quomodo illud retrahi ex maſſâ humorum poſſit per adhæſionem lapidis? ſi verò adeo pernix non eſt (ut ad minimum in plerisq; morſibus expertus mihi videor) ſed morâ quadam opus habet, antequam diffuſum & reſolutum in vulnere, abſorberi omne à venulis capillaribus, & ad cerebrum ac vitalia viſcera transferri poſſit; colligere licebit, terram ſigillatam, ſpodium & cornu cervi uſta ac ſimilis generis alkalia, qui pariter adhærent, idem

idem quod ille Lapis præſtare, & vulneri admota liquores contactos & cum iis venenum, in poros ſuos æquè poſſe recipere & imbibere. Ea propter ſemper conſultius duxi ad ſacram meam anchoram, *Theriacam*, refugere, quam ſcarificato vulneri (priùs ligato ſupra vulnus membro) poſt factam ſanguinis expreſſionem affricui & impoſui, propinatâ inſimul ejusdem electuarii portione pro ſudorifero. Et ſic ſine lapide, ſat citò ſemper (in recens læſis) ſucceſſit curatio. Eſt autem viperinus lapis figuræ quodammodo ovatæ, compreſſus, unciâ longior, latior dimidiâ, interdum alterutrâ facie magis gibberoſa, craſſitie pennæ anſerinæ in medio, ambitu tenuiori, ſuperficie lævi ac ſplendente, coloris ingrati, nigricantis & aliqua ſui parte albidi. Subſtantiam obtinet firmam & duram, levem tamen, hîc ibi poroſam & quodammodo corneam, ita ut appareat formatus ex cornu cervi in vapore vel liquore aliquo macerato tinctoque; niſi fortè fragmentum ſit *Lapidis Cananoor* variegati. (Ita hic lapis dicitur à patriâ Cananoor Malabariæ provinciâ, Luſitanis ibidem *Pedra frigue* dicta, à qualitate refrigerante; eſtque triplicis differentiæ ſive coloris, nimirum albus, citrinus & obſcurè cœruleus, qui poſtremus Nephritico lapidi in omnibus, præter levitatem, ſimilimus eſt.). Quotquot videre mihi obtigit per Indiam firmam & Inſularem, prædictæ conditionis & figuræ fuerunt; planè alius ab illis, quos ſupra citato loco in ære exhibet Cl. *Redus*, à RR. Patribus acceptos. Qualiscunque figuræ fuerint, primâ fronte apparebunt haud quaquam naturales & in cerebro viperæ, quod vulgo creditur, genitos eſſe, adeo ut fruſtra fuerit, qui illos in anguium capitibus quæreret. Bini, unicâ capſulâ tereti & levi ſubere exciſâ, intra lanam repoſiti, reſervari plerumque ſolent, ut ſecum citra fractionis periculum poſſeſſor commodè geſtare poſſit. Haud proſtant ullibi, ſed contingit offerri venales, haben-

turque rari & in pretio. Non conſtat, quinam eorum factores ſint: quos tamen eſſe Gentilium religioſos, quos *Sjoges*, aut Sacerdotes, quos *Brahmenes*, vocant, multi conjiciunt. *Fig. vid. Faſc. II. Rel. IX.* §. 3.

OBSERVATIO XI.

Curatio Colicæ per Acupuncturam, Japonibus uſitata.

Morbi deſcriptio.

Colica, quam *Senki* appellant Japones, inſulis populoſiſſimi imperii Japonici endemia & adeo familiaris eſt, ut è decem adultis rarò unus ſit, qui eâdem aliquando non laboraverit: ſic aër alioqui ſaluberrimus, ſic natalis aqua, ſic cibus, potus & vernacula vivendi ratio in hujus morbi generationem conſpirant. Audet importunus civis ipſos advenas, poſt ſalutatam loci Cererem, invadere. Noſtro id experti ſumus dolore, ubi ſub climatis ingreſſum, (quod in vado ſolenne eſt navigantibus) malorum, quibus nos irati Dii maris flagellaverant, memoriam elueremus cerevifiâ hujus terræ frigidâ, *Sakki* vocatâ. Cocta hæc ex oryzâ ad vini Hiſpanici vigorem & conſiſtentiam, eâ gaudet indole, ut neutiquam frigida bibi, ſed ad indigenarum morem ſorbillari ex orbiculis debeat, modicè priùs calefacta. Non autem quivis ventris dolor dicto venit nomine, ſed ille demum, qui dum inteſtina lancinat, in inguine ſimul motus excitat convulſionis. Nimirum, is eſt hujus Colicæ vel gradus, vel genius, ut abdominis quoque muſculos & membranas vellicet. Si doloris cauſam vel materiam quærimus, ea ex ſententiâ horum antipodum, cùm in præſenti morbo, tum in omni cruciatu ventris neutiquam intra inteſtini cavum hoſpitatur, niſi fortè in affectu leviori, ſed in ipſâ hæret partis alicujus ſubſtantiâ membranoſâ, puta muſculorum



J. W. Brandshagen. Sculp.

lorum abdominis, peritonei, omenti, meſenterii, inteſtinorum: in quibus illa per moram faceſſens in vaporem, vel, ut loquuntur, in ſpiritum ſæpe acerrimum, membranulas diſtendit, rodit & lancinat. Hujus igitur ſpiritûs rodentis effracto carcere, ipſoque anguſtiis, quas diſtendebat, exſoluto, ceſſabit momento citiùs acerbiſſimus extenſionis ſenſus, quem ut perperam Latini ab inteſtino, ſæpius innocenti, Colicam, ſic Gymnoſophiſtæ eum ad Japonum Sinenſiumque mentem ſaniori judicio amant ſuâ linguâ vocare *Spaſmum abdominis & inteſtinorum.* Habet hoc ſingulare patrius morbus Japoniæ, ut ad Hyſtericæ paſſionis exemplum perſæpe ſuffocationem hoſpiti ſuo machinetur, convellendo totam regionem ab inguine ad usque coſtas ſpurias, vel mucronem; deficiat verò, ubi diu ſæviit, in tumores hìc illìc in corpore promiſcuè naſcentes; nonnunquam epilogum ludat teterrimum; in viris quidem grandi alterutrius teſticuli tumore, non raro in fiſtulam ſuppurante; in fœminis verò fœdâ catervâ tuberculorum, in ani vulvæque labiis naſcentium, quam capillorum plerumque comitari amat defluvium. Sed & illa ſarcocele (quam ſpeciali nomine *Sobi* vocant, & laborantem *Sobimotz*) & hi ficûs, extra colicam pariter frequentes ſunt & endemii in Japoniâ.

Acuum deſcriptio. In hunc extimæ gentis hoſtem, prius, quàm acum noſtram ſtringamus, ſcire oportet: duos eſſe in adverſo Orbe ſacros fontes chirurgicos, ex quibus jugiter, cum recuperandæ ſanitati, tum conſervandæ petunt remedia, ſani & ægri, medici & empyrici, nobiles & plebeji. Illos verò & ante artis medicæ uſum inventionemque, ab omni antiquitate per Coræam, Sinam, Japoniam claruiſſe, triga illa gentis ſanctè profitetur, pertinaciſſima antiquitatis ſectatrix. Quinam fontes? Equidem duri nominis! nam primus ignem fundit; cedit alter metalli aciem: aciem verò, non ferocis chalybis ſanguinantis, nec ignem quoq; can-

candentis ferri; quo utroque trux ſupra humanitatem chirurgia Occidentis in mortalium ſævire membra jubet, operâ deteſtabili iis, quorum humana mollities & manſuetudo præcordia occupat; ſed ignem gratioſum,& non verendum magìs, quàm quo ſibi litari hoc cœlo Dii ipſi amant, nimirum remiſſè gliſcentem turundam, volutam ex herbâ Regii nominis *Artemiſiâ*. Sic metallum pariter omnium præſtantiſſimum, illud Regiarum decus, rerum omnium nervum, Solis & Lunæ ſobolem, & horum planetarum virtute prægnans, ut volunt per ignem philoſophi. Quid moror? Aurum & argentum indigito! Ex hôc enim Acus perpolitas ducunt illius regionis artifices; quæ ad celebrandam in humano corpore puncturam, apprimè ſunt idoneæ, & tanto in pretio habitæ, ut eas inter manuales gazas, amans thecarum gens, in ſinu (ut ſolet rariora quævis utenſilia) reconditas circumgeſtet. Hujus utriusque remedii tam momentoſa eſt adminiſtratio, ut pungendorum & urendorum locorum gnaritas ſingularem artem chirurgicam conſtituat, cujus magiſtri appellantur *Tenſaſj*, i. e. *tangentes*, puta exploratores locorum; nam in locorum delectu cardo totius negotii repoſitus eſt. Qui ipſam rem manu exercent, *Faritatte* audiunt, i. e. acupungentes, ſive ex ſuâmet notitiâ, ſive ad tangentis juſſum id faciant. Acus autem, quæ puncturam præſtat, quia non ſine periculo intra corpus adigitur, niſi & tenuiſſima ſit, & ex prædicto metallo facta, eoque puriſſimo, omnis cupri experte & ductili, hinc, ne ſuâ mollitie operam eludat, ſingulari arte indurari debet; quam verò artem nec quisꝗ callet, nec qui callet, acus tamen fabricare audet, niſi Imperatorio diplomate nactus licentiam. Duplicis ſtructuræ ſunt: Prioris, quæ ex utroque metallo promiſcuè fiunt, non magnitudine quidem, ſed quodammodo figurâ ſtylum exprimunt, quali apud nos pueri elementarii in indicandis, aut Indi in exarandis literis

Eeee utun-

utuntur; Longitudinem obtinent quatuor unciarum, tenuitatem mediocrem apice tenuiſſimo deſinentem, manubrio inſtructæ in modum cochleæ circumflexo, quo torqueri poſſint. Pro reconditorio eis adjungitur malleolus, ita aptatus, ut utroque manubrii latere ſingulas acus recipiat. Malleus ex uri cornu perpolitè conſtructus eſt, ipſâ acu paulo longior, capite orbiculato & compreſſo, cui pondus conciliat incluſum plumbum, alterutro latere, quod pulſui dicatur, alutâ violacei coloris obducto, ne ab acu in feriendo deſiliat. Alterius ordinis acûs ſemper argenteæ ſunt; ſtructura illis parùm eſt diverſa, longitudo eadem, citharœdicæ chordæ tenuitas, manubriū nonnihil denſum, breve, & in longitudinem ſtriatum. Recondi ſolent incerto numero pluſculæ intra capſulam oblongam quadratam, ligneam, vernice exterius, interius panno intonſo obductam, cujus eminens lana leviter inſertas recipit. Si nomina deſideras, acus utraque, vel in genere omnis huic chirurgiæ dicata, *Uuts barri*, i. e. acus tortilis vocatur; poſterius genus gaudet inſuper appellatione ſpeciali, ſed ejusdem ſiguificationis, *Finéri barri;* cui, ſi in operatione, quod frequenter fit, æneus canaliculus jungatur, *Fuda barri*, i. e. acus canaliculata dicitur. Eſt ille canalis acu ſuâ paulò brevior circiter lati digiti tertiâ parte, pennæ anſerinæ craſſitie, in id factus, ut per eundem acus ad puncturæ locum dirigatur, ne in operatione hallucinemur

Methodus pungendi. χειρεργία puncturæ inſtituendæ hæc eſt: Cuſpidem ſiniſtrâ recipiunt, inter digiti medii apicem, & indicis, pollice ſuffulti, unguem; ita comprehenſam admovent loco pungendo, tactu à nervis priùs diſtincto & delecto; tum malleo dextrâ recepto, acum uno aut gemino pulſu per externam cutem, duriuſculam illam, adigunt; hinc depoſito malleo, manubrium acûs, intra primorum digitorum apices volvendo, cuſpidem ad requiſitam ex lege artis pro-

profunditatem ingerunt, plerumq; ſemiuncialem, rariùs pollicarem vel majorem; verbô, ad usq; doloris laticem: hunc aſſecuti, ad reſpirationem unam & alteram, acum infixam tenent, mox acu extractâ locum digito premunt, quaſi ſpiritum hâc viâ expreſſuri. Poſterioris acûs immiſſio ſit ſolâ ejusdem rotatione, intra pollicis mediique digiti apices. Quibus ſatis verſata manus eſt, pulſu indicis, ſupra medium digitum poſiti, & in acum excuſſi, cutem priùs pertundunt, quàm acum torqueant; alii in excuſſione illâ utuntur, quod dixi, adminiculo tubuli, obſtantis, ne fortiori pulſu acus debito profundiùs imprimatur. Leges punctoriæ artis variæ ſunt, flatûs laticem, in quantum cum ratione hîc agitur, præcipuè ſpectantes: unde, in operatione inſtituendâ, & locus & profunditas punctionis à Tangentibus medicis cum ratione ſunt determinandi. Punctio iisdem morbis, quibus uſtio, medetur; & ut plurimum iisdem in locis inſtitui permiſſa eſt, in quibus uſtio celebratur. Loca illa Relatione de Moxiburio exhibebimus. Solâ fretus experientiâ acum quoque vulgus audet verſare, citra præſcriptum magiſtri *Tenſaſj*, hoc unicum cavere gnarus, ne nervos, tendines, arteriasque inſigniores pertundat. Quibus præmiſſis, themati meo brevibus ſatisfaciam.

Anticolicam puncturam ſuam celebrant Japones in epigaſtrio: in quo novem omnino punctiones ternariâ ſerie & ad quadrati parallelogrammi normam inſtituunt, intercedente inter ſingulas punctiones (in homine adulto) gemini pollicis transverſi ſpatio. Hi ordines in artis punctoriæ ſcholâ diſtinctionis gratiâ propriis donantur ut præceptis, ſic nominibus. Primus, *Sjoquan* dictus, proximè ſub coſtis inſtituitur; alter, *Tſjuquan* nuncupatus, medium ſibi locum vendicat inter umbilicum & cartilaginem mucronatam; tertius, *Gecquan* dictus, ſemiunciâ ſupra umbilicum abſolvitur. Ad hanc triplicis

 ordi-

ordinis punctionem, ex præſcripto Magiſtri, profunditate legitimâ celebratam, plerumque ſubitò, velut incantata, ceſſant *Senki* nominis tormina; id quod ex frequenti αὐτοψία noſtrâ Lectori hoc capite exhibere inſtitutum fuit.

Ex altero quoque fonte Colicam ſuam oppugnant, non æquè feliciter expugnant: Cauteriis nimirum utrinque ad umbilici latera, à duorum pollicum intervallo inuſtis. Locus geminus *Tenſù* dicitur, à frequenti uſtione celebris, & vel ipſis notus, qui chirurgiæ hujus ſacra nunquam attigerunt: De quo ſuo loco pluribus. Sed & anticolicum præpotentis virtutis medicamentum noviter edocti ſunt populares, cujus hodie celeberrimus uſus eſt, uti in præſenti affectu, ita præſertim in Cholerâ, admodum in hâc regione frequenti & funeſtâ, tum in abdominis chronico dolore *Sakv*, endemio pariter & Colicæ affini, nec minus in ceteris doloribus abdominis, qui in inteſtinis ultra acûs contactum radicati ſunt, nec igni facilè, nec metallo cedentes; ut taceam affectus alios. Pulvis eſt *Dſjoſei* linguâ vulgari, doctorum charactere *Wadſuſan* nuncupatus. Venditur is ſub ſigillo auctoris in unico pago *Menóki*, provinciæ *Oomi*, cum monopolii privilegio, quod inventor religionis fraude obtinuit. Dixerat enim: Herbas contra popularem ventris afflictionem, ſibi in ſomno monſtratas eſſe ab Apolline ſuo, Deo *Jakuſj*, paſſim creſcentes in vicino & fabulis prælustri monticulo. Succeſſus medicamento celebritatem, auctori fidem, toti familiæ divitias conciliavit, ut, quæ *Iri* lueret fortunam, brevi ditata, è regione trium officinarum, quibus pulvis ope molendinorum conficitur, totidem revelatoris idolo, ſoſpitatori ſuo, ſacella condiderit. Copiam pulveris inde mecum retuli, bile amariorem, ſed ex quo Germanorum inteſtina nil majoris ſolatii capiunt, quàm ex medicamento noſtrate. Deſcriptio in ſecreto habetur apud familiam. Baſin confert, prout adverti in officinâ, Coſti ſpecies

cies amara, *Putſjùk* dicta, quæ ex Guſaratâ à Belgis in Japoniam copioſa invehitur; variæ enim virtutis eſt, & frequentiſſimi ibidem uſûs, ut præter radicem montanam Siſari Coræenſis, (*Ninſin Cleyeri*) nullum vegetabile exoticum vehementiùs expetat.

OBSERVATIO XII.

Moxa, præſtantiſſima Cauteriorum materia, Sinenſibus Japonibusq; multùm uſitata.

§. I.

Introductio.

Aſia, quousque ad noſtros antipodes extimumve Orbis terminum extenditur, tribus dotata eſt Heliconibus. Arabum, Brahmenum & Sinenſium: ex quibus ſcientiarum artiumque promanavit, quicquid eſt inter vaſti Orientis populos. Hi verò, cœlo, linguis, moribus, religione diſtincti populi, licet pro diverſo, ex quo erudiuntur, Helicone, alia atque diverſa foveant artis medicæ (ceteras non attingo) principia, præcepta, materiam & medendi methodos, nihilominùs tamen, cùm in morborum cauſas inquiritur, uno ore ſinguli ad tribunal ſubindè Flatus & Vapores provocant, ut tantùm non videantur cum *Coö* noſtro *Lib. d. flat.* dolores & affectus quoscunquè flatibus acceptos referre, quos aſſerunt nunquam tolli poſſe feliciùs, quàm Cauteriis, Igne actuali, ut loquimur, inurendis. Igne verò, an ferri candentis? Equidem junctam Vulcani Martisq; vim experiri in humanâ machinâ, ſævitiam reputant, uti ſupervacaneam & inutilem, ita verò indignam rationali medico, cui urendo non alia debeat eſſe intentio, quàm ut impactam doloris materiam reſolvat, vel inflatus jam reſolutam excludat & in auras evocet. Malunt igitur tardè gliſcen-

 tem,

tem, remiſſè uſtulantem, atque, ut verbo dicam, ejus indolis ignem adhibere, qui incluſam morbi cauſam, mediante ſalis aperientis virtute, lentè tutòq; evocet, quàm qui ſtringente ac rodente armatus vitriolo, cutem carnemque crudeli impetu exedat. Iisdem nixi rationibus priſci Arabum, Ægyptiorum & Græcorum Medici, à quibus medendi artem Europæi accepimus, ferro rubenti, fungos accenſos & ignitas præferre Struthii & Ariſtologiæ radices viſum eſt; aliis eorum ſulphure candente placuit, fuſisque buxeis oleo fervente tinctis, corporis vitia domari. *Mercatum* videant, Pr. L. 4. c. 1. p. 162, & ex recentioribus *M. A. Severinum*, qui varietatem materiæ cauſticæ & modos urendi apud antiquos ſcire deſiderant. Ego hic Aſiaticorum tantùm Cauteria referam, noſtro tempore uſitata.

Aſiaticorũ varia urendi materia.

§. II.

I. *Arabum.*

Arabes, &, qui horum ſcientiis imbuti ſunt, Perſas & Mogoles Indos Mahhammedanos, ignis fomitem in urendo non alium expetiiſſe vidi, quàm pannum goſſipinum Iſatide ſeu glaſto tinctum, Gallicè *Cotton bleu:* hunc in cylindri figuram, ad ſeſqui pollicaris diametri craſſitiem, & longitudinem geminæ unciæ quàm arctiſſimè obvolutum, in locum amburendum dirigunt, &, incenſâ ſummitate, gliſcere ſenſimque depaſci ſinunt, donec in favillam totus cylindrus deflagraverit. Uſtio hæc, longâ & pene intolerabili morâ abſolvitur; durat enim horæ quadrantem, interdum longiùs, antequam deflagret intenſi ardoris fomes; qui altè adeo ſubjectam carnem depaſcit, ut aliquando inſanabile ulcus inde remaneat; quale mihi ſanandum iis regionibus oblatum eſt aliquoties, ſordidum & mali moris. Uſtione factâ, ampliùs nihil negotii incumbit chirurgo, quàm ut ſtigma inungat quotidie, & ſeparatâ eſcharâ ad ſuppurationem promoveat. Credo uſtionum

num

num cruciatûs & longa incommoda obſtare, quo minus populares re ipſâ eas æquè inſtituant frequenter, atque earum uſum in ſcholis ſcriptisq; ſuis prædicant & inculcant. *Glaſtum* nominavi; Ejus liquore Arabs materiam Cauterii inurendi imbutam poſtulat, hunc ignis virtuti momentũ conferre perſuaſus, opinione non ex vano hauſtâ, ſed ex populari, ut ſibi videtur, & longâ ſeculorum experientiâ. Si credimus, quod vulgus Europæum ſpondet, fumante & naribus admoto linteo illo, quod ſuccô glaſti tingitur, Epilepticorum, quos Dæmoniacos vocamus, feliciùs diſcutiuntur paroxyſmi, quàm lintei albi vel cujusvis alius rei ſuffitu. Certè in Indiis chirurgi neutiquam perdidiſſe operam experti ſumus, quando tincta Iſatide linteamina in fotu (ſic in chirurgiâ loquimur) & obligatione partis inflammatæ, ceteris pannis anteposuimus.

Brahmenes, quos Græcia Gymnoſophiſtas vocat, Indorum gentilium Sapientes, Theologi & Medici, tum qui ex eorum inſtitutis ſapiunt, gentiles ceteri, non unius, ſed varii generis cauteria pro morborum diverſitate parant. Latitantes enim cauſas, ajunt, & morbi cujusque indolem non unius eſſe generis; proinde unam eandemque ignis materiam affectibus promiſcuè omnibus nequaquam congruere; eligendam eſſe, quam genio morbi cujusq; aptam natam experientia docuerit. Varietatem verò illam exploraſſe, peregrino mihi datum non fuit. Clavum quis Herculi prius excuſſerit, quàm à zelotypis iſtis doctoribus ſecreta artium exploraverit. Vulgatiſſimum illorum Cauterium eſt (cetera rarioris uſûs ſunt) medulla *Junci*, ibidem in paludibus germinantis; cujuscunq; varietatis ſit, perinde eſt, modò ſcirpo creſcat craſſiore: Hâc, oleô Seſami, quô agri abundant, leviter imbutâ, uſtionem cutis humanæ vulgari modo inſtituunt. Vidi Malajos, Javanos, Siamenſes, nî fallor & alias his vicinas nationes, eandem hanc medullam in cremando adhibuiſſe. *2. Indorum*

Trans

3. *Sinenſiũ.* Trans Gangem progrediens, nobiliſſimum ſanè omnium, & uſitatiſſimum ignis fomitem invenio apud Sinenſes & Japonios. Hôc fomite, referunt, ante ipſius medicinæ inventionem & omnem aliam Chirurgiæ notitiam, temporibus admodum priſcis celebratam cauteriſationem fuiſſe, atq; inde uſum ejus per longam ſeculorum ſeriem ad ſe demum dimanaſſe. Stupam hanc virtute ac vetuſtate præſtantiſſimam ſub communi appellatione *Moxæ*, non modo Sina domeſticam habet, ſed omnes Sinenſium literis & doctrinâ eruditæ nationes, Japonii, Coræenſes, Quinamenſes, Luconienſes, Formoſani, Coccincinenſes, Tunkinenſes, jam olim pro cauteriis ſub eodem nomine adoptarunt. Ejus hiſtoriam, cum hôc loco proponere ſit inſtitutum, ignoſcet Benevolus Lector, quòd pro Sinicis vocabulis, magis Illi fortaſſè deſideratis, Japonica infero. Hæc enim Sinicis faciliora ſunt, & mihi notiora, qui hâc gente familiariùs diutiusque uſus ſum.

Moxæ præparatio.

§. III.

Moxa lanugo eſt, ſive ſtupa mollicula, coloris cinerei, concipiendo igni aptiſſima, eoque admiſſo moderatè gliſcens, ſcintillâ minùs conſpicuâ, ardore temperato, progreſſu lento, donec in favillam tota depaſta ſit. Conficitur ex Artemiſiæ vulgaris (latifoliæ) adhuc dum novellæ foliis exſiccatis, longo tempore in aëre ſuſpenſis & obſoletis; Colligitur verò ad Moxam eliciendam Artemiſia non omni promiſcuè tempore, ſed iis tantùm diebus, quibus, ex aſtrologorum ratiocinio, cœli benignitas eandem aſtrorum virtute quàm maximè fœcundavit. Sunt illi τȣ menſis quinti dies primores quinque, *Gonguatz go nitz* Japoniis dicti, incidentes in Calendarii Gregoriani menſem Junium, raró in exitum Maji. Ducunt enim anni auſpicium ab eo novilunio quod proximum eſt medio tempori inter brumam & æquinoctium vernale. Exſcinden-

denda eſt multo mane, rore nocturno madens, & ad faciem domûs occidentalem libero aëre ſuſpendenda diu, dum ſatis exſiccata fuerit; ſic ſervanda eſt in ſummo pavimento & lanugo ex illâ eò nobilior & tenerior ſperanda, quò magis obſoleverit; unde non deſunt, qui herbam ad decennium usq; reſervandam curant. Novellam hanc Artemiſiam Japones *Futz*, Plantam adultam atque perfectam *Jamóggi* appellant. Nam, quod obiter inſero, ſicut ſolenne eſt in utrâque natione, ut maſculus quisque nomen ſuum mutet, tum provectior ætate, tum novam conſecutus dignitatem; ita quoque plantarum appellationes, (ut res ceteras taceam) ſecundùm perfectionis gradum & uſûs diverſitatem, perſæpe variant: quod ipſum rebus quidem diſtinctionem & lucem egregiam parit, memoriam verò maximè obruit. Præparatio Moxæ nullo artificio abſolvitur: Tunduntur primùm impigro piſtillo folia, ad mollitiem rudioris ſtupæ; deinde utrâque manu agitantur & fricantur aſſiduè, ut priori contuſione jam attritis decedant duriores fibræ, & recrementa membranacea: quibus excuſſis, remanet deſiderata illa inſignis teneritatis homogenea & puriſſima lanugo, quâ tenellam Regii nominis Artemiſiam præ ceteris herbis ditare natura ſtuduit.

§. IV.

In quibus perſonis & morbis Moxæ uſtio inſtituenda.

Non eſt hujus lanuginis exuſtio ullâ ex parte homini terribilis: nulla enim oculos incurrit ardentis elementi ſpecies, ſed gratioſus ſtupæ tantùm gliſcentis halitus nares laceſſit; nec dolor valde moleſtat, ſicut ex ceteris cauteriis evenit, niſi fortè à conis illis, quos Japones *Kawa kiri*, ſeu cutis ſciſſores vocant, id eſt, à turundis primis tribus, eodem loco alternè deflagrantibus: à quorum ſimilitudine, impoſita ſibi à novis Rectoribus onera obſequioſum vulgus per patientiam *Kawa kiri* nuncupat, eò

quòd principio dura ſint, aſſuetis deinde vix moleſta. Centies vidi ipſos pueros uſtionem promiſcuo corporis loco admiſiſſe, citra ullum doloris geſtum. Urunt enim indiſcriminatim infantes & ſenes, divites & plebejos, mares & fœminas; parcunt tantùm gravidis illis, quæ uſtioni non admodum aſſuetæ ſunt. Uſtio autem artemiſialis, vel ad morborum præſervationem, vel ad curationem inſtituitur; ad præſervationem præprimis eam commendatam volunt Medici, & ſanos potiùs quàm ægrotos uſtulandos jubent: ſicut enim, ajunt, materiam medicam morbi præſentis, ita futuri pharmacum eſſe cauterium. Qui igitur in extimo Oriente, ſuæ valetudini proſpiciunt, ii uri ſe ſingulis curant ſemeſtribus. Ea conſuetudo adeo religioſè viget, ut etiam hominibus æviterno carcere damnatis prodire permiſſum ſit, ad moxiburii fruendi beneficium. Præſervativa uſtio turundis in eodem loco abſolvitur parvulis & paucioribus, curativa verò plures requirit, easque grandiculas, ſi vapores ex profundo latice evocandi ſint.

In quibus verò morbis Uſtio locum habeat, ſi quæris; reſpondebit tibi Sina cum Japoniâ: in omnibus promiſcuè, in quibus vapor detentus continui ſolutionem, dolores & actionis læſionem pariat: quo ipſo pene omnem morborum ſyllabum ad moxiburii rogum provocat, qui eos ardore ſuo, ipſo ſole ſucceſſum indies ſpectante, brevi morâ exurit. A vicinis edoctum clima nigritarum, quod Tropicis includitur, ejusdem Moxæ virtutem prædicat, cujus incendium celebrare non ita pridem cœpit: ſtupis etiam majoribus, ac ipſi ſolent auctores, vitia corporis oppugnans, ſiquidem id contumacior affectus, & ratio recluſæ arctiùs materiæ poſtulaverit. Adverſus Arthritidem & ejus progeniem Podagram Schiaticamque quid valeat Moxa, id non ita pridem coloni Batavi in Indiis exploraverunt. Frangit hic ignis impacta perioſteo

Rhe-

Rhenani tartari ſpicula, ac in Schiaticâ ceterisque defluxionibus arthriticis ſtabulantem circa oſſium cava lympham acrem diſſipat, ſed largiore ſtupâ & maturè ſatis illatus, priusquam flatu nimiùm expanſas membranas ac muſculos divulſerit; hôc enim diſcidiô, lacerata vaſa capillaria replent interſtitia effuſis humoribus & tragicos abſceſſus pariunt, nequaquam niſi ferri acie ſolvendos. Verùm enim verò, in calente cœlo, non æquè feliciter in noſtro, ſuccedit cauſtica curatio. In illo corpus eſt magis permeabile, fluidior eſt materia, pori ſunt patentiores, laxiores muſculi ac membranæ. Adde, moxiburio dolores ſedari quidem, minimè verò eradicari; ſedari autem eo loco, quô, flagrante ſtupâ, ſpicula evocata ſunt, vel ipſum perioſteum crematum eſt, ne ſentiat ampliùs, cùm aliis partibus dolores deinde redeant. Nunquam redituros promittunt Brahmenes, ſi poſt uſtionem, ex præſcripto eorum, omnis potus, fermentationis beneficio productus, (quales ſunt vinum, cereviſia & inebriantes ſpiritus) ſimul atque omnis generis carnes, ex menſâ ad Anticyras relegentur. Hæc enim novas ſuppeditare ajunt cruditates, quæ cum ſanguinis motu ad crura prolapſæ, in perioſteo hoſpitium repetant. *Bushofius* igitur, Rev. Batavienſium Paſtor, nimium quantum Moxam popularibus Europæis commendavit, velut Podagræ infallibilem domitricem; vereor enim, ne in Germaniâ plerorumque hæc fiduciam fefellerit; De quo non injuriâ conqueſtus nuper eſt inclytus Giſſenſium Profeſſor, Dn. D. *Valentini*, Collegii Curioſorum in Germania Adjunctus, in Epiſtolâ typis impreſſâ ad Cl. Cleyerum, (me huic Cleyero præſente redditâ) doctiſſimâ illâ, ut ſunt Clariſſimi Viri omnia. In Epilepſiâ & chronicis quibusvis affectibus capitis, vicini nigritæ magìs, quàm ipſi Sinenſes à moxâ ſolatium repetunt, totam ſuturam coronalem longâ & largâ ſtupâ

exurentes, unde ſanitas aliquando reparatur à Medicis deſperata.

Locus in corpore urendus.

§. V.

De loco autem proprio, qui ſingulis in morbis, ſive curandis, ſive præcavendis, inuri debeat, multùm inter pyroſophicæ chirurgiæ doctores controvertitur; ſuperſtitioſè ſæpe & in vanum! Nam cùm unusquisque experientiâ, quod ait, ſuâ vel magiſtri fretus, loca alia atque alia indicet, exigua pars corporis remanet, quæ non in eodem ſæpè affectu, collectis ſingulorum ſententiis, inuſtioni pateat. A receptioribus tamen locis, quæ ab antiquitate tradita novit ac typis in tabellâ expreſſa poſſidet, rarenter vulgus digreditur. Major occurrit vanitas in electione temporis, quô hanc vel illam corporis partem inurere, ab aſtris permiſſum vel vetitum eſſe, creditur. Omnem enim doctores ab uſtione diem & horã reſpuunt, quâ partem alioqui ſalutariter in præſenti aliquo affectu inurendam, ſiderum ſpiritus, ut illi philoſophantur, imprægnaverit: adeo, ut ſi quis ſingulorum interdictis morem geſſerit, urendi tempus rarò inveniat. Cynoſura in locali electione ea eſt, ut loca illa urantur, per quæ commodiſſimè vel evocari vapores, vel revelli materia peccans ab affectâ parte valeat: illa verò, uſtores, ſibi ad unguem nota ajunt ex anteceſſorum traditis: dum ſuæ inſuper experientiæ fulcris glorioſè incedunt. Nullam ego corporis partem vidi Moxiburiis magìs affligi quàm dorſum, utrinq; prope ſpinam, ad lumbos uſque. A carnifice excoriata jurares terga antipodum, & maximè Japonica, tot illa in utroque ſexu ſtigmata referunt & profundas ulcerum cicatrices: ſed quæ, opinione gentis, nihil derogant pulchritudini. In proclivi namque eſt, præſertim Japonibus, nudare thoracem, etiam leve opus aggredientibus, demiſſis ſcilicet tunicis, quousque femori colli-

colligantur, ne eas, exſors induſiorum natio, ſudore contaminet: ſic in utroque ſexu publicum in conſpectum cicatrices veniunt.

Uſtionis modus.

§. VI.

Ipſa uſtio citra artificioſam ἐγχείρησιν hôc modo inſtituitur. Stupæ artemiſialis portio exigua primoribus digitis rotatur in conum, cujus altitudo ſolet eſſe pene uncialis, latitudo baſeos paulò minor. Conus loco amburendo imponitur, ſalivâ, ſi placet, ſub baſi illitus, quò adhæreat. Tum faſtigio ſcintilla infertur, ope bacilli ſive virgulæ cujusdam ardentis tenuiſſimæ, quam Japones *Senko* vocant. Illatus igniculus turundam brevi morâ depaſcit, ſubinde inſtaurandus incendio novæ turundæ in eôdem loco reponendæ, donec intentioni ſuæ vel artis præſcripto ſatisfactum judicaverit is, qui uſtionem dirigit, vel ipſe perficit. Vocatur hoc genus Chirurgorum *Tenſaſj*, i. e. tangentes, ſeu κατ' ὄνομα, tactu penetrantes, quia locum ſtupæ damnandum digitô inveſtigant. Virgulæ ardentes ſunt illæ ipſæ, quibus accenſis pagani Monachi idolis litant, ſimul ac in templis horas devotionis ſuæ metiuntur, perinde, ut in caſtris moras excubiarum dividimus ſtupâ militari; parcè enim gliſcunt & tardè depaſcuntur, ſed odore, quem exſpirant, fragrantiſſimo. Conficiuntur ex mucoſo admodum cortice arboris *Taab* ſeu *Taab no ki*, i. e. Lauri Japonicæ ſylveſtris, arborum, quas fert regio, vaſtiſſimæ: huic cortici in pulverem contuſo permiſcentur lignum Agallochi, vel ejus reſinoſa & multò cariſſima particula *Calambàk*, &, pro elaboratoris cujusque placito, fragrantia quævis alia, in pulverem pariter redacta. Miſtura hæc, additâ aquâ, in pulpam ſpiſſam redigitur, & manibus diu ſatis ſubacta, vaſi inditur multis foraminibus rotundis perforato, & ſuper poſito pondere valido aggravatur: ſic per foramina ſubtus pervadunt

bacilla, culmo avenaceo tenuiora, quæ aſſerculô ſubinde excipiuntur, in umbrâ exſiccanda. Hæc bacilla deinde pro candelis fumantibus officinæ recipiunt, quorum chartæ involuti faſciculi in prædictum uſum proſtant venales. Verùm, hæc ignipotentis Chirurgiæ ſupervacanea ſunt ſupplementa, & ſaltem ad operationis ſplendorem, nihil ad rem ipſam faciunt. Sufficit, quod vulgus facit, accenſâ feſtucâ vel virgulâ quadam ignem intuliſſe. Ipſum verò artis negotium repoſitum eſt, in notitiâ urendi loci, cuivis morbo convenienti. Ille verò, etiamſi ad evocationem vaporum, (nam hæc ſola uſtoris intentio eſt) Europæo judicio, aptiſſimus videatur, qui parti affectæ proximus eſt, plerumque tamen ab uſtoribus eligitur alienus, & ſæpe nullo nexu in Anatomiâ cognito, laboranti parti conſentiens, niſi communi involucro univerſi corporis. Certè, uti nobili cuidam Lithuano res videbatur abſurda, clyſma immitti podici, cùm laboraret capite; ita non minùs præſtigiæ videntur advenis, extemporanei ſucceſſus ex artemiſiali cauterio, parti & loco alieno & neutiquam dolenti impoſito. Uruntur cum ſucceſſu ſcapulæ in ſtomachi cruditatibus, pro excitando appetitu; Uruntur ſpinales vertebræ, pro ſopiendis in pleurâ laterum compunctionibus; Uruntur pollicum adductores muſculi, pro levandâ ejusdem lateris odontalgiâ; ut cetera taceam. Ecquis tam Lynceus ſit anatomicus, qui hîc demonſtrare ſpecialem poſſit vaſorum conſpirationem?

Uſtionis Præcepta.

§. VII.

Uſtionis regulæ ſunt & requiſita varia, cum de loco corporis & urendi tempore, tum de numero ſtuparum, ſitu corporis, diætâ patientis, atque aliis circumſtantiis. Inter prima & generalia præcepta ſunt, quæ ſequuntur: Tendines cum arteriis & venis, quantum poſſibile eſt, in urendo vitandi ſunt; ſecuritatis cauſâ non viſu ſolum,

ſed

ſed tactu prius ab Uſtore explorandi. Quem quisque ſitum corporis tenet, dum urendus locus indigitatur, eum, dum uritur, ſervare debet, ſeu ſederit antea, ſeu ſteterit. Uſtulandus humi conſideat, reflexis in crucem pedibus admotisque palmis ad utriusque lateris malam; nam hic poſitus muſculos & interſtitia explicat, & nativo ſitui embryonis maximè reſpondet. Cruribus urendus ſedeat in ſubſellio, pedibus demiſſis & aquæ calidæ immerſis; quoniam exhalationes, partibus à caloris fonte remotioribus, arte promovendæ ſunt. Illi, qui ſunt imbecillis naturæ, ſingulis in locis tantùm tribus cauteriis urendi ſunt; robuſtiores verò ſtupis decem, viginti & pluribus, pro conditione mali. An turundas plures diverſis locis ſimul, an alternè oporteat incendere, id nullâ artis regulâ, ſed ſolâ tolerantiâ patientis, & uſtoris otiô definitur. Poſtridiè à celebratâ uſtione ac diebus proximis operator ſtigmata inſpiciat: quæ nî ſuppuraverint, ſed ſicca appareant, malum id judicet, & debilis naturæ indicium: Hoc caſu, impoſitis cœpis contuſis ſuppurationem promoveat. Hæc paſſim ex orali communicatione artis pyrotechnicæ chirurgorum.

Regulas urendi ſpeciales exhibent Tabulæ Sinico-Japonicæ, typis impreſſæ, quarum hîc unam ſubjungo, à me, quantum indoles rythmorum & Philoſophiæ Sinicæ patitur, latinè redditam: adjunctis Iconibus, in quibus uſtulanda ſingulis in morbis loca indigitantur & propriis deſignantur nominibus. Proſtant venales, cùm apud librarios, tum apud circumforaneos medicos, qui eas in viis publicis & nundinis decantant, ut Chirurgiæ hujus ignaros invitent ad emendam parvo pretio chartam, quæ prolixæ artis præcepta compendiô doceat. Typo curſorio textus proponitur, communi & in parentheſi, qualiscunque explicatio mea:

Kju


鍼灸鑑 *Kju ſju Kagami*, i. e. Urendorum locorum Speculum.

CAPUT I.

Methodum urendi ſiſtens, certis propoſitionibus (rythmis) *incluſum, ex quibus totum urendi negotium unicuique pateſcat.*

1. *In Cephalalgiâ, Vertigine, Lipothymiis, Dsëoki,* (Dsëoki eſt Phlegmone faciei, & vernacula ſcorbuti proles; quam qui fovent, ex levi cauſâ, velut ex balneo, crapulâ, motu nimio, faciei & ſæpe totius capitis tumeſcentiâ & ardore corripiuntur. Non rarò Ophthalmiam habet pediſequam) *& ex ejus frequenti inſultu contractâ oculorum caligine; in doloribus ſcapularum cephalalgiæ pediſequis; in aſthmate & difficili pectoris ejectione, bonum eſt inurere corporis humani locum illum, quem KOKO nominant.*

2. *In morbis infantium, præſertim ventris tumiditate, diarrhæa, appetitu proſtrato, ſcabie & excoriatione narium: Item in Nyctalopiâ adultorum hominum, locus SJUITZ ſeu undecimæ* (ſc. vertebræ) *ab utroq;* (τῆς vertebræ) *latere uritor, 15 vel 16 ſtupis, ſervatâ diſtantiâ inter duo hæc inurenda loca unius & dimidii SUN* (i. e. unciarum, ſive transverſorum digitorum, circiter duorum vel trium) Nota 1. Locus *Sjuitz*, i. e. undecimæ, nomen habet à numero vertebræ, ad cujus utrumq; latus urendum eſt, incipiendo numerare à colli vertebrâ quartâ, videlicet illâ, quæ ex ceteris protuberat, dum caput ad pectus decurvatur. Sic in reliquâ vertebrarum deſignatione, ab eâdem ſimiliter incipiendum eſt numerare. Nota 2. *Sun* menſura longitudinis eſt, quâ in regno utimur; alia longior, quâ mercatores, alia paulo brevior, quâ fabri & artifices utuntur. In urendo autem neutrius ratio habetur,



betur, ſed menſura unius *Sun* petenda eſt à longitudine ſecundi articuli, in medio digito cujusq; perſonæ, in quâ uſtio celebranda venit, utpote quæ ejusdem corpori proportione reſpondet.

3. *In Sakf;* (i. e. in dolore abdominis chronico, per intervalla ſuboriente) *in Senkï;* (i. e. in dolore colico endemio) *in Subakf;* (i. e. in torminibus inteſtinorum à lumbricis) *utrinque ab umbilico urito, ſpatio duorum Sun; vocatur ille locus uſtionis, TENSU.*

4. *In menſium tum ſuppreſſione, tum immodico fluxu; pariter in fluore albo; in hæmorrhoidibus ac hæmorrhoidalium ficuum ulceratione; in Tekagami* (i. e. in dolorificâ gravedine, ſive coryzâ chronicâ & per intervalla redeunte) *urendus eſt locus KïSOO no KITZ, ab utrâque parte, rotulis artemiſialibus quinque. Ut locum invenias, ab umbilico per rectam lineam deſcende quatuor Sun, inde utrobique recede ad latera quatuor Sun, ita ut inurenda puncta intercedant octo Sun.*

5. *In difficultate pariendi, tribus ſtupis urito extremum apicem minimi digiti in pede ſiniſtro. Extemporale eſt promovendi partûs remedium.*

6. *In defectu lactis, nutricibus in pectore medius inter mammas locus urendus eſt, pilulis quinque.*

7. *In Arthritide ac Schiaticâ, tum in dolore crurum, pariter in ſtranguriâ, inter femora urito, ſpatio trium Sun ſuper genua* (in loco fonticulis dicato) *ſtupis circiter undecim.*

8. *In inflato ventre, in ejusdem dolore; in Cardialgiâ ex Diariâ febri ortâ; in cruciatibus ventriculi & appetitu proſtrato, ſupra umbilicum ſex turundis urito. Locus ambuſtionis diſtantiam quatuor Sun ab umbilico habeat in rectâ lineâ.*

9. *In coxarum genuumque dolore; in laſſitudine & debilitate crurum; imò verò, in omni artuum & totius corporis*

poris languore, FUSi inurendus eſt. (*Fus* locus eſt in utroque femore, quem medii digiti apex attingit, dum brachia extenſis manibus in naturali ſitu dependent)

10. *Qui dura habent hypochondria; tum qui frigido horrore, & febrium putridarum recidivis infeſtantur, SEOMON locum inuri ſibi curabunt.* (*Seomon* locus eſt proximus ſub ultimâ coſtâ ſpuriâ utriusq; lateris, cujus inuſtio dolorem infert tantùm non tolerabilem. Scriberem *Schomon* vel *Sjomon*, niſi in pronunciatione Japonica e breviſſimum ſubaudiretur.)

11. *Gonorrhææ medebitur, qui in medio JOKOMON artemiſiam exuſſerit.* (*Jokomon* locus ſupra pubem proximus eſt, & inter umbilicum & pudenda medius)

12. *Qui catarrhis, hæmorrhagiæ narium, aut vertigini obnoxius eſt, is auxilium expectabit ex loco FUUMON 50 ad 100 usque turundis* (eodem loco ſucceſſivè) *in uſto.* (*Fuumon* eſt regio oſſis ſacri)

13. *Qui ex ano propendulos, vel dolentes habet ficûs, is unicâ ſtupâ uritor, trium Sun diſtantiâ ab oſſis coccygis extremitate.* (dolet acerbiſſimè!)

14. *In procidentiâ ani, ipſum os coccygis uſtulato.*

CAPUT II.

1. *NINDSIN* (Siderum ſpiritus) *verno tempore circa nonam vertebram habitat; idem æſtate vertebram quintam, autumno tertiam, hyeme decimam quartam & utramque coxam occupat, unde prædictis temporibus hæc loca neutiquam urenda ſunt.*

2. *Quatuor anni vertentis temporibus, nec in SEOMON, nec circa decimam quartam vertebram uſtio celebranda eſt; tantum enim abeſt ut illo tempore inſtituta proſit, ut potiùs morbos augendo vel concitando maximè noceat.*

3. *Pluvioſâ, humidâ vel æſtuoſâ tempeſtate, etiam die gelido, ab omni in univerſùm uſtione abſtinendum eſt.*

4. *Triduo ante uſtionem, & ſeptem diebus ab eâ celebratâ, à concubitu abſtinendum eſt.*

5. *Ira exaſperatus ne uritor priùs, quàm ſedato ſpiritu. Feſſus, aut à gravi labore ceſſans, non illico urendus eſt. Idem judicium eſto de homine eſuriente, & cibo nimiùm oppleto.*

6. *Sáki* (potus eſt vernaculus, pinguis, ſpirituoſus, ex oryzâ coctus) *ante uſtionem bibere malum eſt, celebratâ, bonum & ſalutare: quia ſpirituum & ſanguinis circulationem promovet* (ſciunt enim ab antiquis temporibus, circulare humores, vias modumque ignorant).

7. *Sciendum omnino ac probè cavendum eſt, ut intra triduum ab inſtituta inuſtione balneum aquæ dulcis ingrediaris* (hujus, & præſertim balnei vaporis dicti, Japonibus quotidianus uſus eſt, quo virus Venereum, credo, indies expelli, alioquin totam nationem perditurum).

8. *Pharmaca morborum curationibus, uſtiones præſervationi dicata ſunt. Proinde etiam pancraticè ſanus Menſe ſecundo,* (Martio) *& octavo* (Septembri) *uſtionem in corpore ſuo admittat.* (Dies uſtionum & felicis ſiderum influxûs, notantur in Calendariis).

9. *Uſtulaturus explorato pulſum; qui ſi debito celerior fuerit, conſultè agendum eſt; quoniam catarrho laborat.*

10. *Qui urere vult, is uſtionis loca, ſecundum SAKV & SUN menſurata, ſignabit. Menſuram SUN petet à medio articulo medii digiti: viro quidem in manu ſiniſtra, fœminæ in dextrâ.*

CAPUT III.

Quæcunque (fœmina) *ſeſe immunem à conceptione præſtare cupit, illa umbilicum tribus uſtulabit artemiſialibus turundis.*

CAPUT

CAPUT IV.

Quæcunque (fœmina) *prolis cupida ſterilitatem arcere amat, illa ad latus vertebræ vigeſimæ primæ, undecim turundas utrinque exurito.*

OBSERVATIO XIII.

Theæ Japonenſis hiſtoria.

§. I.

Deſcriptio botanica.

T*heæ* hiſtoriam daturus, fortaſſe actum agere videar: cùm Clariſſimus Dn. D. *ten Rhyn* (meus in Japonica ſtatione quondam anteceſſor & amicus honoratiſſimus) prolixam & ſatis accuratam publicaverit per Cl. *Breynium*, in appendice Centuriæ exoticarum. Verùm, cùm eidem attentiſſimo Viro, breviorem in regno moram & ſtrictiorem quodammodo vitam agere, contigerit; deſtitutus occaſione, quædam omiſit ſcitu digna & ad hiſtoriæ integritatem ſpectantia: quæ hîc addere, adeoque brevem totius hiſtoriæ repetitionem inſtituere, operæ duxi pretium.

茶 *Tſja.*

Thea, frutex folio Ceraſi, flore Roſæ ſylveſtris, fructu unicocco, bicocco & ut plurimùm tricocco.

Thea, ultra orgyjæ altitudinem tardo incremento fruticans, *radicem* habet inconditè brachiatam, lignoſam, ſuperficie nigricante; *Caudicem* ab imo ramoſum, brachiis ſurculisque plurimis, inordinatè extenſis. *Cortice* tegitur infirmo, exſucco, tenui, coloris badii, in caudice caneſcentis, in cymis tantulum herbei. *Lignum* ei


No 1
茶
No 2
WB

duriuſculum & fibratum eſt; *medulla* exigua, firmiter adnata. *Folia* pediculis carnoſis breviſſimis nixa, ſurculos perenni, niſi decerpas, vigore inordinatè occupant ſingula, foliis Ceraſi hortenſis fructu acido, ſubſtantiâ, figurâ, colore & magnitudine, paria; utut recens nata, qualia pro interno uſu carpuntur, magis fortaſſe folia Evonymi vulg. gran. rub., excepto colore, referant. *Flores* autumno ſinguli geminive ex foliorum axillis prodeunt, Roſæ ſylveſtris facie, in diametrum pollicarem & amplius (vix integrè) expanſi, remiſſè fragrantes, albi, hexapetali, petalis rotundis, concavis; Pediculis inſiſtunt ſemiuncialibus, ex tenui principio craſſioribus, qui in ſquamas incerto numero (quinas & ſenas ut plurimùm) parvulas, orbiculatas, caliculi vicem præſtantes, deſinunt. *Fructus* florem numeroſus excipit monococcus, bicoccus, & ut plurimùm, ad inſtar ſeminis Ricini, tricoccus, concretus ex tribus globoſis capitulis, pruni ſylveſtris magnitudine, ad centrum communis pediculi coëuntibus, & pulvinatâ depreſſione (quâ diffringi poſſunt) diſtinctis. Conſtat idem ex pericarpio & nuculâ ſingulis capitulis ſtrictè incluſâ. *Pericarpium* herbei coloris eſt, per maturitatem nigricans, ſuperficie opacâ, ſubſtantiâ pingui membranaceâ & quodammodo lignoſâ, ſumma facie per ſiccitatem (poſt annuam in plantâ moram) dehiſcente, ut per ſingulas fiſſuras promineat nucula. *Nucula* ferè globoſa eſt, tantùm aliquâ ſui parte, ex accubitu compreſſa; *corticulâ* tegitur tenui, duriuſculâ, micante, ſpadiceâ & Caſtaneæ nucis ſimilimâ; quâ detractâ *nucleus* prodit, externâ ſuperficie rufens, ſubſtantiam obtinens nucis avellanæ ſolidam & oleoſam, ſapore primùm vapido & ſubdulci, mox ſeminis *Cheiri* inſtar amaro & valde tetrico; ſed qui ſalivam acriter provocat, & ad fauces dilapſus nauſeoſo ſenſu, citò tamen diſparente, guſtantium guttura offendit.

§. II.

§. II.

Nomen. *Théa*, Japonibus *Tſjaa*, Sinenſibus *Thèh* dicta, charactere proprio & ab Academiis probato receptoque (quales rerum definitiones inſinuant) nondum donata eſt. Variis interim inſignitur ſuppoſititiis; aliis, qui ſaltem vocis Theæ ſonum exprimunt, aliis, qui plantæ virtutes & deſcriptionem. Ex poſteriori cenſu ille eſt, qui palpebras delineat, inclyti inter gentiles Sancti alicujus, cui *Darma* nomen eſt. Notionis lepida eſt & haud inſuper habenda ratio; ex eo, quod chronologiam primi, Theæ, uſûs oſtendat; quam, ſi cum veniâ lectoris licet, brevi digreſſione adnotabimus. *Darma*, Indorum Regis *Koſjuwo* filius natu tertius, ſanctus, religioſus & religioſorum Papa fuit, à *Sjaka*, Indo pariter nigritâ, orientalis Gentiliſmi auctore, ante Chriſtum annis 1028 nato, vigeſimus octavus in religionis præſidio ſucceſſor. Hic in Sinam anno poſt Chriſtum natum 519 appulſus, omnem impendit curam, ut Dei notitiâ & vera (quod dicebat) religione, quæ ad beatitudinem duceret, populares imbueret. At, doctrinâ non modò, ſed exemplô etiam profuturus, ſub dio exigendo vitam, affligendo corpus, & affectus variè domando, ſatagebat ſibi Divinam conciliare gratiam; foliorum victitabat eſu, &, quod caput ſanctitatis eſt, in perpetuo *ſatori*, i. e. contemplatione ſummi Numinis, noctes ducebat pervigil & inſomnis: Hoc palmarium arbitratus pœnitentis vitæ & perfectionis humanæ metrum, ſi corpori otium & requiem negans, Deo indeſinenter vacaret. Accidit poſt vigilias plurium annorum, ut inſolatione & longa inedia fatigatus, ſomno corriperetur. Violati voti, cùm expergiſceret, ductus pœnitentia, & ne idem inpoſterum accideret cauturus, utriusque oculi palpebras, velut criminis inſtrumenta, reſecat, ac in terram iratus projicit. Poſtridie in locum ſupplicii reverſus, videt ex ſingulis palpebris admiranda transformatione natam

tam


達磨

tam arbuſculam, *Theam* videlicet; quam ſtirpem antea Orbis vel non habebat, vel certè ejus virtutem ignoraverat. Hujus ille foliolis veſcens (an crudis, neſcio, an aquâ præparatis) miram perſentit lætitiam animi, & vigorem vacandi Divinis contemplationibus. Quam igitur virtutem in Theæ foliis abſconditam, & veſcendi modum, cùm diſcipulorum multitudini commendaſſet, facilè increbuit & in vulgum receptus eſt nobiliſſimæ ſtirpis uſus, nunquam ſatis dilaudandus. Planta interim, dum charactere proprio careret, notari *Darmæ* palpebris conſuevit. Placet inſpiciendam hîc apponere inclyti Viri imaginem, qualis inter gentiles magnâ veneratione colitur; arundine pedibus ſuppoſitâ, quâ mare ac flumina ſuperaſſe traditur. Hæc de nomine.

§. III.

Supplementum deſcriptionis botanicæ.

Plantæ deſcriptionem dedi breviorem, quò ejus ideam Lector faciliùs conciperet: Addam nunc, quæ ad pleniorem hiſtoriam deſiderari videntur. *Caudex* ab imo ſæpe magìs ramoſus apparet, quàm revera eſt; nam cum uni ſcrobi plura committantur ſemina, plures ſæpe frutices eodem loco ſuccreſcunt, quos ignari unam reputant arbuſculam; addo, quòd annoſi frutices, ad imum ſtipitem, quod ſolet, abſciſſi, plurimis ſurculis ramoſi ac denſiores reſurgant, velut unius radicis proles. Primi ex ſemine ſurculi annotini, tum qui præciſa ſtirpe progerminant, (qualem in tabula ſub *numero* 2 exhibeo) rariores ſemper, ac poſterioribus multò pinguiores ac liberaliùs extenſi ſunt; ramoſi fiunt ſucceſſu temporis. *Cortex* firmus & arctè adnatus eſt; cuticula ei tenuis, per ſiccitatem aliquando abſcedens; liber viridans, odore foliorum Coryli, ſed graviuſculo & ingrato, ſapore aliquantum nauſeoſo, amaro, ſylveſtri & adſtringente. *Lignum* eſt durum, fibris craſſis donatum, nonnihil ex herbeô candicans,

dicans, odoris, dum viret, ingrati. *Surculi* denſi ſunt, nullo ordine conſiti, tenues, breves, inæquales, nullis incrementi annulis ſignati; foliis ſingulis denſè ac inordinatè ſtipati, ex quorum axillis gemma parva anguſta prominet. *Pediculo* pingui, perbrevi, herbaceo (cujus dorſum teres, antica facies compreſſa & quodammodo carinata eſt) inſiſtit *Folium* ex membranaceo carnoſum, longitudine maximâ geminæ unciæ, latitudine pollicari vel minori; figuram obtinens ex anguſtiori principio languidè arcuatam, mucrone obtuſo; ſæpe etiam ovatam, in longitudinem repandam & inordinatè undulatam, medio depreſſo, ambitu aliquantillum reflexo; facies utraque lævis eſt, & ex depreſſis nervulis lacunoſa, ſaturô & ingratô virore micans, in dorſo magìs dilutô; ora denticulis nonnihil repandis, duriuſculis, obtuſis denſè & inæqualiter eſt crenata. Nervus medius per anticam faciem ingenti lacunâ deprimitur, in dorſo inſigniter prominens; ab eo utrinque quinque, ſex, ſeptemve tenuiores inæqualiter deviant, ante ambitum in ſe invicem recurvati: quos aliquando venulæ breviores vagæ intercurrunt. Odorem recens habet nullum, ſaporem, quàm in cortice, remiſſiorem, id eſt, ex ſylveſtri ſubamarum adſtringentem, ſine tetricitate. Folium ratione ſoli natalis, ſitûs, ætatis, haud parùm in ſubſtantiâ, magnitudine & figurâ variat; unde ex novellis foliis, qualia in Europam toſta perferuntur, perfectorum forma perperam judicatur. Foliis maligna quædam vis & inimica cerebro qualitas ineſt, quâ, ſpiritus animales turbando, mentem inebriat, & tremulum inducit nervorum motum: quæ verò aſſiduè frigendo, egregiè corrigitur, ita ut, eliminatâ narcoſi, blanda remaneat animales ſpiritus refocillandi efficacia. *Flores* copioſi ſurculos exornant, per menſes autumnales in provectam hyemem continuâ ſucceſſione naſcentes, ſex dotati petalis; quorum

ſæpè exterius unum vel duo,quaſi ſphacelo tacta,magnitudinem ceterorum non aſſequuntur. Sapor eis ingratus & aliquantulum amarus eſt, linguæ baſin protinus occupans. Floris cavum implet denſum agmen ſtaminum alborum, velut in roſâ minutiſſimorum, apiculis cordatis luteis. Numeravi ſtamina in unico flore 230. Fructuum *nuclei* valde ſunt oleoſi, & raucedinem citò contrahunt, unde plantati ex decem vix duo progerminant. Nullus vel florum,vel nucleorum indigenis uſus eſt; eximiam tamen nucleis ineſſe virtutem, nullum mihi eſt dubium.

Cultura.

§. IV.

Culturam inchoamus à plantatione Seminum: Quibus conſerendis Japonia non ſingulares hortos aut agros concedit, ſed agrorum ſaltem margines, cujuscunque glebæ fuerint. Semina autem non plantantur in ſeriem continuam, qualiter in ſepem excreſcerent, ſed per modica intervalla; ne ſuccreſcentes arbuſculæ umbrâ ſuâ agris noceant, aut remoras nectant folia carpentibus. Immittuntur ſemina (vaſculis adhuc incluſa) uni ſeſquipalmaris profunditatis ſcrobiculo, ad minimum ſex, ad maximum duodecim. Pluralitas requiritur, quia vix quartum vel quintum progerminaverit; quòd pleraque vel caſſa ſint, vel corrupta rancore, quem citiſſimè concipiunt. Hæc ſeminum tam facilis corruptio, in cauſâ eſt, quòd in Europam delata, ſi plantentur, nunquam progerminent. Si ſalva transportare animus ſit, plantanda in Siciliâ,Hiſpaniâ vel Italiâ, moneo,ut ſub cœlo natali condantur in cupam terrâ plenam; ita ex iis prognata germina divelli & plantari poſſunt pro lubitu. Eadem cum plantis translatis propagatio non ſuccedit; quandoquidem per æſtuoſam Indiam vectæ, tabem concipiunt, vitam acturæ reliquam ſine vigore, ne expectari ex iis proles & propagatio poſſit. Prognatus frutex, ſi induſtrium

domi-

dominum nactus eſt, circumpoſito & cum terrâ ſubacto fimo equino fovebitur; quod curioſiores quotannis faciunt, alii negligunt. Triennis factus, haud junior, lectionem patitur foliorum, quæ tum & præſtantiſſima & ſatis copioſa exhibet. Septennis, qualis humanam refert altitudinem, quòd parciùs germinet, adeoq; folia pauciora ferat, poſt abſolutam lectionem ad imum usque caudicem amputandus eſt: ſic ſtolones è radice conſurgunt novi & copioſi, qui majorem foliorum ſuppeditando copiam, prioris arbuſculæ locum cum fœnore ſupplent. Alii exciſionem illam ad decennium differunt.

§. V.

Collectio foliorum.

Collectionem auſpicaturi patres familias, ſi vim fructuum poſſideant, in auxilium vocant mercenarios, illi operæ adſuetos. Folia enim cùm ſigillatim capienda, non carptim rapienda ſint, domeſticus per diem continuum vix tria *Catti* congeret, dum in labore à teneris verſatus, novem vel decem legerit. Collectio autem, non eodem tempore peragitur, nec unâ abſolvitur vice, ſed ut plurimùm diverſis. Qui tertiùm colligunt, illi auſpicium tentant circa finem menſis *Songuats*, qui Japonum primus eſt, exordiens cum novilunio illo, quod æquinoctio verno eſt propius, ſive id in Februarii exitum, ſive Martii initium inciderit. At hic menſis folia pauca tantùm ſuppeditat, eaque perquam tenella & nondum integrè explicata duorum & trium dierum; quæ verô nobiliſſima ſunt omnium, & ob pretioſam raritatem palatiis Principum ac divitibus dicanda, unde *Thea Cæſarea*, nec non *flos theæ* appellari ſuevit. (Florum petala nemo colligit, aut loco foliorum uſurpat, quod falſò perſuaſi ſunt noſtrates; errorem, credo, genuiſſe floris nomen plauſibile, vel induxiſſe ignorantiam viatorum.) Ex hoc cenſu eſt thea *Buu* Sinenſium, vera illa atque optima, quæ & ſub ipſo cœlo patrio benè

cara eſt. *Secunda* collectio (quæ prima eſt aliis) menſe ſecundo inſtituitur, i. e. circa Martii finem, vel Aprilis initium; hâc, folia jam integrè explicata, unà, ſi placet, cum ſemi explicatis decerpuntur, ante præparationem, ſecundùm bonitatem & magnitudinem, in claſſes ſeligenda. Ex his, quæ nondum explicata ſunt, bonitatem prædictorum quodammodo aſſequuntur, unde eodem nomine veniunt, à ceteris ob præſtantiam ſeparanda. *Poſtrema* atq; omnium uberrima collectio (aliis altera) fit menſe Japonum tertiô; quô explicata folia multitudine luxuriant. Sunt, qui neglectis prioribus, unicâ hujus menſis collectione omnem theæ claudunt abſolvuntque meſſem, cum ſedulâ disjunctione foliorum in diverſas *Itziban*, *niban* & *ſanban*, ſeu primæ, ſecundæ & tertiæ bonitatis claſſes: quarum ultima exhibet folia bimeſtria & rigidiora, pro uſu plebejorum.

Theæ differentia.

§. VI.

Ex his in genere triplex foliorum diſtinctio oritur: *Prima* eſt foliorum tenerrimæ ætatis, quæ præparata vulgo vocantur *Ficki tſjaa*, i. e. molenda thea; quia molendo in pollinem redigitur, cum aquâ fervente ſorbillanda. Vocatur etiam *Udſi tſjaa* & *Tacke ſacki tſjaa*, ex locis, in quibus potiſſimùm colligitur, ceteris ob fundi bonitatem nobilior, præſertim carpta ex trienni frutice, velut omnium ætatum præſtantiſſimo: Plurimùm enim fundus & ætas ad bonitatem æquè ac foliorum incrementum vel magnitudinem tribuunt; Magnitudo tamen non perpetuò bonitatis, niſi ſummâ cum teneritate juncta, ſed aliquando antiquitatis nota eſt. *Huic theæ reſpondet Sinenſium, quod dixi, *Tèh Buu*. *Secunda* eſt adultiorum, quæ præparata appellatur *Too tſjaa*, id eſt, Thea Sinenſis, ita dicta, quòd Sinenſium more præparari ſoleat. Hæc in Japoniâ dividitur à tractatoribus & theæ venditori-

Ficki tſjaa. *Too tſjaa.*

toribus, ut plurimùm in quatuor claſſes, bonitate & pretio differentes. Prima eſt foliorum recens natorum, quorum collectio ſaltem ineunte vere celebrabatur, dum ſinguli novelli ſurculi non amplius duo vel tria folia, ſive integrè, ſive minùs explicata ferebant. Horum præparatorum unum *Kin* (extranei *Catti* vocant) i. e. libra Belgica una cum quadrante, in Japoniâ conſtat (modò peregrinus rectè informatus fui) *ſju mome* & ampliùs; vel ut extranei loquuntur, uno vel ampliùs *theil*, ſive decem ad duodecim *maas* argenti, id eſt, Styfris Belgicis 70 ad 84. quia uni *maas* reſpondent Styfri ſeptem. Secunda eſt paulò adultiorum, quolibet menſe collectorum; quorum *Catti* unum, proſtat *maſis* argenti ſex aut ſeptem. Tertia claſſis folia nonnihil craſſiora exhibet, quorum *Catti* unum venditur *maſis* quatuor, aut quinque. Hujus ordinis eſt thea, quæ majori copiâ ex Sinâ ad Europæos dimittitur, & in Belgio hodie venit pretiô quinque, ſex & ſeptem florenorum. Quarta eſt foliorum, quæ promiſcuè & ſine diſcretione collecta ſunt, dum ſinguli novelli ſurculi, conjecturali computu, folia decem, & ad maximum quindecim legulis ſuis exhiberent. Conſtat horum *Catti* unum tribus argenti *maſis;* quo pretio per plateas, à circumforaneis indies venundatur. Nam hujus familiaris & quotidianus civium multitudini uſus eſt. Poſſunt autem folia in ſtirpe hos magnitudinis & bonitatis ſuæ gradus citiſſimè mutare, ut, neglectâ collectione, à præſtantiori in ſequiorem vel unâ nocte tranſeant. *Tertia Ban tſjaa.* Hæc, foliorum ultimæ collectionis farraginem exhibet; nimirum rigidiorum ad præparationem Sinicam (id eſt, ad criſpandum) ineptorum; unde utcunque ſaltem præparata uſui villicorum & numeroſæ plebis dicata ſunt. Vires hæc obtinere dicuntur maximè fixas, quæ nec longiori aëris contactu, nec coctione pereant; ſecus ac thea priorum ordinum, cujus admodum volatilis

Ban tſjaa.

lis, quanquam ſubtilior nobiliorque, virtus, nec foliorum in aëre expoſitionem, nec coctionem patitur, ſine inſigni diſpendio.

Udſi tſjaa. *Udſi tſjaa* nominavi; de qua, ne quid in hiſtoriâ omittatur, pauca addimus. *Udſi* oppidulum eſt ad limites maris ſitum, non procul à metropoli & Pontificali ſede *Meaco*, in provinciâ ejusdem nominis. Ejus clima mirâ benignitate favet culturæ fruticis; ex quo inde transvecta thea ceteris habetur præſtantior. In hoc ſitus eſt celebris ejusdem nominis mons, dicatus culturæ theæ, quæ pro Domo Cæſareâ annonam præbeat. Curam ejus gerit ſupremus in aulâ Præfectus theæ, qui tum fruticum culturæ, tum collectionis ac præparationis negotio per ſuppoſitos proſpicit. Montis jucunda facies eſt; foſſa ambiente arcens quadrupedes & hoſpites; ſtirpes ordine diſpoſitæ ambulacrorum ſpeciem èxhibent; viæ ac frutices quotidie verruntur ac repurgantur, & ne conſpurcentur folia, cuſtodes ſedulò cavere debent; pro majori tutamine multi frutices etiam ſepimentis cincti ſunt. Colligendi cum appropinquat tempus, leguli præviis duabus vel tribus hebdomadibus à piſcium & immundi cibi eſu abſtinent, ne quà impuro halitu folia contaminentur; ipſo collectionis tempore, indies bis vel ter corpus lavant, perinde in balneo, vel flumine; nec tamen decerpenda folia nudis contrectare digitis audent, ſed chirothecâ munitis. Præparata lege artis folia, & crumenis chartaceis indita, urnis ſeu ollis myrrhinis immittuntur, ac vulgari theâ, circum circa arctè compactâ, muniuntur; ita debitè recondita horti director illico ad Regiam mittit, in Majeſtatis reverentiam multis ſatellitibus ſtipanda. Ex quo evenit, ut appulſa, glorioſam ferant incredibilis pretii famam: ſubductis enim rationibus, unum *Kin*, ſeu *Catti*, argenti haud minus triginta vel quadraginta *ſju mome* ſive *theilis* venit, id eſt, uncialibus 42 vel 56.; nec vere-

veretur Inſpector in ratione Cameræ reddenda alicujus theæ pretium ad unum *Obanj* (moneta eſt aurea, valens unciales centum) quin aliquando ad *theilos* centum, ſive unciales 140 extendere, dum unica interdum urnula, non amplius tria vel quatuor *Catti* continens, ducentis penè viris comitata appulit. In Cæſaris Aulâ ſorbillandam eandem theam adminiſter hâc emphaſi mihi offerebat: *Veſcere avidè & cum appetitu; conſtat una patella uno Itzibo.* Eſt hæc moneta quadrata aurea, valens aureum noſtratem cum quartâ parte.

§. VII.

Præparatio.

Præparatio in eo conſiſtit, ut folia recens decerpta torreantur ſupra laminam ferream; tôſta verò, dum fervent, volvantur volis manuum ſupra ſtoream, donec criſpa reddantur. Torrendo enim non modò folia exſiccantur, verùm etiam caſtrantur malignâ ſuâ & inimicâ cerebro qualitate, ut in uſum humanum mitigentur; rotatione verò rediguntur in compendium, ſive molem parvam, quâ commodè aſſervari poſſunt. Perficitur opus in *Tſjaſi*, ſeu officinis urbium publicis, eam in rem adornatis, ut quisque folia ſua iis inferre torrenda poſſit; ſiquidem paucioribus œconomis ritè præparandi vel notitia, vel inſtrumentorum apparatus ſuppetit. Inſtruuntur officinæ, (1) furnis aliquot (5, 10, 20) tripedalis altitudinis, quorum ſummitates claudit ſartago ferrea, ampla, plana, quadrata vel rotunda, ita aptata, ut latus, quod præfurnio imminet, paulò ſit acclive, quò ante latus oppoſitum is, qui torrefacit, ſtare tutus ab igne, & folia aſſanda ritè verſare valeat, nullâ circa marginem patente rimulâ, per quam fumus adſpiret; (2) humili & prælongâ tabulâ, ſive potiùs in ejus formam ex cæmento lignove aptata machinâ unâ, & in officinâ ampliore plures, ſtoreis ex ſubtili junco tectis, in quibus foliorum rotatio celebratur;

Apparatus inſtrumentorum.

(3) ipſis operatoribus, tum iis qui furnis adſtantes exuſtionem dirigunt, tum qui tabulæ inflexis cruribus aſſidentes, volutationis negotium perficiunt. Torreri autem folia debent recentiſſima: quia ſervata in diem ſequentem nigreſcunt, dum friguntur, & de virtute plurimum remittunt. Eodem igitur, quo carpta ſunt, die, vel veſpere, perferenda ſunt in officinam, ut continuò præparentur. Carpta in cumulo jacere diu non debent; ne inteſtinum concipiant calorem, qui vires deſtruit: ſi id fortè contigerit, diſpergenda ſunt, & flabellô refrigeranda aſſiduò, ut refrigeſcant.

Præparationis actus. Ipſa præparatio ſic peragitur. Immittit, qui toſtionem dirigit, foliorum libras aliquot in prædictam ſartaginem, quæ ex ſuppoſito igne usque adeo fervere debet, ut immiſſa folia, velut ſucco nativo humentia, ad laminæ contactum crepent. Eadem ille huc atque illuc utrâque manu verſat ſtrenuè, ne aliquo loco immota quieſcant & impariter torreantur. *Nota:* morem obtinere, in Sinâ potiſſimùm, ut folia primæ collectionis ante uſtionem bullienti aquæ immergantur, per dimidiam temporis minutam, vel quoad quis numeros recitet triginta; quò facultas narcotica, quâ maximè ſcatent folia magìs ſuccoſa recens nata, duplici correctione eliciatur. Ignis in furno ad illum gradum moderari debet, ut à manibus tractantis ægrè perferri poſſit; verſatio autem eo usq; continuanda eſt, dum invaleſcens foliorum calor, tolerantiam manuum penè excedat: quo ipſo actutum ope rutabuli lignei, in flabelli formam expanſi, eximuntur, ac in ſtoream effuſa traduntur collegio rotantium. Ex his, illico, dum fervent volvendis, raptim quisque modicam ante ſe capit partem. Volvuntur autem utrâque, quod dixi, palmâ; non quidem motu promiſcuo, ſed uniformi; quò eodem tenore pariter contorqueantur. Hâc volutatione compreſſa, ſuccum exerunt ex luteo virentem, qui fer-

fervorem manibus infert pene intolerabilem: ſed quo non obſtante volutatio continuanda eſt, donec folia refriguerint. Nam ſicut criſpandi actus non ſuccedit, niſi in fervore; ita gyri non perdurant, niſi ſub manibus refrigeſcant. Refrigeratio autem, quò citior, eò laudabilior eſt; cùm ſic gyros folia arctiùs retineant: quæ proinde ſedulâ ventilatione ope flabelli promoveri debet. Frigefacta redduntur uſtori, velut directori operis, (interea occupato in aſſandis aliis, quæ criſpanda reſtituat) frigenda viciſſim, dum omnis humor exſpiraverit. Hic ea, ſecus ac antea, non tumultuariè, ſed lentâ manu huc illuc commovet, eo conſilio, ne gyri evolvantur; quamvis caveri nullâ arte poſſit, ne multa rurſùm dehiſcant. Exempta ex ſartagine ſecundò traduntur in manus volutantium, priori modo cautè rotanda; tum, ſi ſatis exſiccata ſint, aſſervanda; ſin minus, uſtioni ac rotationi denuo ſubjicienda. In iterandis uſtionibus cautio eſt, ut ſubinde, cum decremento humoris, gradus quoque ignis imminuantur: quô inſuper habitô, folia aduruntur & nigreſcunt. Qui curioſi ſunt, quinquies, imò ſi otium ſuppetit, ſepties uſtionem cum volutatione iterant, breviùs ſemper & leniori igne theam in frixorio verſantes, ut ſenſim & lentis gradibus areſcat: quo ipſo viror vividus & unicolor ex voto conſervatur; qui citiore, nimiâ & inæquali uſtione faceſſit. Ad virorem conſervandum requiritur etiam, ut poſt ſingulas uſtiones ſartago aquâ fervente repurgetur ab inquinamentis humorum, qui foliis eliciti adhærere parietibus, & theam immiſſam contaminare ſolent. Toſta ſufficienter folia deponuntur in pavimentum ſtoreâ contectum, ut, ſicut ante præparationem cruda folia in claſſes dividebantur, ita nunc à præparatione recondenda cenſuram ſubeant, quâ craſſiora, inconditè volutata & nimis aduſta ſeparantur, & ad ſequiorem referuntur claſſem. Folia theæ *Ficki* ad ariditatem paulò

majorem aſſari debent, ut molitori obediant, & in pollinem minori operâ ſe redigi patiantur. Eadem, ſi perquam tenerrima ac recentiſſimè nata ſint, tunc, extracta è ferventi, cui immergebantur, aquâ, frigi vel ſaltem exſiccari ſolent in craſſiori chartâ, ſuper prunas expanſâ; omiſſâ, ob parvitatem, omni volutatione. Ruſtici folia ſua torrent in lebete fictili paucis vicibus & rudi manu: nec tamen ſic poſtremæ notæ theam obtinent; quam illi nulla artis tractatione elaboratam plebi vendunt parvo admodū pretio. Thea menſibus aliquot aſſervata, ſecuritatis gratiâ rurſus conditoriis ſuis eximenda, &, de novô, igne leniſſimô frigenda eſt, ut, ſi quæ humiditas relicta, vel per menſes pluvioſos contracta fuerit, penitus abſumatur; ita citra corruptionis periculum viciſſim recondenda. Conqueruntur magiſtri de infelici artis ſuæ profeſſione: quòd, cum nihil in regno minoris conſtet quàm thea, nullus tamen labor magis fatiget; quippe qui contra naturæ legem concubiis noctibus perferendus ſit.

Conſervatio.

§. VIII.

Thea toſta, quàm primùm refriguerit, recondenda, & ab aëre cautè munienda eſt. Nimirum conſervationis omne momentum reponitur in arcendo aëre; qui ſub calidiori climate virtutem theæ ſubtiliorem magis faciliùsq; diſſipat, quàm in frigidiori noſtro. Credo, quod in Europam nobis delata, jam ſubtiliſſimi ſalis paſſa ſit jacturam; nam in eâ nec illam ſaporis gratiam, nec recreandi facilitatem hîc invenio, quam hauſta in natali ſolo mihi exhibuit. Sina conditoriis utitur ex laminis ſtanni ignobilioris; quæ ſi majora fuerint, abiegnis vaſis circumducenda ac roboranda ſunt, rimis omnibus chartâ intus & extrinſecus obducendis. His aſſervata, trans mare in alias regiones dimittitur. Japones annonam vulgaris theæ reſervant conditam in ollis magnis fictilibus ori-

orificii anguſtioris; Præſtantiorem, quam ſibi Cæſar & Principes vendicant, aſſervare amant in vaſibus myrrhinis, ſive porcelanis, præſertim, ſi haberi poſſunt, pretioſis illis & antiquitatis famâ inſignibus urceolis, quos vocant *Maats ubo.* Creduntur illi non modò conſervare, ſed exaltare etiam virtutem theæ immiſſæ, ut, quò diutiùs in eis delituerit, eò habenda ſit carior & nobilior. In his etiam, in pollinem redacta *ficki tſja,* per aliquot menſes integris viribus aſſervatur. Iisdem indita, quæ ex aurâ viribus defecit, virtutem dicitur recuperare in integrum. Quapropter Magnates ex hoc genere vaſorum unum & alterum, quantovis etiam pretio comparanda, poſſidere geſtiunt: quibus inter ſupellectilia, quæ ad theæ ſympoſium luxurioſè inventa ſunt, primum locum venditant. Meretur eorum præſtantia uberiorem hiſtoriam, quam à nemine proditam hîc ſubjungo. *Maats ubo* ſignificat legitimam ollam; quaſi diceres: Vaſorum omnium genus præſtantiſſimum. Sunt ejus nominis vaſa antiquitus ex luto ſubtiliſſimo ficta in Inſulâ *Mauri ga ſima,* id eſt, Inſulâ *Mauri*, quæ ob perditos civium mores à Diis, quod narrant, funditus olim ſubmerſa eſt, ne hodie loci appareat veſtigium, præter ſcopulos quosdam, ſubſidente mari conſpicuos. Sita fuit prope *Teyovaan*, ſive *Formoſam* inſulam, cujus locus in tabulis hydrographicis deſignatur punctis & aſteriſcis, qui fundum notant, brevis & ſcopulis infeſtum. De Inſulæ fatis ita narrant Sinenſes: *Mauri ga ſima* Inſula fuit apud priſcos mortales, ex pingui ſolo inclyta, quæ, præter cetera, argillam præſtantiſſimam figulis cedebat pro conficiendis vaſis myrrhinis, hodie *porcelanis* dictis, & ex his lucrum ingens, unde ad luxuriam incolæ diteſcebant. Ex luxu vitia ac religionis contemptus orta, ſic ſuperos offendêre, ut irrevocabili decreto inſulam ſtatuerent inundatione perdendam. Decretum Rectori Inſulæ, cui nomen erat *Pei-* *Hiſtoriola.*

ruun, viro pio & innocentis vitæ, cœlitus fuit in ſomno revelatum, hôc monito: ut ad ſalvandam vitam, conſcenſis celocibus, fugam caperet, quam primùm vidiſſet duo idola ante templi introitum repoſita colorem faciei mutaſſe in rubidum. Finguntur hæc ex ligno ſimulacra Deorum, magnitudine gigantea, *In-jo*, item *Ni-wo* & *A-wun* dicta; quorum unus Generationi, alter Corruptioni præſidere; unus cœlum & principium agens, alter terram & principium patiens denotare; unus aperire & largiri, alter claudere & accipere, creditur. Utriusq; ſimulacrum vultu ſpectatur leonino, fronte coronatâ, imperatoriæ auctoritatis baculum tenens brevem, angue circumvolutum, illud (*In*) dextrâ erectum, hoc (*Jo*) ſiniſtrâ appreſſum femori; clunes teguntur ſupparo, fluctuante circa corpus faſciâ vento agitatâ, pectore artubusque nudis; illud, os ingenti rictu pandit, hoc comprimit. Nomen gerere ex officio & geſtu perhibent: illud doctis *In*, *Ni* & *A*, vulgo *Rikkiſi woo*; hoc doctis *Jo*, *wo* & *wun*, vulgo *Kongo woo* nuncupatum. Hæc inquam idola erant, quæ pro ornatu in templi primarii veſtibulo poſita (ubi ſolent & hodie locari) ſignum proditura erant exitii. Rex, pœnis imminentibus & everſionis præſagio publicatis, non aliud apud ſubditos, quàm riſum creavit, & ſuimet, tanquam ſuperſtitioſi hominis, contemptum. Nec multo poſt tempore ſubſannandi animo ſcurra aliquis, idola noctu aggreditur, &, advertente nemine, utramque faciem rubricâ oblinit. De mutato colore Rex monitus, haud ſcelere humano, ſed fatali miraculo id accidiſſe opinatus, fugam ex inſulâ cum ſuis anxius capeſſit, ad proximam Sinæ meridionalis provinciam *Foktſju* remis veliſq; contendens. A cujus diſceſſu ſannio cum conſciis, ex hâc petulantiâ nihil ſiniſtri metuentibus, atque omnis incredulorum turba, cum ſubſidente inſulâ, plenâ figulis ac ſplendido vaſorum myrrhinorum apparatu ſubmerſa eſt.

Memo-

Memoriam annuo feſto celebrant Sinenſes auſtrales, eo die, per freta & ſinûs maris, cymbis curſim remigantes, aufugientibus ſimiles, dum ſubinde Rectoris, quaſi amiſſi, nomen *Peiruun* inclamitant; eandemque illi ſolennitatem occidentali Japoniæ induxerunt. Petuntur vaſa iſta, recedente undâ, ex fundo maris, à ſcopulis, quibus concreta ſunt, cautè, ne frangantur, diſſolvenda, deformata undique agglutinatis conchyliis, quæ à polionibus abraduntur, relictâ portione aliquâ, quæ veritatem doceat. Sunt autem pellucida, tenuiſſima, coloris albidi ex virore diluti, dotata ut plurimum figurâ capulæ, ſeu dolioli, () & collo anguſto brevi, quaſi jam tum ad conſervandam theam fabricata fuerint. Inferuntur Japoniæ (admodum raro) à mercatoribus Provinciæ *Focktſju*, qui ea ab urinatoribus recepta hîc venundant: viliora *theilis* circiter viginti, mediocria *theilis* centum & ducentis, majora, quæ ſine labe ſunt, ter, quater & quinquies mille *theilis*; ſed illa, quæ tanti pretii & bonitatis habentur, à nemine emi audent, quàm à Cæſare. Is ab atavis & anteceſſoribus hæreditate accepta dicitur poſſidere, nullo auri pretio æſtimanda, ac proinde in gazophylacio, principi locô habita. Raro fracturis vel fiſſuris vacant: quas verò palliare mangonio ita affabrè norunt poliones, ne ullâ oculi acie, vel aliâ arte labes poſſit detegi, quàm per biduanam vel triduanam coctionem in aquâ fervente, quâ tandem materia glutinis reſolvitur. Atq; hæc de *Maats ubo*, præſtantiſſimis foliorum theæ conditoriis.

Ban tſja ab aurâ liberâ non æquè facilè detrimentum patitur, quòd virtutem obtineat firmiorem, quàm thea reliqua, utut multis gradibus inferiorem. Haud igitur aſſervationem requirit æquè curioſam. Ruricolæ eam, nec minùs theam omnem reliquam, ſervant in cupis ſtramineis, formam doliorum habentibus; quas ſub ædium lacunaribus reponunt, ut à fumo leviter ambiantur. fumus

enim

enim virtutem figere & conſervare creditur. Conciliari theæ gratiam perhibent, ſi recondendæ addantur flores Artemiſiæ vulgaris, vel novella folia herbæ *Saſanqua;* Cetera odorifera non æquè ei congruunt.

Uſus.

§. IX.

Servit thea interno uſui, duplici præparatione. *Prima* eſt Sinenſibus uſitata, quæ fit infuſione; dum integris foliis ſuperfundimus aquam ferventem; quæ foliorum virtute imbuta protinus ſorbilletur. Hic modus ex Sina in Occidentem noſtrum translatus jam lippis & tonſoribus innotuit, & explicatione noſtra non indiget. *Altera* eſt, quæ fit attritu: quomodo folia, cum mola manuali ex atro lapide, quem vocant, ſerpentinô, fabricata, in ſubtiliſſimum pulverem pridie vel eodem die rediguntur, ut aquæ ferventi mixta, pulpæ ad inſtar tenuioris, pitiſſando pariter hauriatur. Vocatur hæc *Koi tſja*, i. e. ſpiſſa thea, reſpectu tenuioris per infuſionem paratæ. Uſus hujus inter divites, Magnates & Principes per ſolam & pene omnem Japoniam obtinet. Adminiſtratio ita celebratur: Pyxidi incluſus pollen, cum reliquo vaſorum apparatu, in triclinium apponitur theæ bibulæ ſocietatis. Tum, aperto conditorio, ſingulis patellis, aqua fervente repletis, portio, quantam cultri majoris cuſpide excipias, ope cochlearis parvuli nitidiſſimi ingeritur, & mox, donec ſpumet, rutabulo affabrè dentato in orbem agitatur & conquaſſatur, ſic hoſpiti oblata, dum fervet, ſorbillanda. *Tertia* eſt, quæ fit coctione. Hæc à civium & ruſticorum vulgo recepta eſt, qui toto die propinandi modum tenet ſequentem: Ex domeſticis unus ante diluculum ſurgens, ahenam ferream in foco ſuſpendit aqua plenam; coquendæ aquæ, vel ſi placet, percoctæ, immittit foliorum *Ban tſja* manipulos duos, tres, vel pro numero domeſticorum plures, tum deſuper imprimit corbulam ejus

figu-

figuræ & magnitudinis, quæ ahenæ cavum arctè expleat & folia ingeſta ad fundum ſupprimat, ne poſſint impedimentum haurienti faceſſere. Hæc ahena domeſticis potum ſuppeditat reſtinguendæ ſiti; advolat quicunque vult; præpendet hauſtrum cum patellâ; adſtat etiam aqua frigida, ut, cùm pitiſſare otium non permittat, dilui eâdem ac temperari poſſit, ad ſitim valido hauſtu & ſine temporis diſpendio reſtinguendam. Alii, omiſſo corbe, theam ſacculo incluſam coquunt, quod in idem recidit. Coctioni ſola deſtinatur *Ban-tſja*, quandoquidem ejus virtus reſinoſis particulis magis involuta eſt, quæ non poteſt, niſi ſufficiente coctione extricari, unde receptam aqua haud facilè dimittit.

Theæ, tum parandæ, tum in corona hoſpitum prælibandæ, ſingularis eſt cognitio & habitus, in morum congruentiâ magis, quàm in ipſâ coctionis vel præparationis arte repoſitus. Vocant artem *Sado* & *Tſjánoi;* cujus dantur profeſſores, qui utriusque ſexûs liberos erudiunt, ut diſcant τῷ *Tſjanoſj*, i. e. ſympoſio theæ amatorum intereſſe, & miniſtrare etiam decenter & cum laude; velut in Europa ſcindendi & diſtribuendi fercula, luctandi & ſimilis farinæ notitias addiſcimus. Aquâ per infuſionem aut coctionem theæ paratâ, opifices pauperculi, præſertim in provinciâ Narâ, coquunt quandoque oryzam, τὸ πᾶν gentis: quæ ſic meliùs nutrire vel ſaturare dicitur, ita ut una portio pro tribus ſufficiat. Externum præſtat uſum thea poſtremæ notæ, tum quæ aliquot annorum ſpatio effœta eſt, pro tingendis telis ſericeis, quas badio colore imbuit: quem in finem magna ejus copia ex Sinâ in Guſarattam ferè quotannis tranſcribitur.

§. X.

Virtutes & vitia.

Virtutes.

Diximus theæ folia habere inebriandi, ſive ſpiritus animales turbandi facultatem. Hæc vis uſtione lentâ & aſſiduâ expelli debet; non poteſt autem ita ſufficienter,

ne quædam remaneat cerebro inimica qualitas; ſed quæ ſuâ miteſcit ſponte, videlicet morâ decem pluriumve menſium. His elapſis tantum abeſt, ut ſpiritus turbet, ut potius blandè excitet, & eorum organa demulceat, adeoque exhilarandi præſtet efficaciam. Intra annum ſorbillata delicatiſſima ſapit quidem, ſed turbat copioſè aſſumpta mentem, & tremorem inducit articulis. Optima, delicatiſſima & maximè exhilarans eſt, quæ unius anni ætatem habet: recentiorem nemo Japonum bibit, niſi mitigatam admixtâ æquali portione theæ vetuſtioris. Virtutes paucis complectemur, ſi dicamus theæ liquorem obſtructiones viſcerum reſerare, defœcare ſanguinem, præſertim verò eluere tartaream calculi materiam: Quod poſterius adeo præſtat inſigniter, ut calculoſos & podagricos inter theæ bibulos hôc cœlo nunquam invenerim. Europæis idem commodum à theæ potu ſperandum eſſet, niſi jam adhæreret genitale mali principium & pertinax diſpoſitio, quæ ſubinde vino acido, cereviſiâ ac lixiviis carnibus fovetur. Amatores cereviſiæ vernaculæ ex oryzâ coctæ, quam Sinenſes *Sampſù*, Japones *Sákki* vocant, theæ parum virtutis tribuunt, inſigniorem ineſſe negantes aliam, quàm quod aquæ cruditatem corrigat, & confabulantes amicos in coronâ retineat: in hôc hominũ genere invenire, qui vagâ arthritide & ſtranguriâ laborant, inſolens non eſt. Qui pro uſu theæ, Veronicam & Myrtum Brabanticam ſubſtituunt, magnopere falluntur. Non eſt ulla planta mortalibus hactenus cognita, cujus infuſum vel decoctum tantâ aſſumptum copiâ ventriculum minùs gravet, æquè facilè ſecedat, & conſopitos ſpiritus tam celeriter excitare ac recreare valeat. Minùs fortaſſè operam luſerit, qui in plantis, ob malignas qualitates malè nobis audientibus, ſimile quid quæſiverit, ſed ritè priùs corrigendis caſtigandiſque: cujus verò modum neſciunt Europæi; quibus ejus genii ſtirpes adeo ſunt inviſæ, ut audito

to ſaltem nomine, manum de tabulâ! infamem honori ſuo parituri notam veneficii, ſi ad abſtruſas talium vires curam impenderint. Norunt modum ingenioſi Brahmenes; qui Daturam, qui Papaver (cujus prænobilem ſuccum JCti inter venena numerant *Gothofr. ad L.3. ff. ad L.Corn. de Sic.*) & conſimiles ſui cœli plantas, earumq; partes narcoticas præparare, corrigere, ad inducendam oblivionem, diſcutiendam triſtitiam, exhilarandum & quaslibet ideas in homine excitandas aptare, longâ experientiâ edocti ſunt. Prælibari plerumque ſolent in formâ Electuarii.

Vitia theæ, à Japonenſibus recenſentur ſequentes: *Vitia.* Omnis theæ potus ſupprimit medicamentorum efficaciam; In colicâ (endemiâ) nocet & maximè vitandus eſt. Recentioris theæ potus, uti in genere totam cerebri compagem turbat & offendit, ita certo experimento quàm maximè nocet ophthalmiâ laborantibus. De vitiis medicos Sinenſes percontatus, à grandævo accepi. Theæ potum qui toto die biberet fortiter extractum, eum vitæ ſuæ, quæ in calido humidoq; reſideat, radicale fomentum deſtruere; quemadmodum idem faciat, ſed ex ratione contrariâ, qui ſe eſu pinguium & carnis ſuillæ (frequentiſſimæ in menſis Sinenſium) quotidie & in omni paſtu exſatiaret. Nihil autem noxæ laturum, quin plurimum vitæ & ſaluti ſuæ profuturum eſſe, qui utrumque conjungeret. Hoc ſibi innotuiſſe, dicebant, exemplô fœminæ: quæ pertæſa mariti ſtrigoſi & impotentis, medicum pellexerat, ut extinguendi daret conſilium: is, ſaturare juſſit maritum carnibus porcinis & quovis genere pinguium, quibus hærentem in illo umbraculo quantulam vitæ lucem, intra annum extinctura ſit. Perjura, conſilio unico haud contenta, alium quoque conſuluit: ille, theam ſuaſit ſceleto propinare fortiter extractam & frequentem; ſic futuram ſui voti compotem intra annum. Mulier, ut certiùs citiùsque ſe expediret, utroque utitur remedio:

Quo verò combinato, tantum abeſt ut ad ſandapilam damnatus diem ſuum acceleraverit, ut potiùs recuperatis viribus, ſaginam contraxerit & convaluerit pancraticè. Subvenit hæc ſcribenti conſimile exemplum mœchæ apud *Auſon.* quæ maritum peremptura, ut vires duplicaret, Mercurio poſt toxicum dato conſervaverat. Hiſtoriam Poëta *Auſonius* Gallus (ſit venia transgreſſioni!) eleganti expoſuit epigrammate:

TOXICA Zelotypo dedit uxor mœcha marito,
Nec ſatis ad mortem credidit eſſe datum.
Miſcuit ARGENTI lethalia pondera VIVI,
Cogeret ut celerem vis geminata necem.
Dividat hæc ſi quis: faciunt diſcreta venenum,
Antidotum ſumet qui ſociata bibet.
Ergo inter ſeſe dum noxia pocula certant,
Ceſſit lethalis noxa ſalutiferæ;
Protinus & vacuos alvi petiêre receſſus,
Lubrica dejectis, qua via nota cibis.
Quam pia cura Divûm! prodeſt crudelior uxor;
Et cum fata volunt, bina venena juvant!

Inſtrumenta & vaſa in ſympoſiô uſitata,


§. XI.

Ut omnem exhauriamus theæ hiſtoriam, lubet hîc delineare compendium portabile vaſorum atque omnis apparatûs ad theam coquendam ſorbillandamque neceſſariorum, quale recreationis cauſâ deambulantes Japones circumvehunt, ſine hôc ſocietatis condimento nunquam prodituri.

A. B. Machina portabilis, unà cum æneis ſuis anſis, cardinibus, fibulis & bullis angularibus, ab utrâque parte ſpectabilis; tota præter valvas lignea, vernice obducta. *A.* frontem, *B.* dorſum exhibet.

cc. Valvæ geminæ cupreæ, in faſtigio coëuntes, clauſæ duobus longis capreolis.

 d. Fo-


P
i
T
V
W
X
L
1
2
3
4
5
A
B
C
f
g
h
I
K
Z
W·B· Sculp

d. Foramen, machinæ faſtigium pervadens, cui, in dependente anſâ, ſurſum vertendâ, utrinque reſpondet appendix *ee.*, ut immiſſâ palangâ portari machina poſſit ex humero.

fg.fg. Machinæ contignatio ſuperior, continens duo vaſa cuprea P. & T. intus ſtanno obducta, aquæ tum aſſervandæ, tum coquendæ dicata. Eximuntur infernè, apertis valvis cupreis *cc*, quibus deſuper teguntur.

gh.gh. Contignatio inferior, continens triplicem ordinem capſarum lignearum V. W. X. vernice intus & foris elegantiſſimè obductarum, pro aſſervandis ad ſympoſium rebus neceſſariis.

i. Foramen, excipiens peſſulum valvæ penſilis *L.*

K. Uncus æneus longus, ex ocello pendens, valvæ penſilis aperiendæ retinaculum.

L. Valva penſilis lignea, ſuis cardinibus exempta, quæ lateris *A.* inferiorem contignationem claudit, ne capſæ excidant. In hâc ſpectatur ſera, ſive peſſulus *m.* prædicto foramini *i.* adæquatus; & ocellus *n.*, reſpondens prædicto unco *k.* quo aperta valva attinetur, dum eximantur capſæ.

o. Foramen in adverſo latere *B.* conſpicuum; per quod, immiſſo digito, protruduntur capſæ, ita commodius eximendæ.

P. Vas cupreum majus, in quo aqua coquitur. Tria in ſummitate exhibet orificia, operculis ſingulis donata: unum (1) pro frigidâ recipiendâ; alterum (2) parvum, pro fervefactâ effundendâ; tertium (3) ad incluſum furnum ventoſum ſpectans, per quod ingeruntur carbones. Operculum propendere volui inverſum, ut ejus duplex margo, pro arctiore clauſurâ factus, videri poſſit. *q.* Furnus ventoſus cylindraceæ figuræ, cupreus, aquæ coquendæ immerſus; vaſi continenti agglutinatus orificiô & præfurniô ſuô.

ſuô. *r.* Præfurnii ductus, per quem aura carbones ſufflaminat. *s.s.s.* operculi ſpiracula, ad permittenda fumum & fuligines.

T. Vas cupreum minus; ſive receptaculum aquæ frigidæ, dotatum operculo, ſimilis, quam dixi, ſtructuræ.

V. Capſa lignea, continens ad præparationem theæ ſorbillandæ inſtrumenta & vaſcula varia, ſignata numeris 1. 2. 3. 4. 5. & 6.

W. Capſa majuſcula altera, duobus loculamentis diſtincta, quorum exterior prunas ac materiam ignis; interior apparatum patellarum pro pitiſſandâ theâ, atque alia pro lubitu imponenda recipit.

X. Capſulæ minuſculæ uno exemplo tres, invicem claudentes, cum adjacente ſuperiori operculo inverſo. Continent edulia diverſa, in pitiſſantium conviviis apponi ſolita.

(1) Hauſtrum pervadente tubulo inſtructum; (2) ejusdem ſtylus ſeu manubrium; eximendum cum reponitur.

(3) Capſella theæ plena, aut integræ, aut in pollinem redactæ.

(4) Spathula, ſeu cochlear, pro polline excipiendo.

(5) Rutabulum, quo *Ficki tſja* agitanda eſt, antequam ſorbilletur.

(6) Vas cupreum ad theam infundendam ſerviens: cujus pars inferior, quæ & ſtanno obducta eſt, orificio vaſis P. immergitur, ut attactu vaporis vel aquæ ferventis foveatur, ne infuſa frigeſcat. Operculo arctè clauditur, ejusdem, quam indigitavi, clauſuræ.

Z. Bacillum Geometricum, iconibus adæquandum, quo partium & vaſorum ſingulorum magnitudo & proportio indagari poteſt, ſi cui volupe ſit ad hunc typum ſimilem machinam conſtruere. Refert autem unum *Sakf*, ſive 10 *Sun*, quæ conjunctim reſpondent circiter uni pedi Geometrico noſtrati.

OBSER-

OBSERVATIO XIV.
Ambra vindicata.

Ambræ materia.

§. I.

Obſervationis cancellos transgreſſam ſuperioris materiæ prolixitatem, breviori nunc exhibitione pretioſi & deſideratiſſimi bituminis compenſabimus. Quid enim *Ambrâ* ſuavius? Eam humano generi parcâ manu ex abdito ſuo ſinu largitur Oceanus: nam ſolenne eſt naturæ, ut quæ maximè nobilia ſunt, ea valdè recondat & parciùs impertiatur. Eſt verò de nativitate & materiâ ambræ non levis autorum inter ſe diſſenſio: quorum alii eam genus bituminis; alii terræ credunt; alii ſpongiam marinam, excrementum balænæ, ſtercus avium, vel quid non aliud eſſe, perſuaſi ſunt. Ex omnibus ſententiis, experientiâ noſtrâ, nulla minùs fundata eſt, quàm quæ nuper ex ſolâ materiæ vel odoris ſimilitudine concluſit: *Ambram eſſe mixturam mellis & ceræ, circa maris littora ab apibus congeſtam, quæ à ſole excocta, marique illapſa, in hanc nobilem ſubſtantiam, ab agitatione fluctuum, ſpirituque ſalino, elaborata & converſa ſit. Journal des ſcavans de l' An.* 1672, *conference ſeconde, preſenté par Jean. Babt. Denis.* Conjecturam medius fidius inanem! quippe quæ ſolâ ſui novitate placere cupit, &, magni Principis freta præſidio, exauctorare ſententiam ab interioris hiſtoriæ inſpectoribus probatam; quæ dudum oſtendit: Ambram bitumineum terræ genus eſſe; vel quod idem eſt: pinguedinem ſubterraneam, in bitumen excoctam, ex venis alveisve terræ in imum mare depoſitam, & à ſale ac ſole condenſatam. Ab erroris igitur novitate Ambram hîc vindicabimus poſitionibus quibusdam circa hanc materiam, quas ab hujus coaguli colli-

colligentibus, ex curioſis Sinenſium obſervatis, à cetariis Japonicis, & ab ipſâ demum inſpectione provinciarum littorumque, ambram ferentium, petimus.

1. Pluribus in locis ambra colligitur, ubi nec circa littora, nec intus in regione melliferæ volucres nidificant; at plurimæ regiones apibus abundant, quarum littora ambram nunquam recipiunt.

2. Piſcatores, qui ex rupibus littorum, circa Sinam & Javam, halcyonum nidos edules colligunt, (ſunt nidi illi hirundinum marinorum, quos ex particulis holothuriorum conſtruunt) alvearia inibi latentia, quæ à fluctibus deturbari putat *Deniſius*, nunquam ſe vidiſſe teſtantur. Apes quippe, evitare ripas & tempeſtuoſa loca, provida mater natura docuit.

3. Mel, cera, favi, cum liquore humido agitata, non coëunt in unum corpus, ſed ſecedunt & diſſolvuntur.

4. Favi cum melle ſuo, uſtionis ope, ubicunque inſpiſſati, ejusdem ſubſtantiæ coagulum referunt. Ambræ verò, ex venarum ſubterranearum diverſitate, multa varietas eſt, & ſuis quæque regionibus propria; adeo, ut ex ejus inſpectione etiam natale littus, quo recepta ſit, à gnaris cognoſci poſſit; perinde ut exercitatiores œnopolæ vini deguſtati provinciam indicant. Alia enim bitumini crudiori, aſphalto, vel naphtæ atræ exſiccatæ ſimilior eſt, adeoque nigrior, denſior, gravior, vel minùs; alia, ex nobiliorum particularum admiſſione, candidior, carior, levior, vel minùs; alia ſæpè fungoſa admodum, ut acutiſſimus *Scaliger*, Serapionem amplexus, ambram non ineptè pro fungo maris habuerit.

5. Ambra ex oceani antris recentiſſimè appulſa, mollis eſt, vaccino ſtercori aſpectu ſimilis. Atqui tunc nidoroſum halitum exhibet, qualis à mellificii naturâ omnino alienus eſt.

6. Non rarò conchas nitentes atras, & alia ſubmarini

generis fragmenta in ambrâ deprehendimus, nonnunquam & earum rerum particulas, quas mollior, in littus projecta, involviſſe potuit; apes verò mel & favos nunquam. Falſus eſt Cl. *Deniſius*, qui favos cum cerâ & melle (eccur non cum apibus etiam?) illatuiſſe relatori ſuo credidit; falluntúrque ſcriptores Galli recentiores, qui idem credunt *Deniſio*.

7. Magnæ molis ambra nonnunquam invenitur, longè ultra alvearis capacitatem. Taceo fragmenta monſtroſæ magnitudinis, quæ citavit *Garzias* ab Orta A. H. L. 1. c. 1. Pro meâ ſententiâ, maſſæ ſufficient minores & propriæ obſervationis: Dum apud Indos verſarer, inveniebatur in littore Japonico provinciæ *Kinokuni* maſſa ambræ gryſeæ, *Catti* ampliùs centum, vel libras Belgicas circiter centum & triginta pendens; quæ cum tota emptorem non inveniret, in partes quatuor, formâ crucis, diviſa & diſtracta eſt: mihi quoque advenæ venum reliqua ejus quarta pars oblata fuit, ex quâ integram ejus magnitudinem facilè conjiciebam. Superabat hanc magnitudinem, quæ anno 1693. Ill. Societati Belgicæ à Rege *Tidori* vendebatur Joachimicis 11000, miſſa anno ſequente ad Amſtelodamenſem Cameram; moles inquam 185 librarum Belgicarum accuratè penſiculata, modicè gryſea, non poſtremæ dignitatis, figuram referens teſtudinis, truncatæ caudâ & capite; eo pacto empta, ut pecunia reſtituatur, ſi quicquam adulterii in eâ comperiretur. Iconem ejus maſſæ propoſuit Excellentiſſimus Giſſenſium Profeſſor *Valentinus in Muſ. Muſ. Lib.* 3. *c.* 28.

Ambræ attributa.

§. II.

De Ambræ adulterio, bonitatis notâ, ac virtute, ſequentia accepimus:

Recens cum in littus deponitur, maſſæ farinaceæ inſtar mollis, & adulterio recipiendo aptiſſima eſt. Nihil verò

rò eidem feliciùs ingeritur, (prout ipſi adulteratores mihi faſſi ſunt) quàm gluma oryzæ in pollinem redacta; nam hæc & levitatem & colorem glaucum ei conciliat: ſed quam fraudem teredines, illatâ carie, poſſeſſori detegunt. Ambra ex ſtorace, benzoino aliiſque odoriferis augmentata; tum pſeudo-ambra, ex pice, cerâ, reſinâ, ſtorace & ſimilibus compoſita; quales non raro venales mihi oblatæ ſunt: illa paulò difficiliùs, hæc nullo negotio, tactu, oculis & vel ſolo ſuffitu, cognoſcitur. Inventores, particulas ambræ recentis in unam maſſam majorem; expanſas nimium & informes, in figuram aptiorem cogunt: unde ambræ ſæpe rotunditas, ſemper gravitas conciliatur, quæ bonitati nihil detrahit. Non eſt melior bonitatis & conſtantior nota, quam ſi candenti laminæ ejus granula aliquot imponantur: quo ipſo ſuffitus prodit adulterium, & cineris paucitas bonitatem. Faciunt id orientales trans-Gangetici in aurea ovatæ magnitudinis & figuræ monetâ tenui *Koobang* dictâ, quam cum raſurâ ambræ imponunt carbonibus,nam hic nummus ipſis ad manus eſt. Ex ambris bonis optimam reputant Sinenſes,cujus raſura aquæ calidæ immiſſa & operculata, exactiùs disjungitur & liqueſcit. Vidi inſervire huic operi patellas murrhinas, ex quibus infuſum theæ ſorbillant, & in ſympoſiis diſcretiones illas per otium inſtitutas. Poſtremæ notæ ea cenſetur ambra, quæ in inteſtinis balænarum invenitur; virtute quippe ſuâ plurimùm ibidem imminutâ. *Mokos*, ceti genus, trium & ad ſummum quatuor orgyiarum longitudinis, circa Japoniam capitur; cujus inteſtina frequentiſſimè ambram exhibent: eſtque latentis nota, ſi inteſtinum ſolventibus illico occurrat grumoſa calcique ſimilis materia. Frequens eſt in Japoniâ,quæ in balænæ extis inventa, vel cum excrementis, dum viveret, in mare egeſta fuit; unde vulgari linguâ Japones ambram appellant *Kuſura no fuu*, i. e. ſtercus balænarum.

Ambra ſubalbida, ſeu Sperma Ceti.

Oceanus meridionalis fruſta peregrinæ pinguedinis nonnunquam evomit, quæ externâ facie ambram referentia inventoribus imponunt: Mihi ejusmodi maſſa, in Luconiæ littus depoſita, pro recentiſſimâ ambra gryſea obtrudebatur: Albida erat, fungoſa, fragilis, inſtar lardi rancidi, nidoroſa & unguinoſa, quam ego, ex balæna lardum judicans, longâ in ſalo morâ ſic mutatum, repudiavi. Ex Bandenſi littore maſſam informem poſſideo, trium circiter librarum, ejusdem tituli donum; ſed quod ego ſebum reor ejus generis, quod *Schröderus* dignatur nomine *Ambræ ſubalbidæ*, vulgo *Sperma Ceti* dictum, à fluctibus, dum mari innataret, alicubi (fortè ad rupem) congeſtum & à ſole in unam maſſam colliquefactum. Spermatis ita dicti triplex mihi innotuit ſive genus, ſive collectio: Unum, quod in mari ſeptentrionali natans vimineis corbibus hauritur, prout ex oculatis relatoribus dudum innotuit: alterum, quod ex cranio alicujus balænæ, Latinis Orca, Belgis Potvis dictæ, copioſum depromitur, teſte *Bartholino*, *Wormio* & ipſis, qui Gronlandiam ad capturas navigant: tertium, quod in inſulis *Ferre*, ſeu *Fero*, ultra Scotiæ fines boreales poſitis, colligitur ab incolis piſcatoribus, hominum pauperrimis, ex ſuperficie longum caput habentium piſcium, quos linguâ ſuâ Buskoppe nominant; à quorum copiâ inſula, inter multas extima, idem nomen adepta eſt. De poſtremo hôc, nullius ſcriptoris auctoritate quicquam mihi conſtat, ſed ex relatione viri fide digni, qui ad inſulas naufragium paſſus, ei labori oculos & manus ſemeſtre commendaſſe mihi teſtatus eſt. Piſcem ajebat humanâ magnitudine grandiorem, cujus monſtroſum caput mucoſâ hujus pinguedinis copiâ, præſertim circa maxillas, circumfuſum ſit, quæ abraſa, lixivio forti & inſolatione à rancore repurgetur. Ex capite piſcis *Haye* (latronis marini poſt crocodilum pernicioſiſſimi) depromunt epibatæ maris Indici materiam candidiſſi-

didiſſimam, quam Spermatis Ceti nomine venditant, neglecto cerebro, quod in medio capite inveni parvulum. Hæc materia virtutem Spermatis Ceti diureticam egregiè præſtat; verùm, quod pulverulenta ſit, & ſevoſæ pinguedinis exſors, à nomine & ex cenſu Spermatum meritò rejcienda eſt. Coagulum verò meum, quòd Spermatis Ceti, ſed depurati notas omnes & requiſita habeat, ex allegatâ primâ claſſe eſſe videtur, modò in furfuream ſubſtantiam, qualem Sperma Ceti refert, rurſum disjungatur: unde idem aliquando hujus uſui feliciter ſuppoſui. *Succinum* phyſici minùs ineptè ſub Ambræ cenſum recipiunt; eſt enim parilis, ſed limpidior pinguedo terræ, à ſalo & aëre indurata. Vidi illud in littore Pruſſico non modo colligi appulſum fluctibus, ſed in eodem ex terræ venis & viſceribus etiam effodi; at hoc, cùm ſæpe molle ac friabile ſit, marinæ aquæ injicitur, ut ab eâ duritiem acquirat. De quo ſi clariſſimo *Deniſio* conſtitiſſet, Succinum loco ſupra citato non tam operoſâ viâ ex Sueciæ ſylvis in hæc deduxiſſet littora. Extremi Orbis nationes Succinum longè præferunt Ambræ veræ, imò longè etiam anteponunt (ſi Corallia rubra excipias) lapidibus pretioſis noſtris, quorum illis nec uſus, nec exiſtimatio eſt; Præſertim verô Succinum pellucidum illud flavum, quod Europæis in dignitate ferè poſtremum eſt, illis ob antiquitatem, quam ei tribuunt, & ſummam perfectionem, multò habetur carius atque præſtantius: ceteræ Succini varietates ipſis exiguo loco ſunt. Ego id aliter illis demonſtrare niſus, riſui me expoſui, & tantum profeci, quantum faceret, qui nobis perſuadere vellet, argentum ut credamus aurô præſtantius eſſe. Ambræ nullus eſt nigritis inventoribus uſus; major Europæis in medicinâ; maximus regno Mogolis, Perſiæ Arabiæque, in confectionibus ſaccharo conditis & dulcidulis quibusque. Sinenſes, Japones, Tunkinenſes, pene alium in finem ambram non expetunt,

Ambra citrina, ſive Succinum.

petunt, quàm ut odoriferis compoſitionibus admiſceant, pro figendâ & exaltandâ odoris ſuavitate, ſine illius conjugio fugax ac debilior futurâ: nam utrumque eximiè præſtat; cùm ſola exiguum habeat odorem. Virtutes, utpote ſatis cognitas, omitto. Unum ex ambrâ ſecretum magnanimitatis placet apponere, quod ab experientiſſimo Medico Japonenſi edoctus ſum. *Rec.* Opii crudi q. l., involve linteo, & in vapore bullientis aquæ ſuſpende; id quod circa nodulum poſt horam unam aut alteram exſudavit, opium præſtat correctiſſimum; cui admiſce duplum ambræ optimæ, ut fiat maſſa, ex quâ formentur pilulæ minutiſſimæ, in remedium virilitatis exiguâ doſi ante noctem concubitûs aſſumendæ.

OBSERVATIO XV.

قَيف *Kheif* ſeu كَيف *Keif*; ſive inebriantia Perſarum & Indorum.

Introductio.

§. I.

Ebrietate, humanæ Mentis hoſte, philoſophorum totius Orientis conſenſu, nihil eſt turpius, nihilque magis deteſtabile. Inde prima & Gentilis & Mahhammedanæ religionis puncta, vinum & ſiceram, velut liquores divinam in homine profanantes auram, angue caneq; pejus evitanda, gravi cautione præcipiunt. Sanè apud Turcos, Perſas, Arabes, qui citeriorem Aſiam incolunt, carcere puniri & ſub nudis talis ad ſanguinem usq; vapulare videbis, qui hoc potu ſe gravarunt. Inter Indum & Gangem nec vitis quidem colitur, nec ſpiritum elicere quisquam novit; vini verò ſpecies, quam fundunt amputati ſcapi florum Cocos, ſaltem pro extraneis excipitur.

pitur. Trans-Gangem populi, etſi minime abſtemii, inebriari tamen ſupremo ſibi ducunt flagitio, atque diras imprecantur convivatori, ſi, quem domi hoſpitem inebriaverat, eum exire foras in conſpectum ludibriumque hominum permiſerit. Quibus tamen, ſive ſacramento Legis, ſive turpitudinis opinione, nihil obſtantibus, omnes illæ gentes mirâ naturæ perverſitate feruntur in temulentiæ cupiditatem, & quam vino non audent, modis remediisque aliis inducere menti inſaniam, in fraudem Legis, didicêre. Eorum promum condum ſe exhibet in regno, quod vocamus, vegetabili, claſſis ſtirpium venenatarum & lethiferarum: ſtirpium, quarum vel nomina horremus Europæi, & procul ex medicamentorum catalogis proſcribit ad timiditatem cauta noſtratium medicorum religio. Didicit longiori experientiâ Oriens parare ex iis medicamenta; quæ doſi minori, vel per adſuetudinem majuſculâ, tantum abeſt ut malignitate aliquâ noxam vitæ pariant, ut potiùs animales ſpiritus omni caligine, corpus dolore, animum triſtitiâ expediant ac ſummè exhilarent. Pro varietate autem ſpecierum, ex quibus parantur, tum pro variâ doſi & correctione, non uno & pari gradu modoque operantur: ſed in primo ebrietatis gradu, animales ſpiritus leniter demulcent alia; alia in ulteriori gradu etiam turbant & ſtupefaciunt; alia in ſupremo, eoſdem ſpiritus exagitant, & ad variam inſaniam accendunt, adeoque pro bibentis cujusque temperamento, &, quæ inde reſultat, inclinatione animi, variarum quandoque beſtiarum mores mirâ metamorphoſi inducunt. Ex Perſarum inebriantibus hîc ſaltem tria palmaria recenſebo, videlicet *Nicotianam*, *Papaver* album ſativum & *Cannabim*: omiſſurus theam, cofeam, decocta tum radicum Satyrionis, tum cinamomi cum aquâ roſarum & ſaccharo; & ſi quæ alia remiſſiùs exhilarantia ad ſorbendum in ſympoſiis eorum recepta ſunt. Vocatur inebriandi hæc virtus

tus كيف *Keif*, vel,ut alii ſcribunt, قيف *Kheif*, inclyto & toti cis Gangem Indiæ non ignoto vocabulo.

Inebriantia Perſarum.

§. II.

Tabacum.

Nicotiana ante ſeſqui circiter ſecula toti antiquo Orbi, adeoque & Perſiæ, cœpit à Luſitanis transvectoribus innoteſcere. Nomen ubique habet *Tabaci*, & pro diverſo gentium idiomate *Tobak*, *Tabacco*, *Tombak* & *Tembakù*, ab inſulâ hujus nominis Americanâ, quæ Herbæ copiam inventoribus dederat. Plantæ vix nomen innotuerat, quin ſimul cultura celebrari ubique cœperit, & fumandi uſus omne humanum genus ſtupendâ velocitate incantaverit. Plantam, Hyoſciami ſpeciem ſi negamus, ex claſſe tamen venenatarum nequaquam eximenda fuerit; cùm vertigines, anxietates & vomitus, quos fumigata in non adſuetis concitat, malignitatis teſtes ſint luculenti. Experimentis Redianis conſtat, olei ejus guttulam recenti immiſſam vulneri, pullos volucrium enecare, hominibus verò inferre periculoſa ſymptomata. Vidi bajulos circa Caſanam Tartariæ, qui perforatum cornu bubulum foliis plenum, ſuperpoſitis carbonibus, paucis hauſtibus evacuabant; ex quo inſtar epilepticorum proſternebantur, pituitâ ſpumoq; diffluentes. Quam verò venenata ſint folia, eorum tamen fumus conſuetudine homini fit familiaris, ut, non modò non noceat malignitate ſuâ, ſed benigniori ſale ſerum ex capitis receſſibus eliciat, ac cerebrum hilaritate impleat. Quod ut præſtet feliciùs, Perſæ fumum trahunt per machinam, aquâ ultra dimidium plenam, quæ fœtidum & cerebro inimicum ſulphur imbibens, fumum transmittit ab omni malignitatis acrimonia defæcatum, frigefactum & ſincerum. Machina illa, quam قليان *Khaliaan* vel *Khaliuun* vocant, ampulla eſt ſeſquipedalis altitudinis, vitrea, oblongo donata collo; cujus orificium clau-

claudit orbiculus æneus, in ſeſquipalmarem diametrum expanſus, duos in medio permittens *tubulos* invicem adſolidatos, æneos; *Unum*, cujus inferior pars in ampullam demiſſa, aquæ immergitur; ſuperior recipit nicotianæ cum impoſitis carbonibus retinaculum, infundibulo ſeu buccinæ orificio ſimile: *Alterum* breviorem, cujus de-



miſſa extremitas aquam non attingit: ſuperior incurvata arundinem excipit longam, qua fumus attrahitur. Tubulorum propago, proximè ſub orbiculo, telâ xylinâ arctè circumvoluta eſt, in eam craſſitiem, quæ vitri orificium cum modicâ colli parte expleat atque claudat arctiſſimè: Ita evenit, ut ad ſuctum non poſſit niſi ex infundibulo fumus ſuccedere; qui jucundo ſtrepitu aquam penetrans, primò inanè vitri ſpatium occupat, inde per arun-

dinem ad os ſugentis atque ipſos pulmones pertingit; attractio enim, non buccâ aut labiis, ut vulgò ſolet, ſed toto pectore peragitur, quo ipſo fumus per pulmones ſe diffundit. Si acrior herba ſit, conciſam priùs aquæ immergunt exprimuntque, ut à crudiori acrimonia liberetur: quod idem à Sinenſibus & Japonibus factitatum vidi. Modum fumandi per machinam à Perſis edocti ſunt Arabes Hindoſtani, ſeu Indi magni Mogolis, &, qui cum religione mores Arabum adoptarunt, nigritæ quidam Inſulares; ſed his, quòd vitra deficiant, pro ampullâ ſervit excavatus cortex cucurbitarum. Turci, Sinenſes, Japones, Europæorum more fumum trahunt per fiſtulam, receptaculo tabaci accenſi inſertam. Nigritæ gentiles fumum ſine inſtrumento hauriunt, rotatis foliis in turbinem, cujus baſin accendunt, apice labris retentô & ſuctô. Nullæ gentes fumo magis indulgent, quàm Perſæ, cum mares, tum fœminæ; quin equitantes Khalianum ægrè dimittunt, & cum arundo obſit, tubulum ejus loco inſerunt coriaceum, flexilem, prælongum, chordis æneis affabrè circumductis munitum; ipſam machinam, cum foculo, geſtante ſervo, ſive pediſequo, ſive equite. Atque hoc *Kheif* externum eſt, non Perſis modò, ſed toti Orbi commune, unde ſatis eſt, ejus hîc meminiſſe ſaltem.

Opium. Alterum atque interni uſus *Kheif* ex Papavere ſumitur: quo Indi Perſæque hortos & agros conſerunt, ut lacteſcentem ſuccum ex læſis capitibus proliciant. Hunc ſuccum Europa *Opium*; Aſia cum Ægypto *Afiuun* & *Ofiuun* vocat. Perſia idem præparatum, ex reverentia, appellat *Theriakì*, i. e. Theriacam; nam hæc illis eſt Poëtarum illa Galene, Hilare & Eudios, id eſt, medicina animo ſerenitatem, hilaritatem & tranquillitatem conferens: quô olim tergemino elogio theriacale antidotum Andromachi appellatum legimus. In Perſide collectio ejus celebratur per ineuntem æſtatem, propinqua maturitati capita decuſ-

ſatim

ſatim ſauciando per ſuperficiem. Culter negotio ſervit quintuplici acie inſtructus, qui unâ ſectione quinque infligit vulnera longa parallela. Ex vulnuſculis promanans ſuccus poſtridie ſcalpro abſtergitur, & in vaſculum, abdomini præligatum, colligitur. Tum altera capitum facies eodem modo vulneratur, ad liquorem pariter proliciendum. At, hæc collectio, ob capitum impar incrementum & magnitudinem, aliquoties in eodem arvo inſtituenda eſt. Solent in plantis nimiùm ramoſis ſuperflua capita priùs amputari: ſic reliqua magìs grandeſcunt, & ſuccô implentur majoris efficaciæ. Primæ collectionis lacryma, *Gobaar* dicta, præſtantior eſt, & graviori pollet cerebrum demulcendi virtute, colorem exhibens albidum, vel ex luteo pallentem; ſed qui color ex longiori inſolatione & ariditate infuſcari ſolet. Altera collectio ſuccum promit, priori, ut virtute, ita pretiô inferiorem, coloris plerumque obſcuri, vel ex rufo nigricantis. Sunt, qui & tertiam inſtituunt, quâ obtinetur lacryma nigerrima & exiguæ virtutis. *Opii collectio.*

Præparatio Opii potiſſimùm in eo conſiſtit, ut, aquæ pauxillo humectatum, ſpathâ craſſâ ligneâ continuò & fortiter ducatur & reducatur in patinâ ligneâ & planâ, donec elaboratiſſimæ picis conſiſtentiam, tenacitatem & nitorem induat. Ita diu multumque ſubactum, ad ultimùm manu non nihil pertractatur nudâ, & demum, in cylindros breves rotatum, venale exponitur; forcipe dividendum, cùm particulas emptores petunt. Hâc ſerie pertractatum opium appellatur *Theriaak malidèh*, i. e. theriaca molendo præparata, vel etiam *Theriaak afiuun*, id eſt, theriaca opiata, ad differentiam theriacæ Andromachi, quam illi vocant *Theriaak Faruuk*. Præparandi hic labor perpetuus eſt propolarum, quos vocant *Kheifruus*, quaſi Germanicè diceres Trunken Krämere/ quô illi, in foris & quadriviis ſedentes, brachia ſua ſtrenuè exercent. *Opii præparatio: in Pilulis;*

Mmmmm 2 Maſſa

Maſſa hæc ſæpe numero, non aquâ, ſed melle ſubigitur, eâ copiâ admiſſo, quæ non ſiccitatem modò, ſed & amaritiem temperet: & hæc ſpecialiter appellatur *Bæhrs.* Inſignior præparatio eſt, quâ inter agitandum adduntur nux Myriſtica, cardamomum, cinamomum & macis, in pulverem ſubtiliſſimum redacta; qualiter præparatum opium cordi & cerebro inſigniter prodeſſe creditur. Vocatur in ſpecie *Polonià*, vel, ut alii pronunciant, *Folonià*, puta *Philonium Perſicum*, ſeu *Meſue.* Alii omiſſis aromatibus, tantùm croco & ambrâ maſſam infarciunt. Multi præparationem in uſum proprium ipſi perficiunt domi ſuæ, ne à propolis admiſcendorum paucitate vel multitudine decipiantur. Præter hoc triplicis præparationis opium, quod ſolâ pilularum formâ deglutitur, proſtat, vel etiam à domeſticis conficitur, liquor celebris nominis, *Coconàr* dictus, Græcorum quòd puto Μηκώνειον ac Homerianum Nepenthes, quod à bibacibus propinari affatim per horarum intervalla ſolet. Parant hujus liquorem alii ex foliis, aquâ ſimplici per brevem moram coquendis; alii ex capitibus contuſis infuſione macerandis, vel iisdem ſupra filtrum repoſitis, aquam eandem ſepties octiesve ſuperfundendo: admixtis pro cujusque placito, quæ ſapori gratiam concilient. Tertium addo opiati genus, Electuarium lætificans & lætificando inebrians; Hujus electuarii, cujus baſin idem opium etiam conſtituit, à ſeplaſiariis & medicis, prout quisque ingenio pollet, variè elaboratur, ac diverſis ingredientibus ad roborandos & exhilarandos ſpiritus dirigitur; unde varii ejus extant deſcriptiones; quarum primaria & famoſiſſima eſt, quæ debetur inventori *Haſjèm begì*, quandoquidem comedentis animum miris perfundere gaudiis, & magicis cerebrum demulcere ideis & voluptatibus dicitur.

in liquore; (Meconiū Græcorum)

in Electuario.

Opium quod Europæis, ſi grani unius vel paucorum doſin exceſſeris, lethiferum nefas audit, à prænominatis popu-

populis longâ adſuetudine ita familiare redditum eſt, ut drachmam multi ſine noxâ deglutiant. Multa hôc abuſu, vel longiori ejus uſu, acciuntur mala; emaciatur enim corpus, laxantur vires, contriſtatur animus, ſtupeſcit ingenium: unde videas inſtar ſtipitum ſomnolentos & quaſi elingues ſedere in conviviis opii liguritores. Sæpe oblati mihi ſunt, quos à canino appetitu opii percurarem, ſoſtro centum aureorum promiſſo, ſi hoc citra damnum & vitæ diſpendium præſtitero. Exempla opii voracium non eſt, quod adducam, cùm eorum pleni ſint medicorum libri. Capita papaveris teneriora acetô condita nonnulli in menſâ ſecundâ appetunt; alii alia ex iisdem ſorbilla conficiunt, pro ſuo quique placito. Pergo ad Cannabin.

Qui inebriantium gaudent varietate, vel opii ſapore non admodum capiuntur, illi ab hâc plantâ ecſtaſin petunt temulentiæ. An hæc vera ſit Cannabis noſtras, an ejus quædam ſpecies, *Bangue* dicta, (ab Authorib. Horti Malab. T. X. p. 119 deſcripta) hic non diſquiſivero. Mihi ut ovum ovo in omnibus noſtrati ſimilis apparuit, cùm mas, tum fœmina: adeoque crederem cœlo ſoloque acceptam debere virtutem ſuam. Benjani Gamronenſes ſemen Iſphahano transſcripſerant, ut plantam colerent; ex quo verò progerminavit merè Cannabina, ſatis graveolens, ſed exſors expectatæ facultatis. Nec in Perſiâ genuinæ virtutis eſt, niſi quæ colitur in *Komærèh*, ſeu *Luriſtanâ*, in *Kutelli Pyreſen* apud *Caſeruun* & in agro urbis *Iſphahaan*. Partes ſuppeditat lætificantes: Semen quod *Sjadonéh*, Pollen floſculorum quod *Tſjers*, & Folia quæ *Bæng* vocant. Semen virtutem obtinet debiliorem; Incoquitur cibis, & ingreditur emulſiones, ordinandas ad lætitiæ crapulam inducendam. Alii ſemen ſaccharo ſaleve condunt, veſcendum ad gaudia etiam conjugibus excitanda. Pultes, dum Cracoviæ ſtuderem, ex farina ſeminis Cannabini per jejunia ſæpè comedimus, ex quibus verò crapuloſum me, vel in *Cannabis.*

gaudia effuſum fuiſſe non memini. Pollen floſculis excuſſum protinus per ſubtile linteum cribratur, cribratumq; ſtatim in trochiſcos redigitur. Illud, quod primò & leviori motu tranſit, vocatur *Tſjérſi Gobaar*, eſtque præſtantiſſimum, & interno uſui ſacrum; proſtat ejus libra una quinque argenti unciis. Cognoſcitur præſtantia ex micantibus punctis argenteis, quæ in trochiſcorum fracturis apparent. Quod ſecundo loco, cribro concitato, permeat, vocatur *Tſjérſi Kamèr*, uſu externo ſerviens ad exaltandum vires tabaci; cui accenſo, imponitur particula piſi magnitudinis deflagranda. Quod proſtremò & arduâ concuſſione pervadit, vilior eſt, colore viridans, odoris gravioris, eidem uſui dicatum. Redigitur pollen in trochiſcos, ſeu paſtillos, cum ſputo humano, admoto carbone, cujus calore molleſcit & in maſſam faciliùs convertitur. Bonitatis nota eſt, ſi carbonibus inſperſum citò parumque fumet, deterioris verò, ſi multùm & diu. Foliorum uſus eſt in infuſione cum aquâ frigidâ, quæ pota gaudiis perfundit bibentes, non citra gravem temulentiam. Modum præparandi deſcribam, prout vidi inſtitutum à quatuor *Derwiſſjis* (viris ex devotione mendicantibus) mihi obviis in xenodochio ad fines Indiæ. Hi, & folia quodammodo contrita, & vaſa ad præparationem neceſſaria, levidenſia, in femoralibus geſtabant. Recipiebant foliorum prædictorum manipulos circiter duos, quos affuſa aquâ agitabant; aquam imbutam virulentâ cruditate, expreſſis leniter foliis, abjiciebant; affuſâ aquâ recenti aliâ, quam cum pulvere aliquoties agitatam, denno abjiciebant. Pulverem geminâ vice elutum expreſſumque ſubjiciebant piſtillo, obeſo, ligneo, & in vaſe fictili non incruſtato acerrimè terebant, dum redactus eſſet in pultem. Huic paulatim affundebant aquam recentem, rotabant continuò, & demum per linteum trajiciebant, omni, præter recrementa, permeante ſubſtantiâ; ex quâ ipſe colatus

liquor

liquor vireſcebat. Ex liquore, is qui præparaverat, ſcyphum, capacitatis dimidiæ libræ, ſingulis admetiebatur ſociis, affatim evacuandum, rotato ſubinde vaſe, ne farina ſubſideret. Hoc liquore, velut mero, delibuti & ad lætitiam conformati ſe reddebant itineri. Sunt, qui pulverem cum ſyrupo ſubigunt, pro efformandis placentis & bolis, in eundem uſum deglutiendis. A foliis Cannabinis, velut à potiori inebriantium ſpecie, homines medicamentis inebriantibus dediti, in Perſiâ Indiâque vulgo appellantur *Bengì*. Theombrotion magicum, quod, à Regibus Perſarum comedi & bibi ſolitum, prodit *Plinius* L. XXIV. c. 17; Herbamque, cujus fumo Scythæ abſtemii; & Semen, cujus in ignem injecti nidore Thraces ſe olim inebriaverant, referente *Alex. ab Alex.* D. G. L. III. cap. 9. *Tſjers*, *Bæng* & *Sjadonèb* fuiſſe, non alienum eſt ſuſpicari.

§. III.

Ulteriori Aſiæ, quæ India dicitur & ad Sinam uſque extenditur, varia ſerviunt ad exhilarandum, inebriandum, vel efferandum animos, remedia. Ex numero externorum, præter Tabacum, communiſſimum eſt & in ore omnium verſatur apophlegmatiſmi quoddam genus, Indis *Pinang* & *Bétel* ab admiſſis ſpeciebus dictum. Componitur ex folio, fructu & calce. *Folium*, quod nomine totius plantæ Malabaris *Bétel*, Malajis *Siri* vocatur, ſaporem habet ex Menthâ aromaticum, odorem Malabathri, ſive folii Canellæ ſylveſtris, figuram verò folii Piperis & Cubebæ: quarum plantarum ipſa ſtirps ſcandendi genium faciemq; exhibet; fructu excepto, quem fert rarum, piperi longo ſimilem, ſaporis perquam aromatici, & ad ipſam compoſitionem, ſi haberi poteſt, expetitum. *Fructus* Nux eſt, vel potiùs nucleus, Indis *Areek* & *Pinang*, Perſis Arabibusque *Fuſel* & *Fauſel* dictus, nuci myriſticæ magnitudine & colore variegato ſimilis, ſubſtantiam obtinens

Inebriantia Indorum.

Pinang.

nens ligneam, facultatem cerebrum turbantem & ſummè adſtringentem. Creſcit in quadam Palmâ, cujus deſcriptio extat apud Botanicos. *Calx* non ex lapide minerali coquitur, ſed ex aduſtis oſtrearum & concharum teſtis, ab Oceano in littus depoſitis. Ex his tribus buccella, quam Medici *Maſticatorium* vocant, hoc modo conficitur: Folio *Betel* in trochi formam convoluto (priùs enervato) inditur nucis *arecæ*, in lamellas vel fruſtula diſſectæ, pars circiter tertia; tum momento calcis, fere dimidium ſcrupulum pendente, interior ſuperficies inungitur: quo facto, ne contenta excidant, trochus clauditur, ut fiat bolus tantæ magnitudinis, qui buccam quodammodo impleat. Hic dentibus volutus ac confectus ſalivam copioſam prolicit, prolectamque rubore tingit ſanguineo; dum & gingivis robur, labiis colorem purpureum, & gratiſſimum ori halitum conciliat, &, quod palmarium eſt, cerebrum leviter inebriando ſpiritus demulcet & exhilarat. Uſui ejus omnes Indi, præſertim nigritæ intra Tropicos, non exceptis extraneis ibi demorantibus, mirè ſunt adſueti atque dediti. Sunt, qui domo haud exeunt, niſi velo ventris, vel veſtimenti marſupio, trochis probè inſtructô, nec à mandendo ceſſant, niſi quando comedunt, vel dormiunt. In componendis igitur Betelis mulierculæ, in otio & mollitie educatæ, toto die, plebejæ omni mane occupantur, ut in promptu habeant, quos tum ipſæ manſitent, tum hoſpitibus & familiaribus pro more gentis offerant. Magnates maſticationibus (ſit verbo venia) præ ceteris luxurioſè vacant: unde ora continuo rubore diffluunt; fœdiſſimum aſpectu! dum & difficile eſt, linguâ alieno motu occupatâ, ſermones eorum intelligere. In aulis Malabaricis vidi non procul à Principe ſtare, qui ſubinde novam Betelen porrigeret; non digitis, ſed furcâ tenui, argento obducta, & trochorum apparatu in longam ſeriem adornatâ; exhibendi hic ritus ad aulæ magnificentiam ſpecta-

ſpectabat. In Siamenſi curiâ obtinet, ut illis, qui Regi à conſilio ſunt (*Opra* eos vocant) Betelum receptaculũ præferatur, quô à Majeſtate donari ſolent, artificioſè ex auro, argento, vel metallo ſequiori, pro cujusque dignitate, fabricato. Sine hôc adepto nobilitatis inſigni comparere in Regiâ vel illuſtrium convivio, non audent. Theca illa adornatur capſellâ plenâ calcis, ad unguenti conſiſtentiam præparatæ; ſpathulâ, ad tractandam calcem factâ; forfice ſingularis ſtructuræ, quâ *areca* durior ſine difficultate findi poteſt; & loculis, ad recipiendum folia, nuces, & ex his compoſita volumina ſive trochulos. Folia regio hæc aliunde repetit, flaccida quidem cum appellunt, virtute tamen integra, & diu ſervari apta. His ex penuriâ alii folia Menthæ ſubſtituunt, quæ illorum ſaporem quàm proximè referunt. Ex tribus his ſimplicibus, folium compoſito gratiam ſaporis & odoris tribuit; fructus cerebrum cum voluptate turbat vel inebriat; calx addita vires extricat, vehementiamque caſtigat; ipſius verò calcis acrimonia obtunditur adſtrictoriâ nucis virtute, ſine hâc linguam palatumque miſerè corroſura. Nux parciùs addita impedire non poteſt, quin continuò mandentium linguæ tandem occalleſcant, & guſtûs reddantur impotes; tum & ipſi dentes, quos alioqui firmare ſolet, erodandantur. *Arecæ* plures dantur varietates, & inter has mitioris genii, quæ teneriores ac recens additæ cerebrum minùs turbare perhibentur. Ego, quamcunque ſpeciem reciperem, mandere betelem nunquam potui, quin continuò mihi anxietates, ſudorem frigidum & vertigines, æquè ac tabaci fumus, commoveret.

De Opio, ejusque Perſis & Indis communi uſu, diximus. Addo abuſum execrabilem, qui viget inter Indos nigritas, ad efferandum animos ad homicidiorum patrandorum audaciam; dum vel vitæ ſuæ, vel injuriarum pertæſi, ſe devovent morti, per ultionem & mortes aliorum oppetendæ. Eo fine Opii deglutiunt bolum: ex quo in- *Hamùk.*

Nn nn tenti-

tentionis idea exaſperatur, turbatur ratio, & infrænus redditur animus, adeo, ut ſtricto pugione, inſtar tigridum rabidarum, excurrant in publicum, obvios quosvis, ſive amicos, ſive inimicos, trucidaturi, donec ipſi, ab alio perforati, proſternantur. Actus hic vocatur *Hamùk*, apud incolas Javæ & ulterioris Orientis crebrò ſpectabilis. Vocabuli ſonum ibi horret, quicunque audit; nam qui vident homicidam, illi vocem *Hamùk* ſummopere exclamant: monituri inermes, ut fugiant, & vitæ ſuæ proſpiciant: dum ad extinguendam beluam accurrere debet, quisquis armatus & cordatus eſt. Opii etiam externus uſus eſt apud nigritas: nam eodem aquâ diluto Nicotianam inficiunt, ut accenſa caput vehementiùs turbet. Vidi in Javâ tabernas levidenſes ex arundine, in quibus id genus tabaci hauriendum exponebatur prætereuntibus. Nulla per Indiam merx majori lucro divenditur à Batavis, quàm *Aſiuun*, quô carere adſueti non poſſunt, nec potiri, niſi navibus Batavorum ex Bengalâ & Choromandelâ advecto.

Electuariũ magicum. Ex inebriantibus, apud Indos ditiores, utramq; replent paginam, quædam prorſus magicæ operationis Electuaria, quorum deſcriptiones recipiunt ſemen *Dutr* ſeu Daturæ, ſuccum papaverinum ſive *aſiuun*, pollinem Cannabinum *Tſjers*, aliaque ex phytologiâ venenatâ, pro vario affectu, quem concitare pharmacopœus deſiderat, ſelecta; additis aromatibus, quæ ferociam corrigant, & vitales manducantis ſpiritus roborent. De directione pharmaci ad diverſa pro lubitu inducendum phantaſmata, multa referuntur admiranda, ſed partim incredibilia & fabuloſa, quorum ex numero eſt: quod propinato pharmaco excæcare adulter maritum poſſit, ut præſentis torum inultus conſcendat; referente Nobiliſſimo *Mandelsloo* & *Linſchoto*. Mihi in variis Indiæ regnis verſanti, veritatem ejusdem effectûs explorare non contigit; ſaltem hoc edoctus ſum, quòd ſtupenda in manducantis cerebro excitari poſſint phænomena & phantaſmata, quæ ignari homi-

homines magicè & genii ope fieri facilè crediderint; & credunt revera, de dato pharmaco ejusque effectu haud eruditi. Cujus rei hic annectere placet exempla, quæ propriâ experientiâ didici. Feſtum celebratur in Malabariâ mediterraneâ, in quo tempeſtatum & annonæ caritatis auctori, Idolo ſuo, ejusque Geniis obſidendæ offeruntur virgines Veſtales (Deo *Wiſthnu* ſacræ) ut hâc voluptate conciliatus parcat frugibus & armentis. Obſeſſio in campo publico ſpectanda exhibetur hôc annuo ritu ac ſerie: Virgines, ex templo Brahmenum comitatu eductæ, primùm populo ſiſtuntur contuendæ, pulchræ, bene comptæ, vultibus ad modeſtiam compoſitis & nihil præ ſe ferentibus inſaniæ. Nec morâ, dum ex *Wedàm* (Bibliis gentilibus) verborum formulam ſacerdos prælegit, puellæ leviter moveri, mox tripudiare, demum ſubſilientibus crebris & inconditis motibus fatigare corpus, torquere artus & oculos, ſpumare, & horrendas actiones edere: opinante populo, ita illas agitari ab inductis dæmonibus. Hæc dum aguntur, cymbala tympanaque lætum reſonant, populo etiam voce & ſuſpiriis applaudente. Laſſatas Brahmanæ reducunt in templum & cubare jubent; elapſâque horulâ menti reſtitutas denuo educunt in publicum, ut turba gentilis liberatas à geniis videat, & idolum credat conciliatum. Sed ô lepidam fraudem! Illi Sacerdotes ante primum proceſſum propinaverant opiatum quoddam furioſum, cujus virtute ad hos præconceptæ intentionis actus efferabantur; eò quidem citiùs, quò fortiori motu fermentatio & facultas medicamenti exagitabatur. Alterum pharmacum reductis propinabant, prioris antidotum, quod fermentationem compeſceret: neutrum ſuſpicante turbâ, quia hæc myſteria peraguntur in adyto tenebricoſo, unicâ lampade illuminato, quod templorum tertiam ac poſtremam partem conſtituit; ut eſt tripartita eorum ſtructura. Hæc propinaſſe, mihi referebat probatæ fidei Indo-Batavus, idiomatis bene gnarus, qui

oſtiolo propior caput adyto ingeſſerat, fraudis intrò actæ attentiſſimus ſpectator. Aliud ſub eodem cœlo vidi: In præaltâ machinâ curuli, ex duabus ferreis uncis, per dorſi muſculos adactis, ſuſpendebantur alternè ſeptem nobiles athletæ, unâ manu inſtructi gladio, alterâ ingenti clypeo, ut in honorem Deæ *Rhauni* armis luderent: quia hæc victrix heroina maximè cruore & ludis palæſtricis delectari creditur. Sic illi à bajulis ſpectatoribus Deæ illius templum tribus continuis vicibus circumvecti, arma ſua laniſtarum more fortiter vibrabant; tum etiam caput, axillas, crura hiſtrico lepore, velut per aërem natantes, motabant, ne minimum, ex actionibus & cruenta ſuſpenſione, præbentes doloris indicium. In circum, qui ſuſpendendos ſtringebat, me continuò intrudens, video à Brahmene propinari ex nucis Cocos putamine hauſtum aliquem, procul dubio narcoticum, qui dolores ſopiret, quos à Deo, templi præſide, aboleri, credebat populus. Interroganti mihi, reſpondebat ſacerdos: ſuccum eſſe *Lanſjes*, quem adverſus ſitim & deliquium propinarent. *Lanſjes* eſt nux Cocos immatura, liquorem dulcem continens, qui ſucceſſu temporis coagulatur in nucleum. Aliud in me ipſo & ſociis expertus ſum. Sex Europæi, cum Directore Domino *Lycochthone*, à Benjanis convivio excepti fuimus, in viridario, unâ extra Gamronum leucâ. Inter epulandum, ſingulorum dum bibimus in ſanitatem, Benjani abſtemii, in compenſationem, capiunt bolum inebriantis electuarii, recens ſibi miſſi ex patriâ. Guſtandi avidus obtineo buccellam non contemnendæ magnitudinis; & laudante me ambroſiam, ipſe capit quoque Dominus *Lycochthon*, ceteris exemplum Directoris noſtri imitantibus, præter Dominum *Verdunkium*, qui olim virtutem expertus, ſolus repudiavit. Quid fit? Perfuſi & repleti ſumus, quotquot Nepenthe lactati, gaudio quodam inexplicabili, quali me nunquam in vitâ affectum memini. Nec aliud toxico illo delibutis licuit, quàm amplexus miſcere, loqui parciſſimè, arridere alloquen-

loquentibus,& cachinnis ſe invicem laceſſere. Soluto ſub noctem convivio,ubi equos conſcenderamus,virtus pharmaci,quaſi mutatâ ſcenâ,alia cerebris noſtris creavit phantaſmata. Haud enim aliter nobis viſi fuimus, quàm,cum Pegaſo,volatu per nubes & irides ferri, lucidâ elegantiſſimorum colorum ſpecie undiquaq; obverſante oculis noſtris. Appulſi domum,& cœnæ,quæ nos expectaverat,accumbere juſſi, quicquid quisq; ante ſe invenit,capimus appetitu lupino,& ciborum qualiumcunq; ſapore ita oblectamur, ut cum Diis ipſis cœnare nobis videremur. Poſtridie, gravedo, qualiter ſolet poſt crapulam, (Ruſſi vocant *Pochméli*) nulla cerebrum infeſtavit: ſed diſcuſſis ſomno vaporibus,in ſtatum ſuum reſtituta eſt ratio,& optimè habuimus. Obliteratâ pridiè geſtorum memoriâ,(quam refricabat *Verdunckius*) minimè gaudiorum & incomparabilis,quæ nos foverat, lætitiæ immemores fuimus; recordati etiam (quod ſingulare noto!) metûs ruendi verſus latus dextrum, quo equitantes & euntes continuò angebamur, cujus idea tam fortiter impreſſa, non poterat etiam mente excidiſſe. Habes, Lector, crapulam magicam, à pharmaco inductam: quale ſub noctem ſi propinaveris Melancholico, credet expergefactus, & tortus fatebitur, per aërem ſe volitaſſe in Bructrum, feralem JCtorum vix elapſurus ſententiam.

OBSERVATIO XVI.

Ligaturæ Magicæ Macaſſarorum, ſive incolarum Inſulæ *Celebes.*

§. I.

Ligaturæ variarum gentium ſuperſtitioſæ & inanes.

Ex Indorum magiâ naturali alteram, ſi haud pudicis auribus, contemplatione tamen non indignam depromo obſervationem, de Macaſſarorum deprædicatâ inter Indos ligaturâ: quâ illi virilitatem aliorum ener-

vant & enervatam reſtituunt. Magiam hanc non nuper natam eſſe,patet ex Virgilii Eccloga 8, quæ elumbem hanc artem ſic docet:

Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores,
Necte Amarylli modo, &,Veneris, dic,vincula necto.

Fidem efficaciæ ſubſcribunt priſci omnium gentium doctores, & in cauſis allegandis nil dubitant, naturam in operatione ſuffulcire ope dæmonis. Quin,illuſtrata puriori religione ætas poſterior non adeo obſequio credulitatis & vaniſſimis ſuperſtitionibus renunciavit, ne viros in omni facultate enutriret, qui,cùm in ceteris rebus defæcati judicii & præſtantiſſimæ eruditionis documenta orbi exponant, de hoc tamen argumenti genere ubi diſſerunt, non erubeſcant veſtigia credulæ antiquitatis legere, & ex illis multas cauſas citare. Ex quibus præ ceteris nominare mihi fas ſit *Del Rionem,Arniſæum,Hier.Jordanum* & *Rodericum à Caſtro.* Sed ad Macaſſaros. Eſt huic nationi infractus in bello animus, gravitas in converſatione, &, generoſa indoles, quibus illa dotibus tetricitatem coloris & formæ corporis rependens,nobiliſſima gens nigritarum creditur. In illâ,uti maximè laudatur fides erga fidos reciproca & conſtans, ita nihil culpatur acriùs, quàm arcana & tenax in infidos & perfidos vindictæ cupiditas,quam in annos diſſimulat, donec expleverit. Inde ſequior ſexus maritos & amaſios,perfidiæ in amore reos, ſine pœnâ inducti faſcini nunquam dimittit: generoſè tamen vitæ & viſcerum incolumitati parcens,perfidiæ duntaxat inſtrumentum lædit, in tantum, ne conſueſcere poſſint cum ullâ mortalium, quàm cum uxore, vel cum illâ, cui ſoli fidem ſtipulati erant. Sed & viri,conjuges pari talione cohibent viciſſim,ut,quicunque illis compreſſionem machinentur adulteri, ad quosvis conatus inglorii marceſcant. Hæc magia & faſcinandi conſuetudo à Macaſſaris ad alias migraſſe videtur gentes circumſidentes, præſertim (quantum cognovi) Javanos, Malajos & Siamenſes;

quæ

quæ gentes, vel ex petulantiâ procos & concubinas, vel in ultionem maritos & uxores infideles ligare, & ad rem cum aliis habendam inhabiles reddere, mutuo conſueverunt. Viget faſcinandi hoc artificium, ſed magis fortaſſe ſuperſtitioſum, apud Chriſtianos Orientis; qui inter ſacerdotales cerimonias, præſertim in ipſo puncto copulationis, debilitatem ſponſo inferri ac inferendam declinari per maleficia poſſe, firmiter perſuadentur; & ab his adeo metuunt, ut nulli non magnates & divites copulationis actui adeſſe curent ſagam, quæ ligaturam inhibere, & hôc ipſo à deſponſandis diſſidia ex hoc fonte oriunda declinare noverit. Quod, ut ex ipſis ſæpe auditu accepi, ita copulationibus præſens, his didici exemplis. Dum circa Aulam Ruſſicam verſarer, quidam à latere ſummi Principis, (Dumdiake) mihi familiaris, cum illuſtri virgine nuptias celebraturus, id è primis conſilio utriusq; familiæ agebat, ut adeſſet vetula, magiæ nomine apud *Slabodæ* (ſuburbii à Germanis habitati) incolas celebris, quæ inter ſacerdotales cerimonias, ligantium, ſi qui adeſſent, conatûs, arte ſuâ illuderet. Atqui hanc referebat conſuetudinem in magnatum nuptiis obtinere uſitatam atq; licitam. Quod equidem non mirabar; cùm qui ſuperſtitiones prohibere debeant, Imperator & Patriarcha, ſuperſtitionum tenebris ipſi involuti ac graviter effaſcinati ſint. In Armenorum ſuburbano Civitatis Iſphahanenſis templo primario ad ſolennitates ſponſalium noctu celebrandas, cum Legato invitati, vidimus fortuitò faſcinantem virum, poſt templi oſtium latentem; qui virgulam longam, quam ſub axillâ tenebat, in taleolos muſſitans diſſecaret. Rogatus à Dn. *Leuenanker*, nobili Sueco, qui primus geſticulatorem adverterat: quo fine id faceret? & de reverentiâ loci monitus, nihil dedit reſponſi, nihil ab actione remiſit. Accurrit tandem ex cognatis, qui impedimenta ſubmiſſè deprecatus, narrabat: id juſſu fieri nupturientium, ut ſi quis cœtui intereſſet alligator magus, ejus ille irrita intenta redderet. Hæ

ſuper-

ſuperſtitioſæ & magicæ actiones, uti publicè inter Chriſtianos Orientis permiſſæ ſunt, ita quoq; occultè verſantur inter Chriſtianos Occidentis noſtri, etſi à ſuperſtitionum veneficio Legibus & Religione prohibitos. Nec deſunt iis Philoſophi, qui ligaturas per ſeram clauſam, ligulam conſtrictam, cultrum parieti infixum, aliosve actus in puncto ſacerdotalis copulæ inſtitutos, induci poſſe contendunt; ac præſtigias præſtigiis opponendo, illatas ex tali cauſâ ligaturas mictione per annulum ſponſionis, vel per anſam lapidis ſepulchralis, ſimilibusque ineptiſſimis phylacteriis, nullis naturæ cauſis nitentibus, curandas, publicè docent. Indignam ſanè Philoſopho ſententiam! Nam infallibilis veritatis regula eſt: (docente *Sennerto in Hypom. Phyſ.*) *Nihil agere ultra vires ſuæ ſpeciei;* quominùs affirmare congruum eſt, conſtrictiones, compreſſiones ſerarum, vel ceteras ſagarum geſticulationes & verba muſſitata, quicquam poſſe exſerere virium; niſi fortè in animo ſuperſtitioſi hominis, qui imaginatione ſuâ influentes ſpiritus ad membrum expandendum requiſitos, nullô negotio impedit, vel promovet: quos verò & ipſe pudor non raròin noviter nuptis ligat & ab officio retinet; ſolvit deinde ac reſtituit conſuetudo & longior familiaritas. Qui effectus iſtos per incantatoris intentionem & vim imaginativam, in alius perſonam & corpus directam, explicare laborant, actiones immanentes & tranſeuntes malè diſtinguunt; &, *Verulamio* licet atq; *Helmontio* ſibi præſidibus, ſententiam ſuam explodendis exponunt abſurditatibus.

Macaſſarorum ligaturæ in ſpecie.

§. II.

De Indorum, ac in ſpecie de Macaſſarorum, ligaturis paulò fortaſſè mitiùs ſentiendum eſt; quòd non ſolis peragantur actionibus vanis & ad rem nihil facientibus, ſed præterea requirant modos mediaque naturalia: quorum effluviis & magneticâ conſpiratione quandam mentis alienationem excitari in adultero, & accedente levi conſcien-

tiæ

tiæ & imaginationis motu, ſpiritus animales, fluidiſſima illa & nutu mobiliora corpuſcula, ab illapſu revocari; vel per me licet, quacunq; alia ratione, mihi quidem occultâ, flaccidam conſtitutionem in momento induci naturaliter poſſe contendas: quandoquidem obvia ibidem exemplorum copia vix permittit de effectu dubitare. De hâc ligaturâ jculariter multa mihi narraverant alii, quibus ego, velut otioſorum commentis, attendere nunquam fui dignatus. Incidi forte fortuna tandem in militaris officii juvenem conterraneum, ingenuum & athleticæ valetudinis, mihi obvium in expeditione contra rebellem Principem, Belgis Capitain Juncker dictum, in Inſulâ Iavâ majori. Hic, quòd mihi credebat, ex Macaſſariâ ante biennium in Belgium reverſus, cum nepti domeſticâ magiſtri Cameræ Amſtelod. Ind. Or. (Bewind hebbers Nichte) iniverat conjugium: cujus ſacra celebraturo (prout ante abitum conſueverat) ad quævis tentamina flaccuit priapus, fortis alioqui in hoc campo pugnator. Recordatus amaſiæ Macaſſarienſis, cum quâ ad pactum tempus (ita mos eſt illic terrarum) conjugum more vixerat, quod verò ante diſceſſum, comprimendo aliam, violaſſet: facilè ſe ab illâ faſcinatum, & cum illatâ pœnâ dimiſſum intelligit. Cum Patroni igitur commendatitiis reverſus in Indiam, permiſſus eſt à Senatu, qui locum repeteret, in quo captivam reliquerat virilitatem. Quam, quòd in vitis eſſe amaſia deſiiſſet, multa cum difficultate, ad ſententiam tamen, recuperaverat, nunc cum ſpolio reſarti vigoris remigraturus in patriam. Hiſtoriolam lepidam & rarioris exempli mihi viſam, cum Bataviæ in illuſtri ſympoſio recitarem, reſpondit Gn. Dn. G. D: Haud ſibi exempla ejus farinæ peregrina eſſe; perſæpe cum commendatitiis reverti ad priſtina hoſpitia mittendos, ut corrupti articuli ſtatum redintegrent; & de veritate me nihil dubitare juſſit. Narratiunculis dehinc attentior, plenam ubique inveni exemplorum hujus argu-

menti copiam; cujus me promum condum hîc non exhibebo; ſed ut me expediam, ſaltem pro coronide adjiciam ipſum ligandi ac ſolvendi artificium, arcanum, quod anili ſagæ, medicinam facienti, pretio & precibus extorſi; haud inficianti, plures dari ligandi modos, ſed minimè comparandos cum arcano noſtro, utpote longo uſu & experientiâ probato. Verba vetulæ ſunt: *Puella amaſium, vel conjux maritum, ligaturus, abſtergat à concubitûs actu mentulam induſio, vel quolibet linteo, ut ſeminis quantum poteſt, excipiat. Hoc linteum probè convolutum ſub limine domûs ſuæ in terram ſepeliat: ibi quàm diu ſepultum reliquerit, tam diu ejus haſta, in nullius, præterquam ſui, (faſcinantis) ſervitium obediet, & prius hôc nexu non liberabitur, quàm ex clauſtro liminis liberetur ipſum linteum. Vice verſâ: Lecti ſociam ligaturus, menſtruatum ab eâ induſium, ſive linteum quodvis menſtruo cruore abundè pollutum, comburito. Ex cineribus, cum propriâ urinâ ſubactis, efformato figuram priapi; vel, ſi cineres icunculæ fingendæ non ſufficiunt, eosdem ſubigito cum parte terræ, quam recens perminxerit. Formatam iconem cautè exſiccato, ſiccamque aſſervato locô ſiccô, ne humorem contrahat. Quamdiu ſic ſervaverit, omnes arcus, dum ad ſcopum ſociæ collimaverint, momento contabeſcent. Ipſe verò dominus cum optato fruiturus eſt gaudio, Alrunum hunc ſuum prius humectato; qui, quàm diu madet, tam diu, ſuſpenſo nexu, mentula ipſi parebit; quin & aliis, quotquot ad hanc metam properantes fœmina admiſerit.* Hæc Illa. An quid ſympathiæ & magneticæ virtutis ſublateat? judicent alii, me doctiores; ego ſaltem relator Obſervationem hanc, ob amabilem lectionis varietatem, inſerui.

AMOE-

AMOENITATUM EXOTICARUM

FASCICULUS IV.

Continens

RELATIONES BOTANICO-HISTORICAS

DE

PALMA DACTYLIFERA,

in Perſide creſcente.

Catalogus Relationum
FASCICULI IV.

Relatio 1. Introductio ad Palmæ hiſtoriam.
2. Palmæ hiſtoria generalis.
3. Ejusdem cultura.
4. Palmæ deſcriptio botanica.
5. Palmei fœtûs hiſtoria & anatomia botanica.
6. Palmæ hiſtoria naturalis & œconomica. *Sive:* de Palmæ fœmineæ imprægnatione, & ratione tractandi Dactylos.
7. Peregrinationes ad palmeta.
8. Diætæ, Stationes, Aquaria & Hoſpitia circa illa.
9. In palmetis hoſpitantium occupationes.
10. Palmæ uſus. Hiſtoriæ epilogus.

RELATIO I.

Introductio ad Palmæ hiſtoriam.

§. I.

Phœnix reſtitutus.

Introitus.

Palmam heic ſiſtimus dactyliferam, elegantiſſimam Orbis, & Aſiæ citerioris copioſiſſimam arborem; arborem, quæ, torrentis cœli ſui ac ſoli natalis invicta injuriis, in excelſum faſtigium ſuperbo vigore enititur, & uberrimâ lautiſſimorum fructuum annonâ poſſeſſores ſuos cumulat. Ex quibus illa felicitatibus glorioſè meruit, ut eam literatus orbis Conſtantiæ, Fortitudinis, rerumque præclarè geſtarum notam atque inſigne conſtitueret. Injurius ego in dignitatem arboris, & ingratus in beneficentiam videar, niſi lectiſſimam ejus hiſtoriam, quæ à Botanicis obiter delineari, à Philoſophis & Poëtis contaminari etiam figmentis ſolet, plenâ diſquiſitione vindicem, atque hôc ipſo meritas reponam grates almæ nutrici, quæ me ultra biennium dactyliphagas inter Perſidis Arabiæque gentes fructu mellIgeno ſuſtentavit, umbrâ verò, quamvis tenui ſua, ab ardente Jove gratioſè protexit. Penſum ita perſequar, ut arboris natales, ſtructura, cultus, fœtura, patria, dactyliphagi populares, eorumque mores & ratio vivendi, & quæcunque ad hiſtoriæ integritatem ſpectaverint, Palmæphilo Lectori innoteſcant: tantum materiæ apparatum ſingulari Faſciculo complexurus.

In diſſertationis limine nos morari jubet famoſa illa & tantopere ab auctoribus deprædicata *Avis Phœnix;* quæ cum arbore noſtrâ uti Græcæ appellationis τῦ φοίνικ@-, *Phœnix Arabum.*

 ita

ita quodammodo patriæ & fortunæ particeps eſt: ex quo, ut paucis eam contemplemur, argumenti ratio poſtulat. Patria illius Arabia eſt, deſerta illa & perpetuis ardoribus æſtuans; in quâ unica dicitur & ſine pari exiſtere, inſolentiâ quam natura ſtupet, & quam demirata antiquitas Avem ipſi Soli ſacrare dignata eſt. Forma illi eximia eſt, magnitudine aquilæ, cujus caput & collum aureo nitore fulgent, vertice longis plumis criſtato: vaſtum pectus & caudam laxiorem cœruleus, roſeô interpunctus, color, reliquam ſuperficiem purpura, variis coloribus diſtincta, inſigniter commendant. Omnium autem viventium maximè longæva eſt: cujus vigorem nec vernaculus ardor cœli, nec ulla infirma ægritudo corporis; vitam verò nec fati neceſſitas terminat: quippe quæ pluribus defuncta ſeculis, (quorum de numero auctores diſcrepant) quaſi annorum, quos vixerat, ſolum numerum pertæſa, ex ferali buſto, quod ſibi ex aromatibus ſtruxerat, repueraſceret, felicem ſubitura prioris vitæ periodum. Sic inquam Græca fides, ſic Latina à Græcis adoptata Phœnicem deſcribit Arabum.

Phœnix Sinenſium. Si permiſſum eſt procul excurrere, audeam in ſcenam huc ducere, ac Phœnici æmulam affirmare Sinenſium 鳳 *Foo*, vel, ut pleniùs ſcribitur, 鳳凰 *Foo woo*, avem apud antipodes æquè celebratam, atque in noſtro hemiſphærio Phœnix eſt. *Foo woo* enim deſcripſerit, paucis exceptis, qui ipſum Phœnicem: quo cum Sinenſis illa de originis & felicitatis primatu non injuriâ fortaſſe contenderit. Scribitur enim unicus & perfectiſſimus eſſe naturæ partus in Volucrium genere, Ein Meiſterſtück der Natur; partus equidem in ipſo æthere excluſus, & eo ipſo demiſſus tempore, quô ex fœcundiore cœli, ut loquuntur, cum terra coitu naſcebantur in quadrupedum genere animal exquiſitiſſimæ pulchritudinis & virtutis, *Kirìn* dictum; in ordine verò humano *Sédſin* aliquis, id eſt, perfectiſſimus inge-

ingenio & virtute homo: cujusmodi fuiſſe perhibentur doctores *Rooſj*, *Kooſ*, noſtratibus *Confutius* dictus, *Sjaka* & alii pauciſſimi. Avis hæc à Sinenſibus, &, qui eorum religione & ſcientiis imbuti ſunt, finitimis nationibus, creditur auſpicatiſſima nuncia felicis ſeculi, hominum amans, cœlitibus dilecta. Magnitudo illi decens eſt, forma eximia, cui nullus deficit articulus pulchritudinis: Hanc præſertim criſta commendat excelſior, collum & crura longa, cauda longis plumis luxurians, & cum reliquo corpore, triade colorum, rubeo, cœruleo aureoque eleganter diſtincta. Longævitatem in Phœnice miraris, in *Foo woo* ſanctitatem ſtupeas: Rigorem enim religionis Pythagoricæ inimitabili exemplo referens, graminis externa tantùm depaſcit foliola; ne herbulam, immortalis quoque animæ habitaculum, occidione deleat; greſſus verò eâ cautione dirigit, ne animalia offendat vel maximè exilia, vel eorum frangat ova: quibus tamen omne terræ ſpatium (microſcopiis & ſubtiliori philoſophia teſtibus) abundare dicitur, ut proferre pedem, ſine inferendâ clade, ſit difficilimum. Interitum vix habet, quòd ex mortalium ſcenâ ad æthera rurſum ſublata, ubi maneat, dici non poſſit. Hæc igitur felicitatis augurium & index habita, ſæpè à Sinenſibus, velut ab Ægyptiis Scarabæus, rerum dicatur auſpiciis; initia librorum, Principum conclavia, & rarioris artificii mappæ tabulæque, imagine ejus frequenter inſigniuntur; quin & orationibus votivis & gratulatoriis apud literatos argumentum præbet atque gratiam. Adeo inquam in multis *Foo* Phœnici videtur ſubſtitui, ut diceres ipſum eſſe, vel ex ejus hiſtoriâ evolâſſe ad antipodes.

Verùm enim verò, figmenta ſunt diverſæ originis: quam (miſſâ Sinenſium ave) Phœnix noſter inveniſſe videtur in hieroglyphicis cunabulis Ægyptiorum; niſi fortè *in ipſâ excluſus Arabiâ, poſt longum ſeculorum*

ambi-

ambitum (verba ſunt ita referentis Taciti *L. VI. Ann. c.* 28.) *demum in Ægyptum dederit.* Inde igitur ab advenis Phœnicenſibus ſuſceptus, (nam per hos notitiæ migrabant) ad transmarina enatavit littora Græcorum: à quibus nil mirum eſt, ſi non recluſis analogiæ myſteriis, in Romanorum quoque fidem conceſſerit, & oratores pariter ac poëtas, quin & hiſtoriarum monumenta, eximii leporis & plena admirationis fabula nullo negotio occupaverit. Nec enim dubitârunt omnium ſeculorum auctores opinioni de prodigioſæ volucris exiſtentiâ ſuffragari: ex ſecularibus *Herodotum*, *Plinium*, *Solinum*, *Ælianum*, *Philoſtratum* novimus; *Clementem Romanum*, *Cyrillum*, *Epiphanium*, *Ambroſium*, *Lactantium* ex Eccleſiaſticis; taceo in utrâque claſſe recentiores. Videris ætate quoque noſtrâ ſcholarum heroas, quos tantâ pervicaciâ inceſſit Phœnix, ut veris rationibus malint, quam opinioni de exiſtentiâ ſpecioſiſſimæ volucris, parentare: quaſi ex interitu tot argutiſſimarum, quas illa præbet, inventionum, Reipublicæ literariæ ſaluti metuant. Tacebo nunc commenta Aſiæ, inter Indum & Gangem poſitæ, in prodigiis admittendis facilimæ, & in retinendis tenaciſſimæ partis terrarum; quæ inter antiqua ſuperſtitionum cum Ægypto commercia avem Phœnicem amplexa quoque videtur: neſcio, quas non prodigioſas de eâ affectiones ſomnians; illas verò, ſeu Patriæ immemor, ſeu figmenti conſcia, non quidem in deſerto Arabiæ, ſed circa Imamum montem & inacceſſam Gangis originem, quaſi in Utopiâ, collocat. Quid autem myſteriorum ſtudioſa gens per Phœnicem deſignaverit? an aurato capite cœlum? an pectore cœruleo mare? an verſicolore corpore plantigeram tellurem? an corpore toto univerſum mundum, qui elapſo anno magno Platonico revolutionem paſſurus ſit? Ita quidem *Deuſingio*, *Laurenbergio*, *Kirchmeyero*, aliisq; perſuaſum eſt, minimè verò iis, qui cum Ægyptis Arabibus-

Phœnix Indorum.

busque verſati, ſenſûs hujus myſtici ne veſtigium inveniunt in ipſis regionibus, quæ primam dedêre lucem Phœnici. Quid moror? In τοῦ φοίνικος, ſive Palmæ dactyliferæ, argumento, arboris omnium principis, Phœbo dicatæ, venuſtiſſimæ, feliciſſimæ & maximè longævæ, natales ſuos nomenque invenit Phœnix ipſe plumoſus; Et per Phœnicem nihil unquam aliud priſcis, niſi Palma noſtra deſignata eſt; Alæ frondium ordines alatos indicant; decus plumarum, pinnatam ſeriem foliorum; renaſcens illa ex igne origo, ardorem ſignificat, in palmiferis Arabiæ deſertis maximè intenſum, qui cum ceteris viventibus ferat interitum, Phœnici tamen noſtro ortum & vitam, partibus omnibus incrementum, caudici firmitatem & robur, fructibus maturitatem & perfectionem tribuit. Ceterùm & vita utrique longæva, Soli utraque ſacrata, par fama & gloria, idem denique nomen eſt. Atque ſic recluſo, ſi quod eſt in fabulâ, analogiæ myſterio, reciprocam hîc reddimus ex ave in arborem metamorphoſin: eam hoc loco ſtatuentes & reſtituentes Phœnicem, quæ in Perſiæ non minùs, quàm in Arabiæ Ægyptique æſtuoſo ſolo longæva perennat *Arbor Dactylifera*, Latinis Palma, Græcis φοῖνιξ, Arabibus Perſisque نخل *Nachl*, Ormuſienſibus مغ *Mogh*, eorumque finitimis مخ *Moch* appellata. Quam ipſam dum ſub diſquiſitionis incudem vocamus, à contemplatione noſtrâ excludimus alius terræ geniique arbores illas, quibus vel ex frondium gradatâ diſpoſitione, vel ex verticis circa mediam gemmam circumfuſâ comâ, vel ex harmoniâ partium fœturæ, puta ſpatharum ſpadicumque, vel tantùm ex individui caudicis ſimplicitate, vel quocunque charactere alio, Palmarum civitas indulta eſt.

§. II.

Palmarum genera.

Omnes plantas ſub amplo Palmarum nomine per uni-

verſam Aſiam extantes in tres ordines disjungo; ſic enim ipſa eas divellit maximè obvia & perennis differentia foliorum: Primus ordo Palmas folio Adiantino, alter flabelliformi, tertius arundinaceo exhibet dotatas, & in hôc poſtremô Phœnicem quoque dactyliferam, Palmam κατ' ἐξοχὴν & ſine addito ſic dictam; Omnium quippe Palmarum, quin arborum omnium facilè Reginam, perfectiſſimumque in Regno Vegetabili ſuperbæ gravitatis exemplum. Niſi fortè principatum ſibi arrogaverit Palma folio arundinaceo, *Cocos* dicta; quæ noſtræ vix cedit, ſive formæ totius ſimilitudine, ſive uſûs, quem vitæ humanæ præſtat, varietate, ſive potiſſimùm ſui copiâ & multitudine: quâ, ut illa in omni citra flumen Indum Aſiâ æſtuoſâ, ita hæc in omni Indiâ Tropicis concluſa, ceterarum arborum numerum conjunctim omnium evincit, extra eos verò limites, quod notabile eſt, nullâ arte ſe propagari patiens. Quam verò *Cocos*, velut nuciferam & à pruniferâ noſtrâ diverſam, à Phœnicis tractatione excludimus. Initio de dactyliferâ, vel de omni fortaſſis Palmâ dubitaveris, cuinam ſtirpium claſſi aſſocianda ſit? Nam Herbis & Fruticibus accenſeri, vel ob celſitudinem non poteſt; nec referri inter Arbores, quæ arboris leges indolemque reſpuit; nuſpiam cortice veſtita, expers ligneæ ſoliditatis, & per ramos ſurculosque haud divaricata. Peculiarem igitur ſubire cenſum popularium judiciô videtur, qui eandem مُغّ او نَخل *Moch* vel *Nachl* ſpecificô, quàm Arboris دِرَخْتْ *Diràcht*, communi vocabulo appellare malunt, & Palmetum proprio nomine نَخلستان *Nachliſtaan*, vel antiquiori & oræ Perſicæ uſitato nomine مُغَستَان *Mogheſtoon*, non دِرَخْتِسْتَان *Dirachteſtaan*, id eſt, arboreti, indigitant. Enim verò, dubitationes has non adeo moramur, ut ex arborum ordine eam excludamus; haud integrum ducen-

centes, ut Fungis & Muſcis, ſic vel Palmis aliud inter Plantas, quàm quô à Botanicis dudum donatæ ſunt, præter neceſſitatem genus conſtituere. *Theophraſtus* ſanè: *Planta*, inquit, *res varia eſt atque multiplex, inque univerſum de eâ referre judicium, difficile.* Hiſt. Plant. L. 1. c. 2.

RELATIO II.

Palmæ hiſtoria generalis.

§. I.

Species.

Palma Sylveſtris Perſica.

Expedit autem ante arboris noſtræ introductionem duplex indicaſſe, Sylveſtre nimirum & Hortenſe, genus. Illud per deſertas valles & circa torrentium ſalſorum ripas creſcens, formam gerit indecoram, tortam & humilem, folia hortenſi multò longiora, firmiora & ad textilia opera magis expetita, fructus verò ut rariſſimè, ita non niſi auſteros & inutiles; ex quo, ceu futile, & palmeo nomine indignum, peculiari appellatur nomine ابو جهل *Abudſjehl*, quod Arabicè Patrem inſcitiæ ſignificat. Creditur ex ipſis ortum eſſe hortenſium dactylorum oſſiculis, quorum germen in ſterili ſolo, nullâ quidem auxiliante culturâ, in agreſtem proſapiam degeneret, ſi deinde radicum traducibus propagetur. Ruricolæ ſic referunt, penes quos fides ſit. Sylveſtri claſſi accenſenda venit parva quædam Palma Indica, quam copioſam *Ceylana* Inſula, ſub nomine *Hin Indi*, id eſt, pumilæ Palmæ; rariorem *Malabaria* ſub *Katuu Indel*, i. e. Sylveſtris Palmæ, rariſſimam terra Gangetica, ſub Telingicæ (mediterraneum idioma eſt) vocis *Ni Peris* appellatione videndam exhibuerunt, Dactylos ferentem minores, rubros, quodammodo edules, carne farinulentâ, ex quâ coctionis ope mellis ſpeciem Indi nonnunquam eliciunt; deſcri-

Palma ſylveſtris Indica.

pta ab Horti Malab. auctoribus Part. 3. Ab eâ non differre niſi natali ſolo videtur procerior oræ Guſurattenſis Palma, quæ inebriantem liquorem تاري *Tarì* (pariter, ac per univerſam Indiam Palma *Cocos* potum vinoſum, *Syri* dictum,) ex præciſis ſpadicibus effundit; mitior verò, veræque Palmæ admodum æmula eſt, quoniam terræ natalis humente ſabulo, modico ſale nitroſo, & fervore fota (quibus mirè Palmarum genera delectantur) in ejusdem proceritatem generoſè enititur. Vulgus in Perſide & Arabia agreſti familiæ annumerat arborem ſuam Bdelliferam دوم *Duum*, aliis مقل *Mokhl* dictam, cujus Gummi مقل ازراق *Mokhl Aſrak*, apud myropolas utriusque regionis, proſtat venale, ex fructuum decocto, quod perhibent, inſpiſſatum, coloris rufi, pellucidum & ſincerum. Arbor hæc ipſa eſt, quam in Paradiſo quoque germinaſſe, indicat Hebræorum vocabulum בְּדֹלַח Arabum voci مقل ازراق Bdellium denotanti, dubio procul æquivalens; nunc ejusdem ferax tantùm eſt felix, quà Sinum Perſicum reſpicit, Arabia, & huic adverſa ora Perſidis جاسك *Dſjask*, noſtris *Capo de Jasques* dicta, unà cum vicino deſerti ejusdem circuitu, quem κατ᾽ ἐξοχὴν & velut proprio nomine بيابان *Biabuun*, id eſt, deſertum appellant. Quam ipſam verò arborem mihi haud viſam, nequaquam Dactyliferæ ſpeciem eſſe, ſed ſylveſtrem Palmam nuciferam folio flabelli formi, αὐτόπτης mihi retulit attentiſſimus in Oriente Botanicus, *Herbertus Jagerus*, Vir inter Philoſophos & Gymnoſophiſtas eximiæ auctoritatis, cui fidem ſubſcribimus: Crediderim hanc eſſe *Bdelliferam Chamæryphem Serapionis*.

Palma ſylveſtris Bdellifera.

Mitis altera & hujus loci Palma eſt, quam naſcendi fortuna melior, humanæ curæ & culturæ ſubjiciens, Horten-

Palma Hortenſis.

tenſem eſſe voluit, ſpecifice Palma Dactylifera, & ſecundum eminentiam, *Palma* ſine addito, Phœnix veteribus, Perſis خرما نخل و نخل مغ *Moch, Nachl* vel *Náchli chormà* appellata; cujus, ſed potiſſimum in Perſide naſcentis, hiſtoriam perſequimur.

§. II. Patria.

Ejus Patria, in Aſia quidem, (nam Africam non moramur) omnis eſt Arabiæ Perſidisque tractus, qui ab Indiâ ad rubrum mediterraneumque maria protenditur, verſùs meridiem Oceano circumfuſus, verſùs boream trigeſimum ultra citraque gradum attingens altitudinis. In quo verò nuſpiam Palma magis luxuriat, quàm iis in regionibus, quæ ſitu propiore Sinum ambiunt Perſicum; quales ſunt: verſùs meridiem, Arabia Maskettenſis, felix quoque nuncupata, ex ubertate dactylorum, quibus & cives ſuſtentat ſuos, & citeriorem quoque Indiam alit; Verſùs orientem, *Carmania* deſerta, nunc مکران *Meckraan* dicta, ad سندی *Síndi* provinciam usq; ſive Indi fluminis alluvionem; ultra quam, teſte *Garzia*, nullum Palmæ hujus eſt veſtigium: ut mirer, unde *Georgio Anderſonio* Dactyli venerint in Kara Kitaja. *Itiner. Lib.* 2. *cap.* 10. Sanè, qui ejus arboris natale longiùs in orientem protulerunt, quique Palmarum vel folia pro papyro expeti, vel ſpadices earum vini feraces eſſe retulerunt, illi vel congeneres ſylveſtres, vel Palmas nuciferas cum dactyliferis confuderunt, quale non eſt viatoribus indoctis, vel ſupinis, errorum genus inſolens. Verſùs occidentem; quicquid terrarum ex Babyloniâ per Suſianam ad Baſrenſæ usque protenditur illuſtre oſtium illud, quod Euphratis Tigridisque aquas, communi alveo شط العرب *Sjet el arab* receptas, in Sinum Perſicum effundit, atque inde dacty-

lorum magnam vim ad exteros mari dimittit. Verſùs Septentrionem antiquæ veræque Perſidis فارس *Fars* dictæ pars auſtralis, quam ad Orientem *Carmania*, ad Occidentem *Suſiana* terminat. In hâc verò nulla eſt ditio, quæ caryotarum vel delicatiori genere, vel majori affluentiâ dotetur, quàm جهرم *Dſjahrom*, ex quâ illæ per regni univerſi partes & provincias (quas omnes incolæ nomine ايرون *Iruun*, nos, non Perſidis, ſed Perſiæ vocabulô complectimur) ipſamque in Tartariam & Georgiam pervehuntur. Ex ceteris territoriis ditiori annonâ gaudet provincia لار *Laar*, & quam hodie includit, داراب *Daraab*; Carmania item, nunc كرمان *Kirmaan* appellata; & inprimis ea provincia, quam Sinus ſæpè dictus alluit, ab inſulâ جرون *Dſjeruun*, (noſtris *Ormus*, vulgo Perſarum هرموز *Hormuus*) *Dſjerunaat* denominatur: cujus ego nunc ſqualidæ ac torrentis terræ in amplexu, ſub umbrâ Palmæ arboris, deſcriptionem hanc meditor. Rectè dictavit *Strabo*: *Regio* (Perſis) *magna ex parte nuda, nihil habet præter frutices & Palmam, quæ in Babyloniâ & Suſianâ & in orâ Perſiæ & Carmaniâ permulta eſt*, de Situ Orbis Lib. XVI.

Cœlum & Solum.

§. III.

Cœlo Palma gaudet torrido & æſtuoſo, terrâ autem ſabuloſâ & limoſâ, levi & nitroſâ: ex quo igitur ceteræ ſtirpes intereunt, eodem loci geniô arbor noſtra delectari, imò ſolô foveri dicenda eſt; quandoquidem in cœli benignioris regionem, fundum licet opimum, transplantata, vel emoritur protinus, vel, ſi vitam ſervet, ſterilis & parva conſeneſcit. Idem obſervavit *Theophraſtus*: *Caloris*, dum ait, *avida eſt, & frigidum ferre nequit, fructifera*

verò

verò ſterileſcit in Græciâ. Hiſt. Lib. 2. cap. 9; & *Plinius: Nulla eſt*, inquiens, *in Italiâ ſponte genita, nec in aliâ parte terrarum, niſi in calidâ; frugifera verò nusquam, niſi in fervidâ.* Lib. 13. cap. 4. Sanè, quò Palmarum feracior eſt regio, eò ut plurimum inclementioris cœli & magis ceterarum rerum inops eſt, præſertim aquæ dulcis & fluminum; incolas proinde non habens, quàm plebejos & fortunæ tenuioris, qui dactylis, vix aliâ eduliorum ſpecie, ſuſtentari, & vitam degere in ſqualore & inopiâ à teneris conſueverunt. Indolem cœli ſatis expreſſurus videor, ſi omiſſis reliquis, ſaltem calamitatum caput, auram ejus ferventem nominavero. Hæc æſtate palmiferas regiones cùm infeſtet promiſcuè omnes, tum verò circa littus Perſicum ſupra mortalium tolerantiam & vires intenditur. Cauſa eſt, quòd Sol æſtivus nullo hîc imbrium humore, nullo nubeculæ velo unquam mitigetur; in Tropico verò exiſtens, itu redituque circa popularium vertices multò diutiùs, quàm in ceteris cœli partibus, commoretur, ex quo hæc zona æſtum ubique terrarum patitur; præterea, quòd campos hîc inveniat merè ſabuloſos, adeoque fovendis radiis tenaciores, præſertim verſùs boream clauſos montibus præaltis, qui, ut auſtrum calentem ſiſtunt, ita verò arcent expectatum ab illâ parte aquilonem. His pondus prægrave addunt ſingularis notæ Venti, ex auſtro-occidente poſt meridiem flantes, æſtuoſi adeo, ut ex orci faucibus propelli magis formidandi nequeant. Incolæ eos vocant *Baadi ſamuur*, barbaro ipſis nomine & venenati quidpiam inſinuante; rectiùs Circios infernales appellaverint; ex eorum quippe occurſu, præſertim in turbinem ſi agantur, viatores nonnunquam proſterni, & præcluſo ſpiritu ſuffocari contigit, niſi linteô madefacto faciem operiendo ſuffocationis periculum declinaverint; quo fine nemo facilè ſine plenâ amphorâ iter hôc cœlô occipit. Res prodigio ſimilis, & ut à nemine

Æſtus in littore Sinûs Perſici.

mine hactenus memorata, ſic ex naturæ principiis nondum deciſa eſt: Cur ſtygii iſti flatus, cùm flammæ inſtar ardeant, liquores tamen ac madentes pannos contactu ſuo algidos reddant; quin etiam reconditos intra cameram & non contactos mediocriter refrigerent? Certè, qui à corporis loturâ (quam hic in detrimentum amamus advenæ) ex ciſternâ madentes prodeunt, ab hoc vento afflati, vim frigoris percipiunt intolerabilem, ac pene funeſtam, niſi ſubito inareſcens cutis, moleſtiam cum madore rurſum deponeret. O Arctoum filiis ingratum & inhoſpitale cœlum! Perperam *Hornius*: *Solum verſùs Sinum Perſicum fertile ac crebris fluminibus irriguum, interiora verò* (Perſiæ) *perpetuis caloribus aduſta & ſterilia*, notat *Orbe Pol. P. IV.* Rectiùs iterum è priſcis *Strabo*: *Ora*, inquiens, *maritima æſtuoſa eſt ac ventoſa, & fructuum inops, præterquam Palmarum, de S. O. L. XV.*

Sexus.

§. IV.

Sexum Hortenſis Palma, de quâ ſolâ agimus, duplicem agnoſcit: Maſculinum, qui rarior, & Fœmininum, qui copioſiſſimus eſt; ille florifer ſine ſubſequente fructu, hic absque præcedente flore fructifer ſolùm eſt; ſecus ac ſtirpes ceteræ, quas naturam feciſſe ἀνδρογύνους comperimus. Deceptus proinde fuit *Johannes Bauhinus*, cum *Hiſt. Pl. c. de Palmâ*, in eâdem arbore, tam flores quàm fructus vidiſſe ſe, ac ipſos decerptos poſſidere teſtatur contra *Geſnerum*, qui Palmas arbores circa Monſpelium ſteriles memoraverat, fide fortaſſis potiori: ſiquidem negare fas eſt, decidua dactylorum in fœminis initia, fructuum mereri nomen. Nullæ ſexûs, quibus diſcernas, intercedunt notæ, quam hæc diverſitas partûs; ante cujus eruptionem mares à fœminis ægrè dignoveris. Palmicolæ tamen perſpicaciores ex frondium & caudicis liberaliori quodam vigore ac pleniori habitu mares colligere longo uſu didi-

Tab. I. p. 673




Tab. I. p. 673
F. 1
F. 2
F. 3
F. 8
F. 10
Brandshage sc.

didicerunt. Idem affirmo de thecis ingraveſcentibus, quas mares exhibent præter morem fœmineum largiores, craſſiores & magis pendulas, præſertim brevi ante rupturam, ſive partûs excluſionem.

§. V.

Generatio Palmæ.

Duplicem Palma agnoſcit ortum: vel enim ex plantato genuino ſemine, videlicet ex dactyli Oſſiculo, progerminat; vel αὐτόγον©, ſive ſponte genita, prodit ex radicibus alius Palmæ, tanquam ex materno ſinu. Ex Oſſiculis progenies utriusque ſexûs naſcitur; ſed quem ante fœcunditatem, quod dixi, vix dignoveris. Αὐτόγον© ſoboles ex maris gremio perpetuò florifera, ex fœmineo verò dactylifera prodit, & ſexum refert parentis, ex quo nata eſt. De utriusque productione nunc ſpeciatim.

Ex Oſſiculo legitima.

Oſſiculum plantam progenerat peregrinâ à parente ſuo facie; quâ per annorum aliquot infantiam ſervatâ, per varios incrementi ordines Palmæ arboris formam pedetentim induit. Hos ordines primùm nunc exponam, ab ovo, quod ajunt, orſurus. *Oſſiculum*, (*vide Tab. 1. Fig. 1.*) cùm in terrâ trimeſtre, vel pro ſoli genio longiùs, ad ſpithamæ profunditatem plantata jacuit, ex umbilico ſuo (punctum eſt in gibbâ parte) protrudit carunculam ſubſtantiæ tenerrimæ, teretem & candidiſſimam: ex quâ deinde, ſenſim intumeſcente, omnes partes arboris ſucceſſu temporis propullulant. Hæc inquam caruncula in uncialem longitudinem paucos intra dies protenſa, primò menſe radiculam triuncialis longitudinis, ſimplicem & tenuiſſimam in perpendiculum demittit; dum ſupernâ parte dehiſcens cylindrum protrudit carnoſum, album, teretem, longitudinis uncialis. Altero tertioque menſibus (*Fig. 2.*) radicula, longiùs producta, fibris pubeſcit paucis tenuibus, ſimul ac è cylindri, jam magìs elati, vertice enaſcitur & extra tellurem aſſurgit folium ſeminale, unicum, obſcurè viridans, rigidum,

dum, in lanceæ anguſtiam rugis tribus quatuorve plicatum, ſemipalmaris circiter longitudinis. Tum relictô, quod hactenus adhærebat, Officulo jam effœto, cylindraceum, quod dixi, germen (*Fig. 3.*) in bulbum oblongum, ex foliorum rudimentis tunicatum compactumque extumeſcit; radix in ſpithamæ longitudinem extenſa, unâ atque alterâ augetur ſociâ; Folia verò adſunt gemina, rariùs tria, paulò magis explicata, palmaris longitudinis, latitudinis uncialis, rigida, tenſa, plicata: quorum quod externum eſt & magis averſum, jam proprio nititur pediculo & majori vigore luxuriat, altero tertiove vix dum integro comparente. Atqui hoc primum plantæ noſtræ incrementum eſt, videlicet ſemeſtre, vel potiùs annuum, ſi à plantatione computes, præſertim ſi cœlum ac ſolum minùs faveant. Altero dehinc anno arbuſcula (*Fig. 4.*) largiori incremento aſſurgens, radices acquirit plurimas, quas ad cubitale ſpatium diffundit; bulbus majori auctus tunicarum numero, ultra ſpithamæ turget peripheriam, paulatimque gracilior extra ſolum dodrantalis prominet, in quinque, plura vel pauciora, reſolutus folia, ſpithamam & ampliùs longa, lata pollicem unum geminumve; nixa pediculis ex herbaceo albicantibus, pronâ facie canaliculatis, calami ſcriptorii craſſitie, longitudine unius vel plurium, pro ætate, unciarum, glabris, fibratis, firmis. Pediculorum in complexu Gemma emicat ingens, conoides, palmam vel ſpithamam longa, ſurrecta, rigida, vireſcens, ex rudimentis foliorum arctè ſeſe involventium conglobata: ex quâ ſubinde aliud exſurgit folium, ſemper majori plicarum numero inſtructum. Anno ætatis tertio marcere incipiunt folia quædam exteriora: quàm verò jacturam renaſcentium major numerus & vigor abundè compenſat, & quæſtuoſo incremento arbuſculam in majorem molem provehit; dum felici interim auſpicio etiam dehiſcere foliorum plicæ incipiunt, & in lacinias, ſive folia

lia arundinacea, diſſolvi, proximâ, quæ genuina eſt frondibus, ſimilitudine. Habes Palmæ ex ſemine ſuo prognatæ figuram, quam gerit in cunabulis: quibus triennio vel longiùs immorata, maſculam acquirit parentis ſui formam, bulbô in brevem & ligneum caudicem, pediculis in ſcapos & ligneas coſtas, foliis per alternas plicas diviſis in frondes alatas, totâque puerili & hactenus mutabili ſtructurâ in conſiſtentem Palmeæ arboris habitum, ſpecioſâ mutatione transeuntibus, in palmetum, quandocunq; lubet, ex ephebio proferenda.

Radici annata. Altera Stolonum ex radice progenies ἀυτόγονος, (*Fig. 5.*) luxurioſè ſtatim & alatæ figuræ folio, nullis infantiæ retardata gradibus, in conſpectum venit, & biennio haud longiùs exacto, jam humanam frondibus attingit longitudinem: Quapropter ætatis adepta veniam, in palmeti claſſem bimula recipitur. Hi Stolones non Palmis quibuscunque, ſed ſaltem in fundo fœcundiori adoleſcentibus, & annos intra quadraginta conſtitutis adnaſcuntur, ſinguli, bini, quini, interdum plures, damnoſâ parentibus, nî extirpentur, luxuriâ.

Ex Caudice ſpuria. Stolonum aliud quoque genus eſt (*Fig. 14.*) ſpurium, nec hujus loci, quod ſine radicibus in caudice, ex aliquo pollicum frondiumve ſinu, quin intra ipſam arboris comam, emergit. Quod in iis Palmis, quæ ætatis vigore & alimenti copia præ ceteris luxuriant, non raro evenit. Verùm, hæc quàm primùm cernitur arboris μονοβλάστου ſoboles perdita, velut patriæ ſtirpi infeſta, ociſſimè avellenda, & in ovo, quod ajunt, interimenda eſt.

§. VI.

Incrementum.

Naſcentem Palmam ejusque incrementum oſtendimus. Hoc, uti ſatis eſt liberale in infantiâ, ita ſegnius in adulta, tardiſſimum in conſiſtente ætate, nullum protinus eſt in ſenio conſtitutæ. Quàm primùm enim perfectam

arboris faciem, depoſitâ, ut ſic loquar, pubertate ſuâ, aſſecuta eſt, nihil amplius partes in magnitudine vel numero, id eſt, in perfectione ſuâ proficiunt. Caudicem excipio, qui ſolus, ſervatâ craſſitie, in majorem longitudinem provehitur; verùm lento admodum ſucceſſu, nec quotannis vel quot menſibus ad ſenſum manifeſto: æſtimari tamen annuum incrementum poteſt ex amiſſione marcentium ſub comâ frondium, quas ſingulis annis ſeptem, &, pro diverſâ ætate & terrâ natali, plures vel pauciores exuit, interea totidem novis in vertice acquiſitis. Tantâ enim longitudine vertex atq; adeo ipſe caudex procreviſſe putandus eſt, quantum in eo ſpatium occupaverant baſes frondium amiſſarum, ſive quantum recens acquiſitæ occupant. Id verò ſpatium cum admodum ſit in vigore arboris anguſtum atque exiguum, tum verò in ſenili comâ & ſolo ſteriliori eſt anguſtiſſimum & vix dodrantale. Incrementa autem & totius arboris habitum ſi metiri per ætates placet, comperies: adultam, (*Fig. 7.*) ut plena eſt ſucci & vigoris, ita frondibus luxuriare denſioribus & ad ſuperbiam expanſis; caudice donatam quatuor vel quinque orgyiarum altitudinis; Provectam ætate, (*Fig. 8. & 9.*) obtinere longitudinem circiter novem plus minus orgyiarum; comâ donatam modicâ, frondium denſitate & longitudine ſpectabilem; Seneſcentem & decrepitam (*Fig. 10.*) duodecimam orgyiam rarò aſſequi, nullo partium decore conſpicuam: caudex enim exeſus nullis pollicibus ornatur, nec eorum quidem veſtigiis, niſi fortè in cacumine; coma veſtitur alis & rarioribus & vigore orbatis; tota denique arbor ſterile ſenium & fatalem vitæ declivitatem triſti exprimit habitu.

Ætas.

§. VII.

Ætatem verò ita computamus, ut quinquagenarias adultæ, centenarias provectæ ætatis, decrepitas verò eas voce-

vocemus Palmas, quæ vel ducentos annos aſſecutæ ſunt, vel cum tertio ſeculo devolvuntur; tot namq; annis Palmam vigere, gravi popularium auctoritate & temporum traditionibus perhibetur: quo ipſo quidem tertio ſeculo Phœnix noſter naturæ debitum exſolvit, eo modo, ut vel è capulari faſtigio (ex pluviâ in eodem permanente) putreſcenti, univerſa coma decidat; vel radicibus ſenio abſumptis tota excelſæ arboris machina ex tempeſtate corruat; vel eadem, ſiderato caudice, ex teredine atque recepto inter pollices humore, contabeſcat; vel demum fibrarum ductibus, nutrimentum deferentibus, vetuſtate exſiccatis, vitæque adeo abſolutâ periodo, pereat & quomodocunque emoriatur. Sextum verò excedere ſeculum, quod de eâ ſub Alitis allegoriâ prodit antiquitas, id nunquam in Phœnicis patriâ hominum memoria obſervavit. Equidem in iſtô æſtuoſô climate, cujus cauſtica aëris pernicies non cæmentitiis operibus, non ipſi parcet Martis metallo, ſatis hanc longam eſſe ætatem crediderim, quam nec temperatioris cœli arbores, niſi rariſſimo exemplo, ſuperaverint. Nam, quod *de Mundo congenita atque intacta ævis roborum vaſtitate in Sylva* noſtra *Hercyniâ* celeberrimus *Plinius* ſcribit, Nat. Hiſt. L. XV. c. 2. id credere Judæus apella debet, non qui auctoritatem rationibus ac dextræ rerum inquiſitioni poſtponendam ducunt.

RELATIO III.

Palmæ Cultura.

§. I.

Plantatio. *Locorum pro Palmetis condendis delectus.*

Quæ in Palmetis condendis, quæ in arborum culturâ palmicolis attendendæ ſint rationes, paucis contemplabimur. Prima eſt deligendi loci irrigui, nimirum,

mirum, in quo affluxus aquæ fontanæ, vel, ſi ea deficiat, puteanæ, debitè ſiſti, & per arborum quincunces derivari poſſit. Campus igitur, quò planior, eò alendis arboribus aptior natus eſt: ſalebræ & clivi, niſi fontibus ſcateant, minùs ſunt idonei; ineptiſſimi ſunt, quos humoribus natura omnino deſtituit. Genius ſoli quis eſſe debeat, ſupra diximus; quis aquæ fuerit, nil refert; Omnis liquor Palmæ gratus eſt, dummodo ſalibus non nimiùm gravatus; tantùm poſſeſſoris intereſt, ſi cum altrice ſylva ſibi conditurus eſt domicilium, ut inveniat dulcem, non gravatam ſalibus & potioni ineptam. Plerique enim hujus cœli tractus vel omnino humoribus & culturâ deſtituti torrent, vel colono ſuo non aliam impertiuntur, niſi آب شور *Aabi ſjuur*, i. e. aquam ſale nitroſo muriatico imbutam, ſive hanc aliunde recipiant ex montibus devolutam, ſive in ipſo foveant terræ ſuæ gremio: Quales aquæ ut limpidiſſimæ ſunt & ſpectantium oculis pergratæ, ita ſitientis labra viatoris multoties fallunt. Delectus campus primò omnium profundè ſulcandus & ſubigendus eſt; deinde ad legitimam diſtantiam (quincunces & ordines parum curantur) novellis palmis conſerendus. Harum verò cum duplex genus ſit; unum, quod ex radicibus, ſtolidâ, quod vocant fruticatione, alterum, quod ex Oſſiculis prognaſcitur; optimam ducunt rationem, uſuque recentioris ævi probatam, ſi poſthabitâ Oſſium ſtirpe, meris Stolonibus coloniam inſtruant. Illi namque, ſicut liberaliori Lucinâ nati, maturius adoleverunt, ita citiùs poſſeſſori operam refundunt diviti annonâ fructuum ſuorum; quos etiam ferre perhibentur præſtantiores, id eſt, dulciores & pinguiores, quàm ex altero genere expectari poſſint. Accedit, quòd in poſteriori genere nulla dentur in tyrocinio ſigna, quibus ſexus dignoſci poſſit, adeoque dubiâ manu pro fœminis admiſſi mares, omnem facilè conditoris operam

Stolonum pro conferendis campis delectus.

ram

ram & expectationem fraudare poſſint. Præterea, culturam hoc genus requirit diligentiorem, quia neglectu irrigationis, in ſylveſtrem *Abudſjehelorum* proſapiam degenerat; quod idem evenit, ſi, quô ſata ſunt Oſſicula, eodem loco ſobolem enatam, omiſſâ transplantatione, adoleſcere permiſeris, humore quamvis neutiquam deſtitutam. Circa Stolones cautio eſt, ne ante bimatum vel trimatum natali ſinu eximantur, quòd citiùs evulſis, radicularum organa deficiant, quibus nutrimentum poſſint ſine maternâ ope acquirere. Transferendi tempus Vernum eſt, quanquam anni quacunque parte transmoveri valeant, dummodo non pigeat, ab injuriis auræ eos tueri diligentiùs. Plantandi modus hic eſt: (*Vid. Fig. 6.*) Singuli ad caulis ſummum usque verticem ſingulis inſeruntur ſcrobibus, pedaneæ profunditatis & bicubitalis latitudinis; In quibus primo alteroque menſe aqua, ſemel indies admiſſa, conſiſtere debet, ne radiculæ in exſucco ſolo ex ardore cœli contabeſcant; à quâ etiam calamitate caudex & ramuſculi tuendi ſunt, circumpoſitis & laxè in faſtigio colligatis quibusdam ramalibus, quæ ſolares radios arceant. Sunt ex palmicolis, qui in pinguiori fundo, uni ſcrobi alumnos committunt geminos, caudicibus parumper ab invicem reflexis vel reſupinatis; eo nimirum conſilio, ut uno emortuo, alter locum ſuppleat, uterque verò ſuperſtes, ſine mutuo impedimento, comis ab invicem declinantibus germinare poſſit. Ordinis in locando ratio illuc recidit, ut ad decempedæ unius intercapedinem diſponantur, quò radices ſuas valeant liberiùs diffundere, & alimentum acquirere ſine mutuâ ſubductione & noxâ.

Ad transplant. requiſita.

§. II.

Irrigatio.

Palmeto condito, id negotii datur poſſeſſori, ut ſuffoſſis elicibus, ex profluente, aquam ad arbores educat, quò radicum compages requiſito tempore irrigari poſſit.

Id


Fig. 1
F. 2
F. 3
L. W. Brandshagen Sculp.

Id maximè opus eſt, ut paſſim per æſtatem, ita præſertim menſe Caniculæ prævio: quia tunc humorem gravidæ & turgentes ſpathæ avidiſſimè ſitiunt. Accolæ maris, penuriam rivorum arte ſupplent, & nocturno labore, aquas, machinarum ope hauriunt, ex profundis puteis. Machinarum levidenſis ſtructura eſt, bobus ſaltem agitanda ſingulis; (*Fig.1.*) qui ſtadium in terram declive (longitudine profunditatem putei adæquans) deſcendunt, & hôc ipſo utrem ingentem aquâ plenum ex puteo ſubtrahunt nullo negotio; declivitate, quòd à puteo incipiat, omnem ærumnam ſublevante: nam in deſcenſu incumbens jugo bovinum pectus, mole ſuâ pondus aquæ ſatis evincit; in regreſſu quoque nihil gravat, niſi aſcenſus, inani hauſtro tunc ſponte in puteum recedente. Puteus ipſe in editiſſimo campi loco effoſſus eſt, deſuper trochleâ inſtructus cylindraceâ, ſatis amplâ, circa quam funiculus utris extractorius circuit, unâ extremitate jugo bovino, alterâ hauſtri orificio alligatus. Uter tantùm non dolii habet capacitatem, ex crudâ pelle conſutus, cujus orificium craſſo ligno diſtenditur, ut aquam puteo immerſum intromittat; fundus verò, in tubum patulâ extremitate productus, eandem aquam, ex puteo elevatam, effundit: Hoc, procedit ope alterius funiculi paulò tenuioris, qui, ex jugo in prædictam tubi extremitatem protenſus, ſingulari trochleæ, paulò citra putei oram extanti, ſubditur; eô conſiliô, ut tubum demiſſiore loco retineat, dum prior funis orificium ſurſum provehit; quo ipſo evenit, ut expanſus uter omnem lympham, ſine dirigente manu, dimittat, & in nudam effundat terræ ſuperficiem, vel in lacum, ex altera putei facie, rudi manu effoſſum; ex quo in quamvis arboreti partem per ſulcos dimitti ac dirigi poteſt. Vulgus ruſticorum machinâ ſimplicioris ſtructuræ, & utre non tubulatô utitur; (*Fig.2.*) cujus quo hauritur lympha orificio, eodem quoq; redditur, aſſidente, qui ex puteo

appellentem, in oram ſubinde dirigat & effundat. Utraque machina pro locorum culturâ in provinciis quoque mediterraneis obtinet, quibus, cum cœlo pluvio, ipſi rivi deficiunt; quæ ſanè perpetuâ ſterilitate torperent, niſi artificium & improbus incolarum labor naturæ invidiam corrigeret, ſementemque requiſito humore fœcundaret; ſanè uberiùs & feliciùs, quàm ſi à dubio Jove, & incommodo tempore humores expectandi veniunt. In noſtris Regnis, quoties ex ſiccitate cœli annonæ caritatem luimus! Vindicari ſegetes ab hôc genere calamitatis poſſent, ſi agricolæ has irrigationes exercere impigri noſſent, vel ſocordes vellent. Trituratio quoq;, (*Fig. 3.*) ſi ad hujus cœli morem inſtitueretur, multis parceretur laboribus. Hîc enim ruri defalcatas fruges trahæ ſubjiciunt, ſerratis rotulis armatæ, quam dum inſeſſor auriga equô, oculis velatô, in orbem agit, eâdem unius diei operâ & grana elicit, & ipſum ſtramen in paleas comminuit. Bobus hôc cœlô moles & robur corporis eſt, humeri inſigni tubere eminent, velut ad jugum omnino natis, aures pendulæ ſunt, & pilis longioribus marginatæ, cauda humum demiſſa in piloſum tuberculum decorè terminat, cetera noſtris ſunt ſimiles. Pabulum in palmetorum angariis verſantibus porriguntur cocta palmularum oſſa, & Acaciæ cujusdam, مُخَيْرْ *Mocheir* dictæ, ſtolones ac ramuſculi, qui huic arbori pingues, nutricioq; ſucco admodum ſunt ditati; hos dividunt in bacillos cubitalis longitudinis, tum parumper ad ignem torrent, toſtos ad aliqualem mollitiem lapide lignove feriunt; ſic præparatos tum camelis, tum bobus, priùs (ut paſcunt jumenta) ad cubandum incitatis, in os ingerunt manducandos. Teſtantur cuſtodes, hôc pabulô jumenta maximè delectari, & in ergaſtulis fatigata, promptiùs inſtaurari, quàm fœno vel gramine poſſent, cujus tamen alimenti genus campi palmiferi non producunt.

§. III.

§. III.

Stolonum evulſio.

Gnaros deinde in hoc eſſe palmicolas oportet, ût pullulaſcentes in ipſo caudice ſtolones, (quod in adoleſcentiâ arboris maximè contingit) ad internecionem evellant; ne pereat arbori, diviſo caudice, ſimplex proceritas & decor, fructusque diminuto ſucco maceſcat, & de genitali, quod ſolet, dulcedine ſuâ remittat. Rariſſimè tamen ſic duplicatam progerminare contingit, nec niſi in iis tantùm arboribus, quæ in humo præpingui & ad rivorum margines conſitæ, ex humoris & alimenti copiâ ſupra modum luxuriant. Pari rigore extirpandi ſtolones ſunt, qui è radicibus fruticant, præſertim ſi copioſi eodem niſu proveniant, niſi eos poſſeſſor pro traducibus ſervaverit: quo caſu nec triennium ultra ferendi ſunt, quin eradicentur; ne, ſubtractâ parentibus alimoniâ, verè nimis Phœnicis luſuri fabulam, ex paterno exitio ſequiores adoleſcant filii. Illis tamen, qui, è radice, interjectis aliquot à ſtirpe paſſibus emergunt, uni tantum vel duobus, aliquando permittitur, ut in natali limine adoleſcant, propinquitate noxam genitori vix illaturis.

§. IV.

Frondium reſectio.

Supereſt in Cultura, quæ ad ornatum magis quàm neceſſitatem inſtituitur, annua frondium amputatio. Nam quot unicuique palmæ (de adultis loquor) ex mediâ ſummi verticis gemmâ frondes conſurgunt novellæ, tot quoque in imâ Comâ antiquiores extabeſcunt ac deperduntur; non eâ quidem facilitate defluentes, atque ceterarum arborum folia; neque ſic adhærentes perpetuò ac contumaciter, ut, *niſi à cultoribus præciſæ fuerint, impenetrabili vallo ſcandentibus aditum intercludant*, ut loqui amat in *Hiſt. Plant. Johan. Bauhinus*, ſed reſupinæ cum arboris dedecore diu, quin anno integro, pendentes, donec fibras, quibus in ſuperficie arboris hæſitabant, ſenſim infirmatas

 diſrum-

diſrumpant. Hanc verò ſpontaneam amiſſionem, quâ integræ frondes, nullâ ſui parte ſuperſtites, abſcedunt, amputatio, à poſſeſſoribus facta, anticipare omnino debet, relictis arbori in tutamen & ornatum frondeis baſibus, quas *Pollices* vocabimus cum *Plinio.* Hi pollices, nullo pondere oneroſi, longo annorum numero in caudice retinentur, ejusque ſuperficiem imbricum more amplexantur, & ab externis quibuscunque injuriis defendunt. Inſtituendæ ſectioni deſtinare amant vernale æquinoctium, à quo Perſæ anni auſpicium repetunt. Eo enim tempore ut novo habitu corpus decorari oportet, ita ſuperſtitionis uſu in arbores devoluto, palmis quoque ornatum conciliari volunt reſectione earum frondium, quas præter decus reſupinas & marcentes vident. Sed huic primæ & quodammodo inconditæ frondium putationi, à quâ pollices inæquali longitudine prominent, non acquieſcunt curioſi poſſeſſores, qui elegantiam non magis arboris præſtantiæ deberi, quàm ſuo honori autumant; Quales ſunt ruſtici circa fines palmigeræ Perſidis boreales, qui quantò mitiori fruuntur aurâ, tantò quoque impigriores, non gravantur in gratiam pompamque nutricis ſuæ ſcapos pollicum, à primæ amputationis incuriâ reſiduos, & inconditos decuſſatim, & ad baſes usque ſuas, ſerrâ proſcindere. Mirum, quantum hæc ſuprema cultoris manus & arbori addat decus, & aſpectantium oculis voluptatem pariat: dum generoſæ proceritatis caudex per æquales & politos pollicum gradus alternosque ordines gratioſè aſſurgit, & in comam, perenni elegantiâ viridantem, ſuperbè deſinit. Perſæ ſanè, orationem collaudantes venuſtam, venuſtiùs eam neſciunt, quam Palmæ comparare, & periodorum gravem decurſum & elegantiam, graviori, quàm نخل شیرین *Nachli Sjirin*, id eſt, dulcis palmæ titulo exprimere. Præterea iterata reſectio eam utilitatem præſtat,

ſtat, ut ſinûs omnes ac latebræ removeantur, ne in iis vel deliteſcant varii generis inſecta, quæ caudicem erodere conſueverunt, vel conſiſtere pluvialis humor poſſit, ex quo reticulatum, quod arborem involvit, tomentum putreſcat, & ſuperficies arboris exedatur: Hoc neglectu enim, ipſi pollices citò abſcedunt, & nudus caudex fœdam refert cariem & exeſa lacunarum ſtigmata; ſicut nobiliſſimæ arbores ſic deturpatæ, ac ante ſenectam ſqualidæ, apud ſupinos ruſticos auſtrales, ſectionum negligentes, paſſim conſpiciuntur.

§. V.

Cura ægritudinum.

Ad culturam quoqꝫ ſpectat Cura ægritudinum. His tamen rariſſimè obnoxia eſt arbor tam venuſta & felix noſtra; utpote quæ adverſus injurias quasvis inſtructa eſt, ſali ac ſabulo ſueta, ſitis patiens, & craſſarum donata fibrarum ductibus ac laxè patentibus poris, per quos facilè digerit & exſpirat, quicquid cum ſucco nutricio ſuppeditatur heterogenei, à quo timeri periculum inteſtinum poſſet. Præterea adverſus ardorem, tempeſtates, inſecta & externos quoscunque caſus & injurias ſatis firmata eſt, ut, ſi quid ex his fontibus obvenerit, id communi fato cum plantis ceteris patiatur. Tribus tamen magìs divexari dixerim: Tineis, formicis & locuſtis; his namque copioſam melle ſuo indulget eſcam; illis retium latebras & aſyla axillarum; iſtis lignum in ambitu effœtum. Locuſtarum impetûs rariores, accenſorum ramalium flammâ plerumque avertuntur; Verùm, harum verendâ incurſione totæ provinciæ quandoque ita inundantur, ut nulla non planta ſub atroci gemat tyrannide nequam illius & damnificæ beſtiæ; quod ubi evenit, non Vulcanus cum Cyclopibus à palmis eas arcebit, nec annonæ caritas ullo præſidio cavebitur. Formicis & tineis ſtudioſâ caudicis purgatione occurritur; Ab Aſâ fœtidâ هِنگ *Hing* expeditum

tum remedium petit ditio دزگان *Diſguun*, hujus ſucci natalis: nimirum hanc Aſam ſtemmati circumponunt, aut ejus radicem elicibus injiciunt, ut aqua ſtygio fœtore imbuta, palmeæ radici affluat, & cum alimento diſtributa, exitiali vermiculis, intus latentibus, antidoto ſit: perinde ut lumbrici abdominis medicamenti amarore extinguuntur. يمن *Jemen*, ſeu Arabia felix, majorum formicarum genus quoddam alit, ceteris formicis & inſectis quibusvis infeſtum, palmis tamen minimè noxium, cujus examina, unà cum ramis, quorum cavernulas inhabitant, in palmarum comas transponunt: ubi aperto foramine audax & bellicoſum genus novam ſedem ab inſectis, fructui inſidiantibus, purgat & tuetur, ſola virtutis ſpolia in eſcam ſuam convertens. Proſtant militares illæ manus in uſum palmicolarum paſſim venales, præcipuè in tabernis & compitis urbis مخا *Mocha*, quò ex jugis montium, à vagis paſtoribus deprehenſæ advehuntur.

RELATIO IV.

Palmæ deſcriptio botanica.

§. I.

Radix.

Palmæ per ætates ſuas incrementa & culturæ modos indicavimus: ſequitur ut in partes ipſas cultrum immittamus botanicum. *Radix* trunco conſtat medio, ſimplici, craſſo, lignoſo, interdum gemino, &, ubi ſoli conditio patitur, in rectum demiſſo; quem in ſummâ tellure brachia circumdant tortuoſa, tenuia, per terræ ſuperficiem longis vagisque flexibus repentia, ut plurimum nuda & ſimplicia, alia ramoſa & fibris breviſſimis ſtipata.

Hæc

Hæc ſubſtantiâ gaudent exteriori corticeâ, interiori ligneâ, utrâq; lentâ, fibratâ & firmâ, coloris in rufum nigricantis, ſaporis ſylveſtris. Radices mirè expoſitæ ſunt inſidiis beſtiarum ex erinaceorum genere, quas *Plinius* L. VIII. cap. 35. *Hyſtrices*, Perſæ سیخور *Sichuur* vocant; per campos enim concubiâ nocte graſſantes, ſævis in eas dentibus invehunt, & palmetis, præſertim junioribus, damna inferunt graviſſima, cum totali plurimarum arborum exitio. Edax quoq; rerum tempus, in aridiori ſolo, ſæpè ante arboris ſenium, tam, qui in profundum porrigitur, truncum, quàm, quæ in transverſum extenduntur, brachiorum propagines abſumit: hinc fit, ut peſſumdata arbor, brevibus denſisque radiculis ſe prodat conſpicuam; opinantibus ignaris, tantillo radicum fulcro vaſtum caudicem ſubſtitiſſe.

§. II.

Caudex eſt rectiſſimus, ſimplex, individuus & μονόβλαςος, figuræ ad aſſem cylindraceæ, niſi verticem verſùs pauxilliſper gracileſceret; Craſſiorem hâc parte referunt alii; quos tamen, credo, decepit eminus conſpecta facies palmæ ſeneſcentis, quæ, cùm humotenus frondibus orbata, ſæpe etiam exeſa & detrita ſit, nil mirum eſt, ſi, in ſummitate adhuc integrâ & pollicibus veſtitâ, pleniorem habitum referat. Arbori adultæ id notabile circa baſin evenit, ut externæ fibræ, rupto caudicis ambitu, intumeſcant, & radicum faciem geniumque induant antè, quàm terræ ſuperficiem contigerint. Craſſities caudici tanta eſt, ut, pro diverſo arboris vigore, plus minus ſesqui orgyiæ menſuram in ambitu complectatur, multo minorem verò, ſi pollicibus orbata fuerit. Longitudo ætati reſpondet: excelſiſſima orgyias octo hôc cœlo rarenter tranſcendit. Cortice donatus caudex non eſt, ſed ab injuriis ſe junior tuetur partibus frondium ab amputatione reſi-

Caudex.

reſiduis, quas pollices nuncupavimus. Horum accurata eſt diſpoſitio, ſenis ſemper numerô ſuperficiem juxta in orbem ambientibus, ita, ut ex interſtitiis ſeni ſuperiores alii atque alii decuſſato ordine provehantur; quibus tandem ſucceſſu temporis ex ſenio & tempeſtate abſcedentibus, nuda prodit ſuperficies, ingratâ ad tactum aſperitate, pulloque colore tetra, tum fœdis quoque frondium ſignata veſtigiis, perinde atque braſſicæ capitatæ caulis ex defluvio foliorum. Interior ſubſtantia à ſumma cervice, quâ comam ſuſtinet, ad radicem usque, ex fibris compacta eſt continuis, craſſis, ligneis, firmis, levibus tamen, & fungoſa carne laxè adeo cohærentibus, ut vix non digitis poſſent diſſolvi: inde lignum ſoliditate carens aſciæ ægrè obedit, &, niſi pro fulcris ut inſerviat, aut ſudibus tuguriorum, aptum natum non eſt; qualis ſtructuræ latebras dactylophagæ gentis pars maxima inhabitat. Medullam annoſus caudex nullam exhibet; ſuccedaneus ei conſpicitur per medium demiſſus ligneus quidam nervus, multò craſſior firmiorque, quàm ſunt fibræ carnis reliquæ; à quâ ita laxè comprehenditur, ut unguibus facilè evellatur. In tenello caudice omnis pars interior, in adulto ea, quæ per comam deſinit, in provectiore, ſaltem quæ in verticis gemmâ conſpicitur medullæ ſimilis, mollis & edulis eſt; (*vid. Tab. 1. Fig. 14.*) ſubſtantia ejus eſt albiſſima, tenera, carnoſa, fragilis, ſubdulcis ac ſapida; unde Perſis vocabulo communi مغز سر *magſi ſer*, id eſt, medulla capitis, & proprio nomine كور *Kuur*, *Dioſcoridi* ἐγκάρδιον, ſeu medulla, *Theophraſto* & *Galeno* ἐγκέφαλον, ſeu cerebrum, appellatur, quo exciſo, arborem interire neceſſe eſt; quandoquidem expectatæ productionis germen eſt, ac frondium futurarum rudimentum; unde hoc cupediorum genus ſolummodo ex comis ſpuriis atque palmis ſylveſtribus peti debet.

§. III.

§. III.

Coma.

Coma palmæ una eſt, & perennis: multiplicem aliquando produci in Ægypto *Theophraſtus* H. Pl. L. 2. c. 8. auctor eſt: quod evenire poſſe non inficior, ſi circa comam præter naturæ ordinem enatus ſtolo unus aut alter, incuriâ poſſeſſoris invaleat. Coma, pro arboris diverſo ſtatu, quadraginta ad minimum, ad ſummum octoginta abſolvitur frondibus, ſpecioſo & ceteris arboribus inſolito ordine in orbem ſparſis. Primò enim in ſummo vertice gemma exiſtit ingens, cono ſimilis, ex frondibus proximè naſcendis compacta, bicubitalis circiter longitudinis, anguſta & in acutum apicem producta. Hanc proximè frondes ſtipant recentiores, nondum ſatis explicatæ, nec ultra gemmæ longitudinem protenſæ, quas ambiunt inferiores aliæ atque aliæ, perfectæ longitudinis, alternatim poſitæ magisque ſemper à vertice reflexæ, donec poſtremæ in arcum curvatæ horizontem verſùs extendantur; eas non rarò excipiunt ſenio marcentes quædam, indecorè propendentes, niſi prævio cultoris ſtudio amputatæ fuerint. Ex frondium axillis prodeunt ſuis quique ſpathis ramoſi ſpadices, floribus in Palmâ maſculinâ, fructibus in fœmineâ fœcundi: De quibus omnibus nunc dicam ſigillatim.

§. IV.

Frondes.

In anteceſſum verò notamus, in denominandis, quæ Comam conſtituunt, alis folioſis, placuiſſe nobis *Frondis* adoptare vocabulum. Non enim *Folii* nomen, quo recentiores utuntur, arridere potuit: quoniam frondem palmeam natura neutiquam in lobos laciniasve divulſit, ut folium inde dici unum tanta compages poſſit, ſed in folia diſtinxit genuina & numeroſiſſima alia, ſuis quæquæ pediculis (qualibuscunque) inſiſtentia, licet arcte adeo communi coſtæ adnata, ne ſigillatim, ſed præter morem vul-

garem cum univerſa frondis compage decidant. Nec cum Bauhino *Rami* nomen placuit; Ramo enim id proprium eſt, ut in indefinitum creſcendo ſurculos acquirat alios atque alios; quod,cum ab Alâ noſtrâ alienum ſit, tali poſtulabat deſignari vocabulo, quod differentem illam in ſurculos augmentationem non involveret, ſimul atque foliorum non excluderet pluralitatem. Eſt autem Frons palmea (*Tab.1.Fig.11.*) ingens & ramorum æmulæ magnitudinis ala,longitudinis trium circiter orgyiarum,utrinq; ex foliis arundinaceis ſecundùm longitudinem pinnata,frondi arboris Cocciferæ eminus aſpectæ ſimilima; niſi quòd huic ſint folia plana,longiora,tremula, flaccida & quodammodo pendula,illi verò rigidiora & magìs ſurrecta. Partes ei ſunt Coſta, Spinæ & Folia.

Coſta ex principio brevi, lato & compreſſo in anguſtam trium orgyiarum longitudinem extenditur; ſuperficiem exhibens glabram & nitentem, coloris herbei, in baſi annoſâ luteſcentis, ſupernam faciem convexam, inferiorem in principio concavam,in progreſſu quodammodo canaliculatam. Subſtantia illi eadem eſt, quæ caudici, ſed levior & minùs compacta, tum fibris donata candidioribus & ſubtilioribus. Coſta componitur ex baſi, ſcapo & virgâ. Baſin (*Fig.12.*) appellamus imam partem, quæ caudici imbricatim adhæret, figuram obtinens utcunque triangularem oblongam, interiori ſuperficie concavam, exteriori gibbam; longitudinem ſeſquiſpithamæ, latitudinem in imâ parte dodrantalem, craſſitiem biuncialem. Ora utrinque tenuis eſt, in fibras deſinens copioſiſſimas, reticulato textu in naſſæ ſpeciem cohærens,quâ latera vicinæ cujusque baſeos invicem nexa ac connata ſunt; dum ſubinde ordinis ſuperioris intermedia quæq; baſis eâdem conveſtitur, ut ſaltem exiguâ ſui parte nuda promineat. (*Fig.12.lit.a.*) *Scapum* ea coſtæ pars conſtituit, (*Fig.12.lit.b.*) quæ à baſi ad aculeos, foliis prævios, nuda porrigitur, & à cau-

à caudice declinare incipit. Hæc eſt illa portio, quam à primâ frondium reciſione remanere narravimus,in alterâ verò, à curioſis inſtitutâ palmicolis, ſupernè amputari,ne imbres hauriat, à Plinio *Pollicis* nomine inſignita. Cubitalem refert longitudinem, craſſitiem pollicarem, latitudinem in imâ parte trium, in progreſſu duarum circiter unciarum. Virgam vocamus reliquum corpus longum ac paulatim tenuius, quod ultra ſcapum extenditur, & in adverſo margine ſpinis primùm,mox longâ foliorum ſerie conſeritur.

Spinæ foliorum rudimenta ſunt,quæ in ipſâ coſtâ utrinque prodeunt primò rara ac brevia, mox denſiora & longiora, donec, abſoluto cubitali ſpatio, foliorum formam lentâ mutatione induant. Sunt autem ex conoide informes & anguloſæ, craſſæ, duræ & quodammodo ligneæ, ſuperficie nitidâ & ex herbaceo in luteum pallente, ſummâ facie canaliculatâ, apice tereti & fuſco, donec paulatim in folia expandantur.

Folia ſunt perennia, pennata, arundinacea, denſiſſima & indefiniti numeri, primùm brevia, vix ſpithamam longa, mox in majorem longitudinem producta, donec, mucronatâ extremitatum circumſcriptione, ad finem coſtæ deficiant. *Pediculis* qualibuscunque nituntur, ſemiunciali intervallo diſſidentibus, ligneis, craſſis, longitudinis fere pollicaris, inconditæ & in quadratum vergentis figuræ, coſtæ firmiter adnatis, ne ab eâ niſi violentâ manu poſſint avelli. Situm folia habent obliquum, & in illo hoc ſingulare, quòd, licet pediculis inſiſtant, in æqualem ſeriem locatis, ipſa tamen utrinque à ſe invicem, ut plurimùm alternatim, diſtendantur in duplicem ordinem, qualem foliorum disjunctionem in aliis Palmarum foliô pinnatô generibus non obſervavi, neque in dactyliferâ Europæâ quemquam memini notâſſe; fortaſſe, quod arbor extra cœlum ſuum degener & genuini decoris parùm ſtudioſa ſit. Sed

vel ipſa denſitas ſeparationem requirebat, nimirum pediculis tam arctè conſidentibus, ne tot foliis locus ſufficeret, niſi alternâ divaricatione disjungerentur, ſimulac plicarum ope in preſſiorem ſtringerentur anguſtiam. Folium maximum longitudinem habet cubitalem, latitudinem biuncialem; figuram arundinaceam acutè mucronatam & ſuperiori facie per mediam longitudinem plicatam; ſuperficiem utramque cum exiguo nitore obſcurè virentem, & quadantenus ſtriatam; Præterea durum, tenſum, rigidum & exſuccum eſt, nervis per longitudinem excurrentibus craſſis ac bene firmis.

Rete.

§. V.

Reticulatum, quod dixi, involucrum (*vide Tab. 1. Fig. 13.*) ex filis inæqualibus, craſſis, polygonis, parum compreſſis, rigidis, & velut ex ſtupâ vel cannabe rudiori ductis conſtruitur, figurâ naſſam, denſitate ſtupam, uſu faſciam referens; hæc proinde aſpera & incondita eſt: in Palmis adoleſcentibus, præſertim circa frondes faſtigii, coloris obſcurè lutei, denſa & ſpithamam lata; in ſeneſcentibus, præ ſertim circa annoſas frondes, ex rufo nigricans, detrita & anguſtior; illis ornamento & uſui; his noxæ & dedecori. Non eſt faſcia hæc una & ſimplex, ſed pro frondium denſitate multiplex, adeo ut tres, quatuor aut quinque invenias invicem impactas: etenim, cum frondium ordines anguſtis invicem incumbant intervallis, fieri aliter non poteſt, quin telæ iſtæ multiplicentur, & inferiores proximè ſequentes plurali numero complectantur. Id in caudicis parte ſupernâ maximè obvium eſt ſpectare, in infernâ enim, ſenſim obſoleſcentes, unà cum pollicibus ſuis defluunt, poſtquam eis (apud ſocordes ruſticos) laceræ & putridæ diu inhæſerant. Longitudinem æquè ac figuram reticuli cujusque metiri licet ex interſtitio baſium frondearum, quarum oras invicem connectebat. Conſtat

ſtat ex triplici parallelogrammo filorum, vel, ut clarius dicam, ex tribus fibrarum parallelarum ordinibus, quorum uterque exterior, tertium, velut tramam incluſam, obliquo fibrarum ductu decuſſat; fibris quidem non textili modo implicatis, ſed capillamentis perexiguis, inſtar aranearum telæ, invicem connexis. Uſu retium potiſſimùm coma fruitur, in quâ, ut frondium, ſic præſertim ſpadicum novellorum baſes firmant quodam modo, & ab externis injuriis præſidiô ſuô tuentur. Nomen ne omittamus: hôc enim peculiari gaudet à Palmicolis impoſitô ليف *Liif*: Nam ut Romani Baccho ſacræ Vitis partes ſingulas domeſticis appellationibus inſignire dignati ſunt; ita Perſis, ſuæ, Soli ac Cereri ſacratæ arboris, partes prope ſingulas propriis decorare nominibus placuit: Hinc arborum truncus, vulgò بُنِ درخت *bune diracht*, in Palmâ مرسِ نخل *Morse nachl*; frons ramusve vulgò كنك *keng*, in eâdem لتِّ نخل *Letti nachl*, ejusq; reciſa baſis توت *Towet*, folia vulgò برك *berg*, in dactyliferâ پيش *Piiſj* appellata ſunt. Taceo fœturæ nomina, quæ ſuo loco luſtrabimus.

RELATIO V.

Palmei fœtûs hiſtoria & anatomia botanica.

§. I.

Hactenus de Palmæ partibus; nunc de fœtu, arborum effectu, dicemus: memoraturi, quâ ſui parte, quoque tempore & progreſſu Palma hoc cœlo fœtificet. Primitias prima edit inter palmas ἀυτόγονος, anno videlicet quarto à transplantatione, ſi ſolum fœcundius,

De fœtu palmeo in genere.

dius, ſexto ſeptimove ſi ſterilius nacta eſt; ſeriùs fœtat, quæ Oſſi debet originem. Fœtûs autem ſuos, haud arborum ceterarum ritu, parte gignit promiſcuâ, ſed eos in ſummo tantùm caudicis faſtigio è frondium axillis egerit, racemis inſtar ſcoparum ingentibus conſitos, cum quibus adhuc tenelli, vaginâ quaſi coriaceâ arctè compacti obvolutique, reconduntur. Amant Romani racemos, ſive termites hos appellare *Spadices*, thecas eorum ob romphææ ſimilitudinem *Spathas*, propriis, ſed ex Græciâ translatis, vocabulis. In ortu ſuo fœtus palmæ maris, â fœmineâ, externâ facie non eſt diſcretus, quin utraque Palma ſpathas fert ſimilimæ prorſus figuræ, & in utrisque prolem, dum ſectione eximitur, intus & extrinſecus candidiſſimam, facie utrâque glabram, nitidam, & in unius quaſi tuberis ſoliditatem, ſtricturâ thecæ, compactam, gemmulis nimirum unà cum virgulis, quibus adhærent, adhuc tenerioribus, molliculis & edulibus. Spadicem hunc novellum, exſciſſum, (*vide Tab. 2. Fig. 4.*) Perſæ appellant پنكِ نَخْل *Pengi nachl*, gratiſſimi ſibi pulpamenti vocabulô. Ordinem in pariendo uterque ſexus tenet ſequentem: Principio menſis Februarii, fortè & citiùs, arbores virtute ſolis appropinquantis excitatæ, intra ſinus frondium rudimenta partus ſui concipiunt, nimirum Spathas ſurrectas, (*Fig. a*) compreſſâ ſui facie caudici accumbentes, ſed adhuc intra texturas & involucra frondium reconditas: Ex quibus, quàm primùm emerſæ ac lucis factæ ſunt publicæ, in omnem perpeti augmento accreſcunt dimenſionem, & ex prolis, quam ferunt, copiâ ſic intumeſcunt, ut eam ſequente Menſe, quem Marti inſcribimus, in longum dehiſcant, (*Fig. 1. & 2.*) & per fiſſuram alterutro latere, rariùs utroque, factam, incluſum tuber excludant: quod ipſum clauſtro ſolutum paucos intra dies Spadicis habitum induit, in virgulas reſolutum numeroſiſſimas, floſculis in mare, (*Fig. 3.*) in

in fœminâ prunulis (*Fig.6.&12.*) refertas, ſecundum longitudinem inordinatè & ſigillatim conſitis; illis uſum pro imprægnandis palmis fœmineis (*Fig.16.*) ex tempore præſtantibus, his à tardiori incremento, demum menſe ab hinc quinto matureſcentibus. Spathas uſu ſuo defunctas, natura nutrimento prorſus deſtituit, ita ut brevi deformes extabeſcant, proinde ad reddendam arboribus gratiam, ſedulâ hortulani manu reſcindendæ. Spadices paucos habet Palma adoleſcens æquè ac decrepita; integræ autem ætatis (*Tab.1. Fig.8.&9.*) octo vel decem, interdum inutili fœcunditate plures, & alimenti, quo ingraveſcant, inopes: quos tolli ferri acie oportet, niſi jam ante ab hortulanis, quod ſolet, pro cupediis evulſi ſint. Nos fœtum in utroque ſexu diſtinctiùs inſpecturi, primò corticeam, quâ clauditur, thecam removemus, brevibus hîc delineandam.

§. II.

Spathe utriusque ſexûs.

Palmei fœtûs theca, quam proprio nomine Latini *Spatham*, Græci ἐλάτην καὶ σπάθην, Perſæ بکم نخل *Bukúmi nachl* appellant, (*vide Tab. 2. Fig. 1. & 2.*) figuram habet utcunq; clavæ ligneæ, ſimilem bulbo oblongiori compreſſo, quali in præliis utuntur Braſilienſes. Externa ſuperficies lanugine tegitur molli, denſâ, breviſſimâ, coloris obſcurè rufi; quâ abraſâ, diluto colore gratioſè viret; interna, alba eſt, glabra, humida & quodammodo mucoſa. Subſtantiam obtinet corticeam, in fibras dividuam, nonnihil tomicam, cùm exaruit lentam & corio non diſſimilem; craſſitiem culmi habet avenacei, tenuior exiſtens in parte gibboſâ, quàm reliquâ, & in ſpathâ fœmineâ, quàm in maſculinâ. Spathe conſtat tubo & ventre. *Tubus*, qui ſpadicis ſcapum inveſtit, compreſſus eſt, ex ventris gravitate incurvus, vaginam acinacis referens; longitudine ſpectatur cubitali, (in fœmineâ paulò brevior,) pollicari craſſitie,

tie, latitudine triunciali. Ima pars, quouſque comæ inſeritur, gracilior eſt, candicans & ſubſtantiæ tenerioris, quæ, cum ſpatham evellis, corii in modum contracta retrocedit, ſemipalmarem denudans ſcapi extremi portionem, quam vulgus dactyliphagum inter edulia recipit. *Venter* longitudinem aſſequitur cubitalem, latitudinem palmarem & ampliùs, craſſitiem, dum rupturæ proximus, triuncialem, utrâque facie tumentem, faſtigiô obtuſè mucronatô, orâ ubique ad digitalem latitudinem ſolidâ, ſubſtantiæ fragilis, ambitu acuto. Interiorem ſuperficiem exhibet convexam, albam, glabram & æqualem. Officium Spathæ eſt, ut naſcentem ſpadicem ab aëris injuriâ tueatur, ſcapum ſuo tubo, tenellum verò termitem, racemosque floriferos, clauſtrô ventris ſui fovendo.

Spadix maſculinus eiusque flores.

§. III.

Spatham maſculo turgentem ſpadice (*vid. Tab. 2. Fig. 1. & 3*) à ſpathâ fœmineâ vulgus ſingulari diſtinguit nomine أنباري نخل *anbaari nachl;* quin & excluſum, quem hic propono, *Spadicem* virgulasque illi avulſas eodem vocabulo indigitans; quanquam vocis indoles, nihil, quod ſcio, maſculinum, ſed domum, cellam, vel vas refertum denotet, & ſaltem plenitudinem inſinuet. Eidem recens in lucem naſcenti exempta floſculorum moles (*Fig. 4.*) peculiare obtinet, ac in palmicolarum Republicâ celebre nomen كهنج *Kohonegh;* Integro enim menſe, quo ejus habetur copia, exquiſitum præbet, tam liguritoribus obſonium, quàm ſocordibus remedium excitandæ libidinis, ſi ejus buccellæ aliquot comedantur. Extrahitur eum in finem Spathe, (*Fig. a*) vix dum è faſciis ſuis prominens; cui in longum inciſæ embryo ille eximitur, & in virgulas vel buccellas divulſus dono diſtribuitur petentibus: utramque ejus faciem vide ſis (*Fig. 4.*) Damni nullum ex evulſione periculum


Tab: 11
p: 697
F: 12
F: 1
F 14
F: a
F 15
F: 13
F: a
F: 6
F: 3
F: 4
F: 4
F: 16
F: 5
F: 7
F: 8
F: 9
F: 11
F10
J. W. Brandshagen. Sculp.


F:12
F:13
F:a
F:4
F:7
F:8
F:9
F10
Sculp.

lum eſt, quòd poſſint palmeto propediem fœcundando pauci ſuperſtites ſufficere. Exſciſſus hic partus (cæſareum vocant Medici) ſaporem habet vapidè dulcem, &, prout omnis pars Palmæ eſculenta, nucis caſtaneæ æmulum, ſed cum ſubamarâ cruditate quadam, & humiditate nidorem præbente ſpermaticum. Ejus gemmæ rudimenta ſunt floſculorum proximè explicandorum tenerrima candidiſſimaque, vinaceorum magnitudinis, ex mutuâ compreſſione multilateralia, mox figuram acceptura trigonam, quæ petalorum numero & ſitui reſpondeat. Hæc intemerato relicta domicilio, perfectionem menſe Martio conſequuntur, cujus calore promota carceris anguſtiam, facto impetu, diſrumpunt, prodeunte per Spathæ hiatum incluſo Spadice, cum racemoſa oſcitantium floſculorum ſcholâ. *Floſculi* (*Fig. 5.*) Liliis convallium ſunt minores, oblongi, tripetali, coloris albidi in luteum palleſcentis & ingrati, ſtaminum tribus, ad petalorum numerum, donati veſtigiis; nituntur non petiolis, ſed herbei coloris carnoſo quodam principio, reſpondente magnitudini ſeminis Coriandri, & in petioli modum emarcente. Hoc *Theophraſto* & *Plinio* impoſuiſſe videtur, quominùs utramque Palmam fructiferam appellare dubitaverint. *Petala* floſculorum ſurrecta ſunt, oblonga, concava, obtuſè mucronata, ſuccoſa, carnoſa, rigida; *Stamina* ſunt lanuginoſa, rigida, breviſſima, albicantia, multo referta *polline* in luteum palleſcente, leviſſimo & ſubtiliſſimo, qui etiam floris umbilicum copioſè obſidet. Pollis drachmæ unius pondere aſſumptus, dicitur, ad ciendam libidinem, majorem præſtare efficaciam, quàm ipſe embryo, quòd vel ex ſeminali halitu conjicias, quem exſpirat prægravem. Colligitur à gnaris, concuſſione ſpadicum recens natorum, (qui ſinguli ſingulas circiter uncias exhibent) & pyxide reconditur probè operculatâ, ne ab aëre virium patiatur diſpendium. Meliori conſilio pollinem electuariis roborantibus

admiſcent alii, quòd ſolitarius, quanquam pyxide clauſus, ſitum facilè contrahat. Floſculorum uni ſpadici numeroſa eſt congeries: nam, cùm Spadix unus mediocriter magnus (magnitudo pro arborum habitu diverſa eſt) virgulas ducentas contineat, quarum breviſſimæ floſculos habent quadraginta, mediæ ſexaginta, longiſſimæ octoginta; hic numerus floſculorum medius, cum virgarum numero multiplicatus, computum reddit duodecim floſculorum millium in uno Spadice: qui in lance à me librati, exhibuêre libram unam civilem Belgicam, unicâ minùs unciâ. Minor multò gemmarum numerus eſt in Spadice fœmineo, ad cujus examen nunc telam protendimus.

Spadix fœmineus cũ fructibus.

§. IV.

Spadix fœmineus, (*vide Tab. 2. Fig. 6 & 12*) termes palmeus eſt, ſine prodromis floribus agmen plurimorum fructuum exhibens; cum quibus, dum uterino adhuc cortice obvolvitur, guloſæ plebi ſalivam quoque movet, ferculum ventri ſimul ac Veneri expetitum: ſed quod maſculô haud melius quidem, ſed eò rarius habetur, quò majus nefas eſt, id gravidæ arbori eximere, & meſſem, quod ajunt, in herbâ conſumere. Arboribus tamen vel nimium fœtis, vel admodum adoleſcentibus, tantum abeſt, ut non liceat, ut potiùs ſuperfluas ſufferre ſpathas, neceſſe ſit: ne illic deficiente alimento fructus, hîc fracto in pueritiâ vigore, ipſæ matres intereant. Obtinuit & hic embryo nomen peculiare Arabicum نالة نخل *Taleh nachl*, quo à virili diſtinguitur, in Perſidem, me judice, introductum ab Arabibus illis, quos video cum cilicinis tuguriis palmifera littora inhabitare, & paſſim perambulare; ſed quæ vox tamen, ipſos intra Lares Arabiæ Spatham ſignificat, & طلع ſcribitur. Varia partus fœmineus, cum incrementi ſui gradibus, ſubit nomina, quibus in hôc foro ſucceſſu temporis diſcer-

diſcerni poteſt, & probè ſignificari, quantum & fructus ad maturitatem profecerint, & dactylophagi ſpes populi ad meſſem ſuam accedat propiùs. Quæ ipſa nunc ſingula, cùm incrementa, tum nomina, ordine recenſebimus.

Vergente Februario ac ineunte Martio, ſpathis rumpentibus, (*Fig. 2.*) primùm emicant Spadices, clauſtroque non multis poſt diebus relicto, nudi in lucem prodeunt; à palmicolis كُوكِّر *Kogèr*, vel ut alii ſcribunt كُوغَرّ مُخ *Kocherri moch* ſalutati, nomine, ut opinor, depravato ab Arabicâ voce جَوْهَر *Dſjauhèr*, quæ ſubſtantiam meliorem denotat; quo verò nomine, ut tota gaudet ſpadicis hujus compages, ita in ſpecie non alio ipſa inſigniuntur rudimenta fructuum. Hæc rudimenta magnitudinem æquè ac rotunditatem obtinent granorum piperis, ſuperficiem nitentem albam, ſaporem ſubauſterum; ſubtus duplici induta membranulâ ſive calyculo, uno exteriori, qui brevior eſt, altero interiori, qui fructum proximè & pene integrum involvit, utroq; oram habente inæqualem & ſuperficiem ſubaſperam. Copioſiſſima uni ſpadici inſident: numerum reduco ad bis mille & trecenta, ſi, ſpadices majores cum minimis jungendo, ſingulis virgulas octoginta, virgulis verò ſingulis grana triginta tribuam; ſed quorum vel medius vel major numerus ſenſim defluit per tot incrementi & mutationum gradus, quos ad maturitatem usque ſubeunt. Hoc in ſtatu cum ſobole ſuâ Spadix recens natus non diu moratur, ſed cum Aprili menſe invaleſcens, (*Fig. 7.*) extenſis ultra maris vigorem virgulis, fructus extra caliculos exhibet provectos, vergentes in figuram turbinatam, coloris unà cum virgulis in luteum languentis, ſaporis, paulò quàm ante, auſterioris. Huic ætati nomen eſt تُوكَرَك *Togerèk*. Menſe Majo (locis aliis inclinante Aprili) fructus noſtri parùm figurâ, nil ſapore mu-

mutati, ceraſorum adipiſcuntur magnitudinem, (*Fig. 8.*) colore in herbeum virente, ſubnato intus oſſiculi rudimento molliculo: virgulis interim longiùs quoque productis ac quodammodo luteſcentibus. Hæc facies nomen recipit خَمَلْ *Chamèl*, in aliis territoriis پُرُوَز *Puruus*; Variant enim pro obſcuris locorum incolis & ipſæ obſcuræ originis appellationes. Junio ineunte, alibi citiùs, (*Fig. 9*) olivas figurâ & magnitudine exprimunt, dum oſſicula indureſcunt, & caro, imminutâ humiditate, fit ſolidior, ſapore & colore nihil mutatis. In hoc ſtatu conſtituti fructus nomen gerunt خَارَك *Charèk*, & in aliis locis كُنك *Kong.* Appetente Julio plenum adeptis, qui Dactylis competebat, habitum, (*Fig. 10.*) viridiſſimus nitor eſt, figura turbinata, oſſiculum induratum, caro utcunque mollior, ſed pene exſucca, duriuſcula & acerba. Hos tamen vulgus tam difficiles ventriculo & auſteros fructus cum voluptate eſitat, expectationis, dum matureſcant, impatiens. Crederes naturam eis ænea dediſſe guttura, ſecus ac militibus M. Alexandri, quos immaturis dactylis (in reditu ab expeditione Indicâ) ſtrangulatos referunt, qui vel Palmam, vel illius Principis geſta deſcribunt. In hoc gradu conſtituti nomen خَلَالْ *Chalaal* tam diu gerunt, donec ad perfectam maturitatem devenerint. Maturitatem verò accelerant Circii æſtivi, venti ſupra fidem ardentes, & frequentiſſimè ſpirantes circa Caniculam. Quò illi æſtuoſiores ſpirant, eò citiùs omnes gradus decurri, ſoſpitari fœturam, fructûs magìs dulceſcere & maturiùs perfici, experiuntur palmicolæ; qui hos rebus ſuis ſecundos, ſuo licet corpori atque ceteris animantibus vegetabilibusque moleſtiſſimos ac pernicioſos ſpiritus, junctis expectant deſideriis. Nota, appellationem *Chalaal* interdum latiùs patere, & prædictis omnibus imponi gradibus, quibus facies

cies jam oblongior, olivæ ſimilis & dactylo genuina eſt. Menſe Auguſto, citiùs, tardiùs, dactyli matureſcunt, & hôc ipſo, depoſitâ priori, appellationem ſubeunt دمپس *Dumpàs.* (*Fig. 11.*) Matureſcunt verò non more ceterorum prunorum, quæ ſenſim totâ ſimul ſubſtantiâ molleſcunt, ſed primò acquirunt, putreſcentis inſtar pomi, maculam mollem, ut plurimùm in extremitate; quæ ſenſim proripiens, omnem ſubſtantiam crudiorem paucis diebus in dulcem pulpam convertit; Legendi tamen ſunt citiùs, ne productâ ad umbilicum mollitie, ſuo caliculo excidant, lapſuque ſpontaneo conquaſſentur. Hos Dumpaſios gula popularis maturis dactylis longè anteponit, fortaſſè quòd mixta partis crudioris durities cum pulpâ, bolum reddat commordenti gratiorem, vel quòd primi expleant pruritum appetitus, quem in has annonæ primitias vulgus dudum acuerat. Quin & conviviis ingeruntur virorum illuſtrium, inter antecænii, menſæve ſecundæ tragemata, loco non poſtremo proponendi. Eorum pars cruda ſuperficiem habet, cum nitore, quadantenus flaventem, carnem ex auſtero dulciculam, albam, duriuſculam, quodammodo farinulentam, ſiccam & friabilem; pars matura, pellucida eſt, mollis, dulciſſima, pro ſpeciei diverſitate, in rubeum languens vel rufa. Hâc facie, quâ ad maturitatem vergunt, excuſſi, in cumulos (quod ſuo loco docebimus) partiendi, & ſolaribus radiis exponendi ſunt, ut, reliquâ cruditate depoſitâ, inſolatione penitus emolliantur, & dulceſcant: quomodo omni graduum numero abſoluti & excocti, *Dactylorum* nomen ſubeunt, & à Perſis demum خرما *Churmà*, ab Arabibus تمر *Tamr* appellantur. Uſu tamen receptum eſt, eos recentes peculiari denominare vocabulo Arabico رطب *Ruteb*, quo ab antiquioribus diſtinguantur, quibus *Churmà* nomen commune eſt. Da-

ctylorum differentias recenſebimus, expeditâ deſcriptione Spadicum, quibus innaſcuntur.

Spadix nudus, ſexûs utriusque.

§. V.

Spadix ſuperficiem habet glabram, nitoris expertem, coloris languidè punicei, qualis eſt culmi avenacei, ſubſtantiam obtinet levem, laxam, nervoſam, ligneam, albidam & frondeæ coſtæ perſimilem; figurâ ſcopas exprimit domeſticas; nam & ſcapo conſtat & virgularum faſciculo. *Scapus* compreſſus eſt, ex pondere curvatus, pollicis craſſitie, latitudine geminæ unciæ, in fœmella trium cubitorum longitudinis, in mare brevior, ſuperficie, ut exaruit, ſtriatâ; ſubſtantia, cùm fibris conſtet tenſiſſimis, ex omni arboris parte maximè idoneam cedit reſtiariis, pro tomento, materiam. Pars ad palmæ longitudinem comæ infixa (recentis inquam & nondum adulti) carnoſa eſt, nuclei ſubſtantiam & candorem obtinens, eſculenta & vapidè dulcis, quæ & cruda populo ſervit pro cupediis, & à ditioribus pro condimento ferculis incoquitur; Ultra dictam verò menſuram amaritudinem contrahit, & paulatim indureſcit. Nomen ei eſt پانیر نَخَلْ *Paniiri nachl*, i. e. caſeus palmeus, nulli non Perſarum notiſſimum: Scapus, ubi deſinit, in *virgularum* ſive *bacillorum* faſciculum, non ſimul, ſed quodammodo gradatim, diſſolvitur, maſculus in denſum & pedalis longitudinis, fœmineus in ſeſquicubitalem, rariorem & magis diſperſum, illic maximâ florum, hîc dactylorum minori copiâ conſitum. Bacilli ſexûs utriusque ſunt ſimplices, recti, flexiles, longitudinis inæqualis, culmi avenacei craſſitie, imâ parte nudi & ad aſſem quadrati, in reliquâ floſculis fructibusve ſingulis inordinatè conſiti, ad ſitum cujusque fœtûs alternatim & à brevi intervallo retorti, adeoque inæquales & excuſſo fœtu ab impreſſis veſtigiis ſubaſperi; fibris donantur exiliori-

lioribus, quàm in ſcapo, & à reſtiariis repudioſis. Spadices bacillos tenent rotundo numero computatos, ex maſculis maximi ducentos vel ampliùs, medii quinquaginta ſupra centenos, minimi centenos; ex fœmineis verò maximi centum, mediocres octoginta, minimi quinquaginta ſex; horum in claſſe plerumque tres quatuorve invenies, præter naturæ ordinem concretos.

De Dactylis in ſpecie.

§. VI.

Arboris fructus ſequuntur, videlicet *Palmulæ* maturæ, quas *Perſæ* خرما *Churmà*, *Arabes* تمر *Tamr*, *Dioſcorides* & *Galenus* φοινικοβαλάνους vocant, *Græci* eas Δακτύλους & cum eis *Romani* Dactylos appellant, à figurâ digitorum, quos tamen minimè referunt. (*Tab. 2. Fig. 10. 11. 12.*) Potiori jure id nomen gerunt Dactyli Indici تمر هندي *Tamr Hindi*, ſiliquæ è ramis propendentes vaſtiſſimæ & à Palmâ heterogeneæ arboris, quæ eminus conſpectæ articuloſum digitum grandiorem, incurvum, accuratè exprimunt. Sunt verò phœnicobalani noſtræ, nimirum recentes, quas رطب *Rutèb* vocant, Palmæ mitis pruna, ut plurimùm glandium quercinarum figurâ, ſed iis ferè majora; pelliculâ veſtita tenui, pellucidâ, nitidâ, coloris in aliis ſpeciebus pallentis, in aliis lutei, rufi vel rubei, pro diverſo colore carnis tranſlucentis. *Caro* eis multa eſt, pinguis, pulpoſa, ſaporis vinoſi, dulciſſimi, oſſiculo ſuo laxè inhærens, intercedente membranulâ albicante, tenerâ, molli, & quaſi bombycinâ, in plures pelliculas dividuâ. *Oſſiculum* (*Fig. 13. 14. 15.*) ſolidum eſt, cornu inſtar tenax & durum, ſuperficie granis uvarum concolori, vel ex cinereo magis minusve dilutâ, interiori ſubſtantiâ ad ſimilitudinem nucis myriſticæ variegatâ; figura ejus quodammodo eſt turbinata, incurva, unâ facie gibba & æqualis, alterâ inſigni pulvinatæ figu-

Dactylorũ Oſſicula.

ræ

ræ ſulco in longum diviſâ. Facies gibba notabili cælatur lineolâ, tenui, per mediam longitudinem decurrente, cujus in medio punctum, quaſi umbilici, conſpicitur, albam fovens cartilaginem, quæ, ad mediam Oſſiculi ſubſtantiam penetrans, futuri germinis rudimentum eſt. Oſſiculi magnitudo plerumque ea eſt, ut tertiam totius ſubſtantiæ partem exhibeat; variat tamen pro ſpecie arboris & genio natalis ſoli. Arabiæ felicis dactylos, cujuſcunque nominis, pinguiores & minorum oſſium invenies, quàm Turciæ & Perſidis. In Oſſium viſceribus medullam talem non reperio, qualem ineſſe, ac terrâ emollitis eximi poſſe perſuaſum eſt *Rajo*, dexterrimo Angliæ & ingentis ſtudii botanico.

Dactylorum varietates. Dactylorum plurimæ ſunt varietates, à bonitate, figurâ, patriâ & diverſis accidentibus nomina ſortitæ. Quas inter primas ſibi ob ſalubritatem vendicant خُرْمَا سَرِّك *Churmà Serrèk*, dactyli coloris rufi & exiguæ magnitudinis. Sunt enim ad coquendum faciles, alimentum præſtant copioſum, laudabile, & omnis expers culpæ excitandorum flatuum ac torminum, unde etiam ad uſum deliguntur medicum. Habent hoc inſuper ſingulare, ut ſine prævia inſolatione, ſecus ac ceteræ ſpecies, conſervari poſſint, ne aceſcant. Ob gratiam ſaporis omnibus antecellunt خُرْمَا شَاهَانِي *Churmà Sjahunì*, id eſt, dactyli Regii, ita à præſtantiâ ſuâ dicti, & à *Plinio* quoque N. H. Lib. 13. cap. 14. laudati, ſuaviſſimam obtinentes ſyrupi aromatici dulcedinem, & auream claritatem ſuccini. Magnates hoc genus dactylorum menſis ſuis arrogant, quaſi ſibi ſolis natum, & cellas penarias iiſdem tam recentibus, ſive crudis, quàm poſt inſolationem conditis (ſyrupo ex caryotis ejuſdem generis expreſſo) ſolicitè inſtruunt. Hos in ordine bonitatis excipiunt: à ſincerâ dul-

dulcedine خرما شكري *Churmà Sjekkerì*, à nucis Moſchatæ figurâ & colore جوزي *Dſjauſì*, à myrobalanorum ſimilitudine (ſerotini valde) هليلي *Halilì*, à flavedine زرد *Serd*, à jujubarum parilitate عنابي *Unabì*, à lithargyrii pallore مردسنكي *Mordaſengì*, nuncupati; tum perquam molles & pulpâ ſcatentes موصلي *Muſalì*, & qui in arbore areſcunt, longi, rugoſi, non decidui جهرمي *Dſjehrumì* dicti. Nec poſtremi ſunt, quibus à provinciis & loco natali nomen impoſitum eſt فارسي *Faarſì*, جهاني *Dſjihanì*, مكي *Mekkëì*. Accedunt his ſeptem Baſrenſium proſapiæ inſigniores, per Arabiam deſertam decantati nominis, quas hîc, velut exoticas, omittimus. Inter dactylos mediæ notæ à Perſis numerantur خوش كوار *Chuuſj gowaar*, فلكان *Falakuun*, نارجيلي *Nardſjilì*, ميوهي *Miwahì*, سلوني *Seluunì*, محمودي *Mahhmuudì*, خارو جمال *Chaarù Dſjemaal*, خارو دريائي *Chaarù Derjaï*, كورنكرد *Kuungird*, خوش خوار *Chuuſj chaar*, بيارون *Pijaruun*, وندولالي *Wandulalì*, رشت و لشت *Reſjt* vel *Leſjt*, زاهدي *Sahidì*, & plures alii, in diverſis provinciis diverſis inſigniti nominibus; quorum à recenſione abſtinemus, ne Relatio in longum & inutilem excreſcat Catalogum.

RELATIO VI.

Palmæ hiſtoria naturalis & œconomica; ſive de Palmæ fœmininæ impregnatione, & ratione tractandi Dactylos.

Modus impregnandi Palmas fœmininas.

§. I.

Examinatis Palmæ, cùm partibus integrantibus, tum fructibus, liberiori pede ad reliquam tranſimus hiſtoriam: cujus vel ex primis, atq; plena res digniſſimaque admirationis eſt modus Palmas fœmininas fœcundandi. Habet id, tot popularium, Perſidis, Arabiæ, Ægypti, nutrix inter plantas ſingulare, ut, animalium exemplo, mari, ſtato tempore miſcenda, atque ſinguli ejus uteri, quaſi conjugali coitu, imprægnandi ſint; ſecus omnia ſua, quæ in lucem recens prodiderat, fructuum rudimenta, indeclinabili abortu, dimiſſura; abortu inquam, non modò poſſeſſoribus, ſed ipſis provinciis calamitoſa: Quandoquidem ex meſſe dactyliferâ populi illi ſuſtentare vitam non minùs debent, quàm noſtrâ gens ex frugiferâ; quâ irritâ, declinari fames à multitudine nullo conſilio poteſt. Memini, ætate noſtrâ accidiſſe, ut Turcus *Baſrenſi* urbi & territorio (ad oſtium Tigridis) iruptionem decerneret: quam Princeps ſolo repreſſerat conſilio, ad primum hoſtilis adventûs nuntium delendi omnes palmas maſculas, quarum excidio frugiperdæ fœminæ obſidioni & moræ hoſtium ſubſidia negaturæ ſint. Eruditus de conſilio hoſtis jam repedare cœperat, cùm tardatâ executione (quæ & ipſis incolis calamitoſa foret) præpes revocatus, propoſitum antevertit, excuſſôque Dominô, pœnas negligentiæ petiit. Palmicolis igitur incumbit, ut imprægnandis arboribus quotannis impendant operam, ſiquidem

dem in ſe redundare annonam cupiunt. Modus procedendi hic eſt: Spathæ maſculæ, incluſo tumentes flore & ad thalami conſortium maturo, ſub finem Februarii ex arboris faſtigio extrahuntur: quibus in longum diſſectis eximuntur ſpadices, floſculis nondum oſcitantibus, ſed in unam maſſam compactis conſerti. (*Vide Tab. 2. Fig. 3.*) Hos protinus in ſurculos, ſive bacillos, ſpadicibus fœmininis inſerendos, divellunt, quantum quidem fieri poteſt, in bifurcos, quoniam hâc formâ commodiùs uſui ſerviunt. Bacillos alii amant recentes, atque illico inſinuare ſpadicibus, ſi qui jam lucem nacti ſunt; allii eos priùs exſiccant, & in Martium usque menſem cuſtodiunt, quò, hiantibus uteris ad unum omnibus, inſitionem uno actu & operâ inſtituant. (*Fig. 16.*) Flores, an maturi connubio & quando eximendi ſint, explorari debet compreſſione ſpatharum, quæ contrectatæ, ſi nullum produnt ſibilum, nondum perfecti nec eximendi ſunt; ſi cum ſono renituntur perexiguo, maturi ſunt & ſine dilatione ſolvendi: quoniam ſic modicè rigeſcunt, & tantillum clauſi ſunt, ut pollinem (quodammodo ex ætate humentem) fovere ſine diſperſione & jacturâ poſſint, dum inſinuentur & areſcant, in ſolo enim polline omnis fœcundandi virtus reſidet; ſi verò ſpathæ digitis reſiſtunt cum ſtrepitu inſigniori, tunc flores jam nimium rigent & patent, nec ad uſum ampliùs idonei ſunt, quia ſolâ clauſi aſtrictione vaginæ ſuæ, quâ ſoluti, ſive id manu anatomicâ, ſive ſpontaneâ eruptione fiat, caveri nullâ ratione poteſt, quin pollinem in auras uno impetu explodant. Addo, quod mireris, exciſis hôc ſtatu ſpadicibus, omnes flores unâ nocte omnes defluere, cùm tamen in arbore relictis ad menſem integrum remaneant, polline quamvis, adeoque omni virtute, deſtituti. Ad arefaciendum requiritur, ut maſculini ſpadices procul morâ exſolvantur involucris ſuis, tum in ſuſpendendas ſimul divellantur particulas, quàm primùm

ſpathæ ex arboribus evulſæ ſunt; ſecus enim, ſi in iis compacti latuerint ultra diem naturalem, floſculi ambuſtione fœdati & macidi ad unum omnes decident, polline eorum pariter ambuſto & ſordeſcente. Parem jacturam ſurculi percipient avulſi, ſi alicubi acclinent, ne aura eos undiq; ambire poſſit: quod ut caveatur, ex funiculis obſcuro loco & in ſeriem ſuſpendendi ſunt, ita ut ſingulis ſpatium intercedat inane. Taliter exſiccati ad præſentes thalamos apti ſunt, & in annum poſterum, ſalvâ virtute, aſſervari poſſunt. Fœcundandi efficacia in eo poſita eſt, ut rudimenta fructuum ſeminali floſculorum polline vel ejusdem ſubtiliſſimis & inſenſibilibus particulis perfundantur; quod ut eveniat, furca una florida medio ſpadicis fœminei racemo per transverſum infigitur vel intexitur, (*Fig. 16*) ita ut evelli procellis non poſſit, ſed aliquandiu infixa retineri, dum omni depoſitâ virtute, embryonum rudimenta requiſitum vigorem adepta ſint. Hic actus peculiari decantatur phraſi اَنْبَارْ دَادَنْ *anbaar daden*, i. e. implere ſeu conferre plenitudinem. Inſitionem quandoq; iterant cives deſertorum, nihil ſuarum partium omiſſuri, quo conciliare annonæ poſſint augmentum, & novercalis ſolii detrimentum compenſare: quaſi ſatietur Venere, cui cum Cerere & Baccho non convenit. Reliqui Perſæ & omnes Arabes unicâ acquieſcunt inſitione ritè celebratâ; ſuperfluam ajunt alteram, & pro ſoſpitandis fructibus nil quicquam ampliùs conferre. Imprægnatio quoque ultronea contingit ſine ſtudio & manu cultoris, translato per aërem polline ex palmâ floridâ, non procul extante à fœmineâ. Videmus, toti palmeto cum virgas diſtribuunt, eas omnes haberi inſuper, quæ marem proximè circumſiſtunt, ex floribus halitum ultro ſuſcepturæ. Quid, quod orbum curatore nemus fœcundari univerſum poſſit ab unicâ Phœnice floridâ, ſi duntaxat vario flatu ſeminale pollen

juſtè

juſtè circumferatur: nam perinde eſt, quomodo pertingat, ſeu vento appulſum, ſeu manu immiſſum, ſive etiam ore afflatum; prout *Theophraſtus* H. Pl. L. 2. cap. 9. idem affirmat, & quisque æquiore animo crediderit, quàm ſi cum *Plinio* N. H. L. 4. c. 2, *Juſtino* Hiſt. L. 44. *Sileſio*que Poëta Lib. 3. referamus, equas in Luſitaniâ afflatu inanis venti pullos concipere. Enim verò, cum plena res aleæ ſit, fœcunditatem exſpectare ab aurâ, quod eadem, ſi adverſa, virtutem pollinis rapere aliorſum & diſſipare poſſit, ſi ſecunda fuerit, ſæpè imminutam & imbecillam deferre: inde in negotio tantæ expectationis palmicolæ tutiſſimam ingrediuntur fœcundandi rationem, & ipſâ manu ſpathis ſingulis ſingulos floſculorum ſurculos inferunt, quod hos teneriora fructuum rudimenta virtute ſuâ, & ſpem felicis annonæ, nunquam deſtituiſſe, longâ ipſis conſtet experientiâ. Creditur idem flos ſoſpitare fœturas quoque ceterarum arborum, & pronas in caſum reſtituere efficaci effluvio; quapropter illum multi malis aurantiis citreisq; inſerunt; quô verò effectu, penes inſerentes judicium ſit. De fructu palmeo res extra dubium eſt; unde quibus maſculæ deficiunt arbores, iis aliunde flores petendi ſunt; Deficiunt non ſemper ex incuriâ cultoris, verùm aliquando ex peculiari ſoli natalis indole, maſculinas non ſufferente, quicquid colendis operæ impendatur. Teſtes ſunt, ut loca alia, ita præ ceteris, فَرْخَانَادْ *Farchonaad*, Caramaniæ pars, quæ eam ob cauſam nemora non colit alia, quàm ſexûs fœminei. Transferendi autem ſunt cum virgulis legitimè exſiccati, ne in viâ fraceant, & probè obvoluti, ne ab aëre virtutis patiantur detrimentum. Parvi conſtant: integri ſpadices, ut cariſſimi ſunt, unico شَاهِي *Sjahì*, ſeu imperialis ſextante; ubi vero proventus uber eſt, viginti eodem pretio veneunt. Atqui hic palmas impregnandi (ſit verbo venia) modus & ratio eſt, pene ſimilis rationi

fœcundandi piſces: quorum ejaculata ova maſculi aſperſione ſeminis vegetantur; niſi ſatius ſit dicere, *exhalantes è Florâ particulas, aliquod ſaltem prunulorum rudimentis robur tribuere, quô adverſus defluvium firmentur.*

Modus tractandi Dactylos.

§. II.

A fœturæ hiſtoriâ, verſandorum fructuum rationes videndæ ſunt; (*vid. Tab. 3*) quomodo nimirũ excutiantur, inſolentur, exprimantur, conſerventur, & ſi quid hic autumnus induſtriæ ampliùs requiſiverit? Ab excuſſione ordientes, triplicis cenſûs dactylos, qui obſtetricem admittunt manum, in ſtirpe noſtrâ notamus, ſolo differentes gradu maturitatis: primi ſunt, خلال *Chalaal* dicti, qui ad maturitatem inclinare, vel extremitate ſuâ matureſcere incipiunt; ſecundi دُمْپَس *Dumpas* appellati, quorum mediam circiter partem maturitas occupat; poſtremi, qui integrè maturuerunt, ac nomine خرما *Churmà*, i. e. Dactylorum κατ' ἐξοχὴν inſigniuntur. Omnes autem triplicis ordinis dactyli unâ operâ arbori eximendi ſunt, ne ultro decidentes conquaſſentur; hi, quia præmolles carpendi dilationem minimè ferunt, illi iſtique, quòd in lapſum proni, ad deciduam quoque claſſem biduo triduove transgrediantur. Verùm, cum præaltæ & immobiles palmæ ſe concuti non patiantur, ſcandere verticem oportet, &, lapſum anticipando, fructus deciduos ipſâ manu decerpere. Scanſurus (*vid. Tab. 3. Fig. 1.*) tibiis in altum repit, à caſu ſe muniens reſte validâ, quâ tergo tenus ſub axillis protenſâ, finibus colligatis, unâ cum caudice laxè cingitur. Hanc reſtem, firmâ manu utrinque retentam, ſuper pollices aſperamve ſuperficiem caudicis ejicit, ſubinde altiùs, ſeſeque hoc niſu ſublevando, comam aſſequitur. In eâ conſtitutus, quaſillum longo adducit funiculo, quem alterâ extremitate femori alligaverat; adductum

1 Dactylorum collectio.



J. W. Brandshagen. Sculp.


Tab. III. p. 711
Fig. 1

ctum dactylis, quocunque gradu maturuerint, manu decerpendis replet; repletum dimittit, à ſubſtantibus ut depleatur; rurſum reducit, atque opus (crudioribus in arbore relictis) tam diu iterat, donec maturi cum matureſcentibus ampliùs deficiant. Alii ſpadicibus comprehenſis, dactylos motu excutiunt, (*Fig.* 2) quos ſub arbore conſtituti expanſo reti excipiunt: qui verò legendi modus ſaltem in palmis obtinet humilioribus, quia in altioribus excuſſione nimium diſperguntur. Lectionem per autumnum ſingulæ palmæ binis ternisve vicibus ſubeunt, donec omnium exactio fructuum trimeſtris intra decurſum abſoluta ſit.

Excuſſi indies Dactyli, ſecundum triplicem maturitatis gradum, ſeliguntur, in ſtragulis, ex folio palmeo textis, acervatim deponendi, (*Fig.* 4.) ut ulteriori inſolatione (quæ illis pro diverſo maturitatis gradu per biduum, triduum, vel longiùs opus eſt) excoquantur; ita primum in pulpæ colliqueſcunt mollitiem, mox eodem ſole rurſus ſpiſſantur magis magisque, donec corruptionis genium deponant evaporatione abundantis humidi; quo alioquin retento, conſervari tam induſtriè non poſſent, quin brevi fracerent & aceſcerent. 2 *Inſolatio.*

Conſervandi triplicem obſervavi conditionem: aut enim poſt inſolationem torculare & melliflui roris orbitatem paſſi, inculcantur utribus (*Fig.* 4) vel oblongis fiſcinis, pro cibo plebejo; aut expreſſione emaciati, rurſus aliquâ ſyrupi ſui portione priùs irrorantur, quàm prædicta ſubeant receptacula; aut preli omnino expertes, alio inſuper ſyrupo copioſè perfuſi, in fideliis condiuntur, habituri locum inter obſonia ditiorum. Hos omnes, & quacunque lege aliâ conſervati fuerint, Latini Medici amant appellare *Caryotas*, Græci φοινικο-βαλάνες; his nominibus eos dſtinguentes à ſiccis & rugoſis dactylis, qui ex Syriâ Ægyptoque in Europam deferuntur, τραγήματα dicti ideo, quòd 3 *Conſervatio.*

quòd proponi ſoleant inter cupedia menſæ ſecundæ. Horum (poſtremi generis) geminam varietatem reperio: Unam eorum, qui ex ſpeciali indole non ſunt decidui, ſed in arborum ſpadicibus exaruerunt; alteram, qui proximè ante maturitatem, dum eis خَلَال *Chalaal* nomen erat, decerpti, perforati, filoque ſuſpenſi, & de induſtriâ exſiccati ſunt. Malunt ad arefaciendum eligere prolem delicatiſſimam, ejus præſertim generis, quod ob ſaporis præſtantiam شَاهَانِي *Sjahunì*, i.e. Regium nuncupant. Fiſcellæ, quarum memini, ſunt tetrapedalis longitudinis, ex agreſtis palmæ foliis ad ſaccorum formam & capacitatem contextæ; Texturæ genus vocatur جُلَّت *Dſjullèt*, quô & dactyli reconduntur, & ipſi utres induuntur pro tutamine. Utres ſunt pelles caprinæ, nonnunquam vitulinæ & ovinæ, ita conſutæ, ut recipiendis humoribus ſerviant: his butyrum, lac & caſeum, his oleum, aquam & vinum, ut cetera taceam, totâ Perſiâ Arabiâque circumferuntur, & in tabernis quoque exponuntur venalia, facie piloſâ aliquando introrſum converſâ, aliquando extrinſecus, prout diverſa contenta minùs permeare comperta ſunt.

4 *Expreſſio.* Syrupus huic populo magni uſûs & momenti liquor eſt; eum ut eliciant, palos requirunt orgyiæ longitudinis, qui, cum ligna deficiant, ex frondibus Palmarum nuper delapſis parandi ſunt: Hos, in orbem trium paſſuum diſpoſitos ſurrectosque, inſertis viminibus connectunt, ita ut efformetur crates, longa, cylindracea, quæ præſtare torcularis vicem in expreſſione valeat. Cratem hanc vocant چَاك *Tſjaak*, quam, (*Fig. 5.*) cùm uſus poſtulat, ſupra declivem lapidem, tabulamve ſtatuunt, ſuffoſſoque pavimento, diotam ſyrupo excipiendo ſupponunt fictilem; fictilem dico, nam his regionibus vaſa lignea majuſcula nec dantur, nec climatis æſtum ſine ruptione perferunt: Tum

crati

crati inſolatos dactylorum cumulos, quotquot capere poteſt, ingerunt; qui ſuâmet mole gravati, ac aliquot dierum æſtu macerati (nam & hoc negotium in aprico peragitur) humorem plurimum transmittunt, & in receptaculum deponunt. Syrupum qui avariter expetunt, fune circumducto cratem arctiùs ſubinde conſtringunt, ſaxisque impoſitis profluvium extorquent copioſius. Ita melle ſuo penitus, vel majori parte exuti reconduntur in receptacula, quibus poſſint aſſervari. Toties autem crates replendæ, & expreſſionis labor iterandus eſt, donec palmulæ, arboribus ſubinde excuſſæ inſolatæque, torcularis vim omnes expertæ fuerint. Baſrenſes Arabumq; ceteri, quibus amplior palmarum & annonæ copia eſt, compendio rem expediunt. Nimirum, torcularium loco cameris utuntur ſubdialibus, deſuper patentibus, pavimentô contabulatô vel gypſatô, parietibus cæmentitiis, quibus intus ramalia opponunt, ne impuritas officiat. His omnem dactylorum molem, quanta ſatis inſolatione emollita eſt, unâ operâ inferunt, & confluentem ex iis ſyrupum lacu ſubtus factô excipiunt; ſique is parcior pro deſiderio effluat, aquam ferventem ſuperfundunt, quâ dulcedinis ſpiſſitudo magis eliquetur. Eliciendi modus eſt alius monticolis uſitatus, quibus Ceres invida palmæ negat proventum: Dactylos, tergis aſportatos aſininis, & palmicolarum prela jam dudum expertos, contundunt, mox aquâ percoquunt copioſâ, donec ſolvantur in pultem; quam, abjectis ſordibus, coquunt ad ſpiſſitudinem ſyrupi: ſed qui bonitate neutiquam reſpondet illi, qui ex cratibus funditur. Hunc fruſtra expetunt: quòd vaſis recondatur fictilibus, qualia iter per anfractus rupium haud ſuffert. Quandoquidem utribus pelliceis (prout hôc cœlo liquores ſolent) aſſervari non patitur, ſine ſaporis detrimento. Dulcium verò intaminatam ſuavitatem mirè attendit œconomia Perſarum & Arabum, & in palatis demulcendis quàm

ſatiandis majorem curam agit. Syrupus dulci pinguedine butyri vices, embamma, obſoniorum condimentum, & ut multa complectar, tantum præſtat menſis utriusque gentis, quantum, ſi ipſos dactylos excipio, cibus ullus præterea.

Palmeæ meſſis facilitas.

§. III.

Hi ſunt palmicolarum in meſſe, ut ſic loquar, dactyliferâ, luſus magìs quàm labores, neutiquam cum noſtratium agricolarum infinitis occupationibus comparandi. Heu ilias hîc laborum! dum agros effringimus, ſubaramus & reſulcamus; dum occamus & liramus, runcamus & reſarrimus; dum, ne ſementis contabeſcat, marga & fimus inferenda; ne ſuffocetur, lolia eradicanda; ne abſumatur, volucres & quadrupedes arcendi ſunt; quin, quod nullâ arte caveri poteſt, à limacibus, muribus & inſectis damna & excidium verenda ſunt; dum & pluvia, ſiccitas vel qualiacunque cœli phænomena nunc expectanda, nunc metuenda veniunt; quibus omnibus exantlatis, in ipſa ſæpe meſſe, ex tempeſtate calamitas ingruit, quæ omnem cultoris ſpem atque operam peſſundat. Taceo frumenta flagellandi, vannandi, cribrandi, molendi atque ceteros laborum articulos, quibus toto anno Europæi fatigamur, ut ſolum obſonii vehiculum obtineamus Panem. Secus ſentias de ambroſiis dapibus Perſarum & Arabum; hæ gratis omnino & ſolo almæ naturæ munere conferuntur, absque prævià ſeminis jacturâ, absque aratro & labore: niſi fortaſſe excuſſionis & expreſſionis negotium laboris nomine tibi veniat; negotium ſanè tam leve, ne ſudorem moveret, niſi excuteret canicula: quam tamen natio, iteratâ corporis loturâ, umbrâ, otiô, confabulationibus, ludis, temperare, ad voluptatem usque, didicit. Sunt tamen qui palmeta inhabitant in anguſtis convallibus conſita; non inficior, hos fortunam premere graviorem, & annonæ

næ collectionem ob perferendos calores moleſtiſſimam; quandoquidem illuc venti, qui auram temperent, nulli penetrare poſſunt, &, qui penetrant, in vortices aguntur ex rupium, quas feriunt, dorſis, ardore imbutos intolerabili. Quid his conſilii? Relictis Laribus ad monticulos & loca edita plurimi confugiunt, & ſtructis inibi, quæ à ſole præſidio ſint, umbraculis & tuguriolis, operas perſequuntur. Quod hîc lubentiùs faciunt, quàm in ſqualidis palmetis, utut aſcenſu difficili fructus ad inſolationem & torcularia indies transferendi ſint: ut nihil dicam de aquæ & fontium defectu in collibus, quorum tamen præſentiâ mirè delectatur natio, & carere ad corporis lavationem æquô animô non poteſt. Umbracula illa nullô fabricantur artificio; ſatis eſt conducere ad radios ſolis arcendos. Pleraque conſtant ex fulcris quatuor, ad totidem paſſuum diſtantiam in quadratum oppoſitis, quibus deſuper incumbit operculum planum, ex foliis palmæ craſſè coagmentatum; latera auræ ſpiranti patent, ſtoreâ illi parti præfixâ, quæ ſoli adverſa eſt. Tuguria parva ſunt & levidenſia, ex eâdem conſtructa materiâ, nimirum ex ramalibus plerumque palmeis. Atque his obiter de dactyliferâ felicitate dictis, ad ſeriem hiſtoriæ revertimur. Palmarum cultores, ſicut occaſioni rivulorum & irrigationis obſecuti, non promiſcuô locô ſylvulas ſuas condidêre: ita benigna Ceres haud æquâ adeo manu ſingulas beavit provincias, ne locorum adſtricta genio, alias palmis cumulaverit, deſtituerit alias; ſi modo deſtituiſſe dicenda eſt, ubi finitimarum fœcunditate inopiam compenſat, quæ vel ære, vel opportunâ ſuppetentium rerum permutatione, levari poteſt. Videas territoria, quæ ubertate palmarum usque adeo luxuriant, ut cives laboribus impares partiri cum peregrinis annonam & colligendi operam debeant. Inde evenit, ſteriliorum locorum incolas ſtato tempore ad fructifera hæc nemora concedere, ut exhauſtis vivendi

ſubſidiis penuaria ſua novâ annonâ impleant, & inopiam natalis ſoli alieno proventu ſublevent. Nec tantùm turba inops adeſt ad mercandum, ſed vel major hoſpitum numerus, datâ Penatibus veniâ, æſtivandi cauſâ accedit; huc ab umbris, aurâ & fontium deliciis invitata, illinc depulſus ab igne imminentis Syrii, atque pluribus inſuper ærumnis, quæ limites patrios per æſtatem occupant. Has inquam ærumnas propoſitum nunc eſt recenſere; tum ipſius ad palmeta profectionis, commorationis & reditûs circumſtantias perſequi, eâ quidem fide, quâ illas in ejusdem ſtadii decurſu enotavi.

RELATIO VII.

Peregrinationes ad palmeta.

Introductio.

§. I.

Annuas ad palmeta profectiones nulli popularium frequentiores inſtituunt, quàm quos æſtus cœli æſtivare domi ſuæ non permittit; quales cum primis ſunt accolæ Sinûs Perſici, à سندي *Sindi*, usque ad بصره *Baſram* Arabiæ. Toto autem littore non ſunt, qui cœlo utantur tam incommodo ac ſibi infeſto, quàm incolæ urbis غمرون *Ghamroon*, vel ut ea rectiùs ſcribitur گمرو *Gumrù*, vel ſi nomen placet recentius بندر عباسي *Bendèr Abaſi*, i. e. Portus Regis Abaſſi, à reſtitutore ſuo ita dictus. Hæc, quæ me nunc tenet, urbs, ſita eſt in littore, ſub elevatione Poli 27 . 30 . à tribus paraſangis oppoſita urbi ac inſulæ هرموز *Hormuus*, vulgò *Ormuus*, quæ olim florentiſſima Regum Kirmanenſium ſedes, proſtrata nunc atque diruta jacet, ſolo militum præſidio habitata, cùm, ex occaſu ejus, urbs

urbs noſtra ortum & incrementa ſua duxerit. Ædificiis adornata eſt ignobilis ſtructuræ & ſine ordine locatis; hoſpitum verò frequentiâ, civium multitudine, mercium undique appulſu, velut ad auſtralem Regni portum inclyta; emporium inquam totius provinciæ Ormuſienſis, quæ hodie جَرُوُن *Dſjeruun* & جَرُنَاتْ *Dſjerunaat* appellatur, ab Afris, Arabibus, Indis, Perſis, Armenis, Europæis habitatum; maximam civium partem conſtituentibus Multhanis, ſive Benjanis, gente Indorum omnium humaniſſimâ ac religioſiſſimâ. Mireris, quàm hæc populoſa civitas per æſtatem ab hominibus inanis ac deſolata jaceat; dum ne centeſima pars civium in eâ videre ardentem Caniculam ſuſtinet, imminentem veriti ceu vitæ peſtem, ut, qui in hoc purgatorio æſtatem remaneret, ne mendicum quidem, vel quemcunque ſuæ ſpontis hominem nullô præmiô induxeris: Saltem ampliori domui cuſtos immanet verna, vel libertus aliquis ſenex, vel anus ſerva, quam, ne ex climate contabeſcat, ante mediam caniculam redux excipit vetula alia. Soli, quod mireris, Belgæ, qui Illuſtri Societati hîc à commerciis ſunt, littus non deſerunt, ſed ſævienti cœlo vigorem ætatis ac genitale robur corporis pertinaciter opponunt; nihil territi moleſtiarum iliade, cum virium diſpendio quotidie abſorbendâ, nihil feretris ſodalium, quos æſtivo ardore detritos atque enervatos, quævis deinde febricula exanimabat; nec civium exemplis cauti, qui licet injuriis cœli patrii ferendis aptiores nati ſint, maturô tamen profugio ſe ſubducunt, ut گَرْمْسِيرْ *germeſiir*, (ſic vocant terras immodicè calidas) cum سَرْحَدّ *ſerhèd*, (ſic manſiones ætheris temperati) commutando, valetudini ac vitæ ſuæ conſulant. Quibus verò bene valere juſſis, iter ego cum civibus ad palmeta nunc proferam, ſi priùs formidandas fugæ & profectionis cauſas,

 quas

quas ipſe olim ad faſtidium exantlavi; tum popularem proficiſcendi rationem atque his annexa, expoſuerim.

Cauſæ urgentes diſceſſum ad palmeta.

§. II.

Primates loci, (Archiſatrapa, officiales & principes mercatores) quos non penuria ad palmeta, ſed æſtivus ſqualor tranſire ad æſtiva monet, alii ad urbes contendunt mediterraneas, opibus & vitæ deliciis inſtructas, quanquam diſtantiſſimas; alii in propiores montium receſſus algidos & aquoſos refugiunt, non minùs hîc cum familiâ commodè, quamvis ſine luxu, moraturi. Circo hominum maximo cura peni & fortunæ modulus metam profectionis ad palmeta conſtituit; quæ, etſi non æquè mitigandis caloribus apta ſint, quòd & aquam parcè, & umbras rariores præbeant, quin & ventis æſtuoſis obnoxia ſint; hoſpitem tamen ſuum minimo ſumptu alunt, & ſine magnis viatici expenſis recipiunt; quippe octiduô, ſi longiſſimè, ab urbe remota.

1. *Peregrinationis Verno tempore commoditas.*

Ad auſpicandum iter aura commodior eſt menſis Maji: nam hæc tanto calore nondum æſtuat, ut oriente ac declivi die iter capeſſi non poſſit ſine moleſtiâ. Melius ſibi conſulunt, qui iter primo Vere inſtituunt, & ſic Majum atque Aprilem anticipant; quandoquidem infelix ſolum malignis & arſenicalibus, ut ſic loquar, ſpiritibus, quos hoc tempore excludit, aërem contaminat, illinc à boreali jugo montium, *Ginau* & *Geruun*, quod littori à quatuor paraſangis opponitur, hinc ab accumbente auſtrali aurâ, velut clauſtro, cohibitum, ne difflari poſſit. Cui eodem tempore accedit præceps à frigore, non vehemente quidem, ſed peracuto, caloris incrementum: quæ pernix & pernicioſa varietas, aëris vitio ſociata, humores corrumpit, & febres gignit acutiſſimas, paucos intra dies tragicum ludentes in ſcenâ humani corporis.

2. *Febres Vernales.*

3. *Palmarum con-*

Præterea, mancipes Ver adultum evocat, ad palmarum conductionem, nunc more ſolito

inſti-

inſtituendam. Fructus enim in ſtatu conſtituti, quem *ductione neceſſaria.* خارك *Charèk* vocant, diſcrimen amplioris defluvii jam evaſerunt, dum nulla adhuc de expectatâ pinguedine præbent argumenta; quò minùs in contrahendo elocantis juxta & licitatoris ſuſpenduntur animi, de damno ſecuri, de fœnore incerti. Nec tacenda eſt Laribus hoc tempore ingruens victûs inopia, præſertim aquæ potabilis. *4. Defectus aquæ potabilis.* Sola hæc locum habet in Oeconomiâ gentis, procul vinô, cereviſiâ & omnibus inebriantis liquoris ſpeciebus relegatis. Aqua autem illa non ſaltem paucitate ſuâ civem deſtituit, ſed pravitate etiam perdit bibentes, niſi aliunde, quod ditiores curant, tergis camelinis advehatur. Fallunt Lectorem Geographorum tabulæ, in quibus & littus hoc, & Perſia mediterranea multis fluminibus pingitur: re ipſâ perennia utrobique reperies pauciſſima, inter ea vero nullam præter Araxin, quæ aquam potabilem mole aliquâ in Sinum deferat; nec hæc tamen usque longo tractu, quo à loco antiquæ Perſepolis deceſſerat, (ubi noſtrates eam بند امير *Bend Emiir* vocant, à cataractâ conditoris Emiri Chani) ab adulterio admiſſæ ſalſuginis incorrupta permanet. Cetera flumina, quæ Perſidem, ſive Perſiam auſtralem, irrigant, (de dulcibus loquor) brevi, quàm à montibus devoluta ſunt, in agros derivata extabeſcunt, & ad ſalum neutiquam pertingunt. Hunc naturæ defectum ſupplere ſolertia hominum anniſa eſt, non puteis, nam & hi plerumque ſalem ſapiunt, ſed amplis & in terræ gremium demiſſis cellis ampliſſimis, deſuper fornicatis, in quibus anniverſarius imber mediâ brumâ depluens confluit, & in viventium uſum aſſervatur. At, hæc cœleſtis unda, hôc innubi & minùs pluvio æthere, raris vicibus demiſſa, fauces iſtas vix replet; tum etiam per nitroſam terræ ſuperficiem dum fluit, ſale ſordibusque

variis

variis inquinatur: unde evenit, eam hôc tempore vel penitus deficere, vel, ſi quæ in fundo reliqua eſt, muriam ſapere, & ingraveſcentem cum æſtate ſitim neutiquam reſtinguere. *5. Dracunculorum generatio.* Adde, eandem in fundo abundare ſeminali materiâ, ex quâ Dracunculi, ſeu lumbrici tenues, immanis longitudinis پيوك *Pejuuk* dicti, bibentium innaſcuntur muſculis, cum virulento ulcere exterminandi. Cui quidem morbo non æquè facilè obnoxii ſunt, qui tempeſtivè recedunt, quàm qui circa littora remanentes, ſanguinem ſuum pravâ illuvie magis contaminant. Tantum autem abeſt, ut effugiô dracunculos evitaverit, qui ejusdem ſemine jam imbutus eſt, ut potiùs in alieno, & præſertim gelido, climate, majori & longiori ulceris & tardiſſimè maturantis tabi incommodo decubiturus ſit, non ſine incurabili remanentis fiſtulæ periculo, ſi ab imperito tractetur. Fateor tamen, conſtitutum extra tantas ardoris, qualis hìc ſævit, moleſtias, majori patientiâ & virium robore armari, ad dolores & incommoda, dum ſanetur, perferenda. *6. Cibi inopia.* Altera, quæ multitudinem premit, inopia cibi eſt. Promptuaria quippe ſua patres familias annonâ ſolent inſtruere, calculô temporis, cui ſufficiat, nunquam longiùs productô, quàm in menſis Junii decurſum: quo inſtante, annua redit difficultas cellæ penuariæ, vix interdum ſufficiente ſibi pro viatico. *7. Æſtivus calor.* Omnium verò moleſtiarum, quas cives fugiunt, caput eſt ipſe calor æſtivus, ultra humanam tolerantiam, præſertim ſub Sirio, intenſus. Nemo unquam tam fuit robuſti corporis, quin ab iſto hoſte noxam paſſus ſit, ſæpè etiam à meridianis radiis interitum. Id mihi *Gamroni* innotuit exemplis plurimorum, quos geminâ æſtate (unâ quidem me præſente) Libitina ardens rapuit. Non piget ex utrâque æſtate quædam inſerere. Miles Batavus ex vireto *Nabam*, quod una hinc leucâ poſſidemus, circa meridiem rever-

verſus, ad *Martham* (id œnopolæ nomen eſt) divertit: quâ vix dum ſalutatâ, de vertigine querens, animo delinquit, antequam opifer comparerem, extinctus. Eadem limina, paucos ante dies, ingreſſus juvenis Anglus, commerciorum ſcriba, cum per ſuburbanos campos feſtinanter ambulâſſet, inopinatò exanimatus eſt. Par fatum diverſo tempore duos ſub ærumnâ proſtrabat bajulos nigritas, cùm pridiè ad onerandam navim rure, ubi æſtivabant, cum ſociis revocati, ægrè comparuiſſent. Epibatarum unus ex decurſu ſitiens, admotâ gutturi amphorâ, ſub amyſtide exſpirabat; alter, ab apricatione laſſus, cum ſomno requiem capiebat æternam; tertius ab uſu balnei frigidi (in prædicto viridario) aſininô tergô redux, præceps exhalavit animam. Gubernator Provinciæ, quòd abitum tardâſſet, ex ſequiori ſexu ſeptendecim (ſed antè infirmatas ex ſqualore recens extructi palatii) in itinere amiſiſſe dicitur. Ipſe, cùm propediem ſecuturus eſſet, duas conjuges, quas ſibi comites retinuerat, cum ſocero uno domi ſuæ amiſit; contractâ pridie ex balneo frigido febriculâ, leviori, uti dicebat; nam vocatus ego, in agone eſſe indicavi, quas ipſe feriò ægrotare non credebat. Neç brutis parcet ignitus aër, equis hôc ſidere hîc retentis perſæpe viſum adimit, quem tamen reſtituit bruma ſubſequens. Canes, quorum firmitatem proverbiô ludimus, ex ſolari radio in gyrum actos protinus exſpirâſſe bis vidi. Solis aſinis & camelis Perſicis Salamandrorum genius eſt, & naturalis quædam firmitas ardentem Sirium ſine damno ferendi. Circium his malis annumero; ventum, ne- 8. *Venti ardentes.*
ſcio ex quâ vocis derivatione, بادِ سامور *baadi ſamuur* dictum, qui horis pomeridianis, velut ex orco pulſus, hôc cœlo flagrat, vitæ animantium usque adeo inimicus, ut ruri correpta aliquando ſuffocet; incertùm incolis, malignitate etiam, an ſolo ardore. De ſiti & faucium ſiccitate 9. *Ardoris*

comites ſitis, ſudor, exanthemata.

perpetuâ; de immodico per corporis ambitum, non ſtillante, ſed pluente, præſertim inter bibendum, ſudore; de ſcabioſis exanthematis, quæ acri ſaniè axillas, femora & partes ob honeſtatem reconditas excoriant, deque ceteris non dicam afflictionibus, tanto calori ſociis, quæ vel ſolæ hinc te ad antipodes fugaverint. Ejusdem genii ſunt Ulcuſcula, quæ furunculos vocant chirurgi. Dirè, hæc mala ſeges, humana corpora, non omnium tamen, nec omni æſtate, excruciat; & quod peſſimum eſt, manu tractata chirurgicâ, numeroſiori prole per totam ſoboleſcit corporis ſuperficiem. Uni ego architalaſſo noſtro in perparvo & maligno corpore furunculos numeravi ampliùs centenos, quibus indies pertuſis, accidere mihi viſum eſt, quod de *hydrâ* poëtæ referunt: nam paucos intra dies, quaſi ſub cuſpide ſuccreſcentes, trecenteſimum numerum, atque omnem ſupputandi rationem confuſâ multitudine exceſſerunt. His autem ſordibus & ſudoribus nullum remedium eſt magìs proficuum, quàm patientiæ. Qui pertæſi ſtolam, quâ induebantur, aquâ ſubinde humectabant, vel diem fallebant in ciſternis aquâ merſi, illi exſtincto vitali igne, vix annum ſupervixerunt. Furunculorum grata eſt acceſſio demorantibus, velut beneficium naturæ Pancraticè valentis; nam à graviori morbo ſoſpitant poſſeſſorem, imprimis à contagio febris & dracunculorum, illo breviſſimo ſed ferali, hoc longo & fœdiſſimo: fortaſſè internâ cauſâ declinante ad ſuperficiem. Conjectura in proclivi eſt, ſi hos ſanos & felices prædicamus: qualis ſit conditio eorum, qui in hoc orbis ergaſtulo ægri vel miſeri dicendi ſunt!

Ab inſectis inſidiæ.

Ab inſectis etiam, ſi interdiu pax eſt, noctu tamen tuta non datur quies, ab æſtu fortaſſe irritatis in rabiem. Nocent in campo phalangia, domi dormientibus ſcorpiones, utrobique veſpæ acutiſſimo armatæ veneno: hæc peſſima progenies ab urente ſole cohibita, primô diluculô ad prædam evolat, muſcarumque ſociata

ta

ta turmis dulcem expugnat dormientibus ſomnum, quem aurora, mater benigna roris gelidi & præter cœli Aſiatici indolem hoc loco innocui, gratioſè indulgebat. Scias enim hâc anni parte dormire neminem niſi nudum poſſe ſub dio, dempto omni papilione, aut, quod cœlum & rorem arceat, velamento quovis leviſſimo. Quem in finem domuum ſummitates ubique ſuperficiem referunt planam & pavimentatam, in quam ex interiori parte ad requiem capeſſendam per ſcalas aſcenditur. Taceo turbatores ſomni, glires noctivagos; taceo, quæ veſtes comminuunt depoſitas, tinearum pernicioſum genus; taceo albas, quas vocant, formicas, verendum mercatoribus inſectorum genus, quod vel unâ nocte integra mercium volumina deſtruit; taceo quamcunq; aliam poſſeſſionum magis, quàm corporis perniciem, demorantibus moleſtam. Pro complemento habes fœtorem, qui ex areſcente algâ, & holothuriis putreſcentibus emanat; nam utrumq; excrementi genus ab undâ maris, mirè per caniculam exuberantis, in littora copioſè propellitur: cujus teter ſpiritus, velut Tryphonis è ſpecu halans, perniciem cerebro & commorandi tædium nulli non demorantium inducit.

Fœtor ex ſordibus marinis.

§. III.

Peregrinatio.

Peregrinationis hæc ſunt antecedentia. Vicinæ vel cognatæ domus, in itineris ſocietatem coëuntes, accerſitis camelariis, de vecturâ rationem inſtituunt. Rarenter cum his pactio fit pro univerſo itinere; uſitatiùs ita contrahitur, ut indies ſolvatur pro camelis ſingulis circiter uncialis: poſteriori pacto paulò tardiùs, priori citiùs, ut veredariorum aſtus eſt, iter abſolvitur. Proximo quo vacat die, jumenta omni onerantur domeſticâ poſſeſſione; ſed quàm ſpecioſâ! utribus, hydriâ, fiſcellâ cibo refertâ, fuſo, girgillo & ſtoreis: ſcruta adeſſe alia non memini. Utrinque ad clitellas alligatur cophinus cum catis & libe-

liberis, quorum capita, quod lepidum aſpectu eſt, duo aut tria promicant. Aſſerculus, clitellis per transverſum affixus, juxta confidentes recipit mulierculas duas vel tres, quæ infantes, quos lactant, ſinu complectuntur. Herus ipſe, canis domeſticus & filii, ſi qui ſunt adulti, iter pedes occipiunt. Abducendis ægris & nobiliorum fœminis arculæ ſerviunt, quas كَجَاوَه *Kadſjabah* vocant (*Figuram vide Rel. 9. §. 4.*) ſingulæ ad ephippii latera affigendæ. Ad caveæ normam fabricatæ ſunt, pannoque obductæ, ut in iis latitare ſinguli inſidentes poſſint. Has invenit magnatum luxus & zelotypia, ut gynæcea ſua in iis circumducenda occultare ab hominum intuitu poſſent. Nam ſuevit polygama hæc & mirè ſuſpicioſa in amore natio peregrinari cum luxuriæ apparatu, ſæpe ultra poſſeſſionis modulum. Cameli unius ſunt in dorſo tuberis, dromedarii dicti, ſed minores & alius genii, quàm quos alit Perſia borealis; hi ſunt cœli ferventis, illi impatientes frigoris, ſed aptiores nati ad perferendam in deſertis inopiam. Camelos duplicis gibbi in regno non vidi, præterquam quibus Bactriana merces ſuas, & Legatos mittit Tartaria. Adornati ad iter, per ſeries copulantur, ita ut ad antecedentis ephippium firmetur lorum proximè ſequentis, ex cujusque nare perforato propendens, donec ſepteni, nonnunquam ſeni aut quini omnes, connexi fuerint. Copulata hoc numero ſeries camelorum propriô gaudet nomine قَطَار *Khathar;* quemadmodum tota illa jumentorum turma, nomine قَافِلَه *Khafileh*, & univerſa iter facientium ſocietas كَارَوَان *Karawaan* appellatur. In deductione ſingulas ſeries ſinguli præcedunt pedites camelarii, manu ducentes primi ſemper cameli retinaculum, cujus ductui & ceteri obediunt, narium funiculo laceſſiti; Dum interim ductores cantilenam aliquam ſylveſtri modulantur

tur gutture, qua tardipedes pecudes excitare, & greſſus quodammodo dirigere ſatagunt. Per hos ordines pauci quoque diſcurrunt velites aſini ſine habenis aut capiſtris; quibus ſarcinas ſuas ſaccosve penarios pediſequi imponunt, aut ipſi, cum fatigantur, per vices inſident. Diætæ incertô menſurantur horarum ſpatio, quoniam ſtationes definiendæ ſunt locis ad pernoctandum idoneis, i. e. aquâ dulci à naturâ inſtructis. Progreſſus & lentis incedit gradibus, & paucis tamen horis ipſa diæta abſolvitur; ita, qui ante crepuſculum demigrant, ſtationem proximam profundâ aſſequuntur nocte; aut ortâ non pridem luce, ſi ſecundâ, tertiâve vigiliâ diſceſſerint; ex quo diætarum brevitatem nullo negotio conjicias. In ſtationem ut deventum eſt, ductores jumenta quique ſua exonerant; hinc de pabulo ſoliciti, in campos, ſi lux permiſerit, excurrunt, ut virgulta colligant apta paſtui. Sed quid tellus arida & deſerta pariat? præter alias pauciſſimas nihil, niſi plantam exhibet bipedalem ſpinoſam, à vulgo خارِ شُتُر *Chari ſjutùr*, id eſt, ſpina camelina propterea nuncupata, quod in deſertis camelos ſatiet; Botanicis vocatur آرُو شیرین *Aru ſjirin*, id eſt, *Aru* dulcis, ad differentiam آرُو تَلْخ *Aru talch*, ſeu amaræ, quod illius folia in Carmania colligendam præbeant Mannam notæ præſtantiſſimæ, quam Perſarum officinæ appellant تُرَنْجُبِين *Terendſjubiin*. Hic frutex, nullo quidem melle hîc loci rorifer, pabulum camelis exhibet, cujus cum collectâ & in faſciculos colligatâ copiâ, ſtationem repetunt. Tum in gyrum deductos, (*Figuram vide Rel. VIII. §. 3.*) barbaro ſcreatu gutturis, ſic aſſuefactos, ad cubandum inſtigant, eo ſitu, ut clunibus averſis capita mediam gyri aream reſpiciant, in quâ camelarius quique ſuis jumentis præſidens ramuſculos præbet

 man-

manducandos, quos manu ita dirigit, ne transverſi, aut inverſis ſummitatibus fauces ſubeant, ſecus expanſione reniſuri & noxam inflicturi aculeis. His aſſumptis, pro colophone unum bolum ingentem, recens ex farina hordeacea cum furfuribus ſubactum, collo quàm profundiſſimè ingerit deglutiendum. Si ſtirpes ad ſatietatem deficiant, vel ſi jumenta ex graviori onere, vel diæta longiori, viribus exhauſta ſint, aut ſi in anteceſſum roboranda fuerint ad iter ſalebroſum & arduum diei ſequentis, tum bolo gemino, vel pluribus, eos nutrire ſolent. Hæc dum aguntur à camelariis, locum ſibi in ſtatione deligunt viatores, in quo explicatâ ſtoreâ conſideant, fortè in aquarii, arboris, rupis, vel ſi adſit, xenodochii parte aliquâ, quæ auræ perflanti patet, & maximè opaca eſt; ibi ferventis diei lucem placidè exigunt, ſomno, loturâ, colloquiis; donec cadente ſole camelarius iter proferendum moneat. Pari ratione poſtridie pergitur & diebus ceteris, donec ad metam deveniatur itineris. Habes migrandi modum, ſed magnis familiis uſitatiorem, & ad æſtiva procul diſſita; Vulgus enim civium impar expenſis, ac deficientis memor peni, palmeta quærit propinquiora Laribus: Quæ dum quotannis repetit, de numeroſo comitatu non multum ſolicitus, ſolis cum domeſticis, vel cum paucis vicinis diſcedit, quandocunque vacat, aut volupe eſt.

RELATIO VIII.

Diætæ; Stationes; Aquaria; Hoſpitia circa Palmeta.

§. I.

Diæta. Narratis fœnerabor lucem, ſi diætæ, ſtationis & hoſpitii conditiones & nomina explicavero. Id igitur intercalari relatione præſtabimus. *Diæta* indige-

digenis منزل *Menſìl* appellata, tantum complectitur viæ ſpatium, quantum uno die viator abſolvit: diætis enim peregrinationes & urbium diſtantias metiuntur, relicto paraſangarum uſu geographis & curioſis. Sunt autem diætæ omnes haud paris longitudinis, ſed incertis ſtationum & hoſpitiorum, quibus in viâ pernoctari poteſt, diſtantiis metiuntur; quin eædem pro peregrinantium arbitrio, ſive illi præpetes curſores شاطر *Sjathìr*, ſeu nuntii equites چپر *Tſjapàr*, ſeu jumentorum tardigradi actores fuerint, corripi vel produci ſolent. Obſervavi tamen, nunquam intra quatuor, nec ultra octo paraſangas diætam contrahi vel extendi, ut, qui intra menſuram illam ſubſtiterit, dicatur tantùm dimidiam diætam, qui ultra progreſſus ſit, unam cum dimidiâ abſolviſſe. Paraſanga autem فرسنگ *ferſeng* & فرسخ *ferſach*, id eſt, leuca Perſica, quam Turcicè vocant *agaatſji*, tantam notat longitudinem vel loci diſtantiam, ut viginti duæ cum dimidiâ uni reſpondeant cœleſti gradui.

Stationem Perſæ eodem quo diætam vocabulo inſigniunt, eſtq; locus ad viam ædificiô publicô, quod *Karawanſerà* vocant, donatus, aquâ potabili naturæ artisve beneficio inſtructus, atque ita adornatus, ut peregrinantibus commorandi præbeat occaſionem. Stationum in Regno modicum invenies numerum circa vias Regni primarias: ſæpè in his, ſed maximè in provinciis auſtralibus ad alteram tertiamve paraſangam patet illuſtre diverſorium cum aquariis. In ceteris viis, quas non ita frequens calcat multitudo, præcipuè torridioris Perſiæ, tota quandoque diæta unicum tantùm indulget aquæ conditorium, cujus benificio commorari *Karawâna*, ſive cœtus peregrinantium poſſit; quod aliquando aridiori ſolo tribuere, aliquando ignaviæ liceat accolarum. In deſertis & ad palmeta *Statio.*

meta

meta deviis ſola aquæ dulcis, cujuscunque conditionis occurſaverit, præſentia ſtationem determinat; ſeu illa ſit pluvialis, ciſternino fornice collecta, quam آب انبار *aab anbaar*, & آب بركه *aabi birkèh*, ſeu in lacunâ rupis ultro conſidens, quam آب بنگرد *aabi bongird*, & آب غدير *aabi gadiir*, ſeu puteis excepta, quam آب چاه *aabi tſjah*, ſeu viva ſcaturiens, quam آب چشمه *aabi tſjesjmèh*, ſeu rivo defluens, quam آب رود *aabi ruud*, ſeu per incilia in alveum adducta, quam آب حوض *aabi hauſ* vocant: His enim vocabulorum differentiis ſtationes dignoſcunt, & ipſam aquæ copiam & bonitatem in ſiticuloſo climate diſtinguunt. Hoſpitia hîc fruſtra quæſiveris: cœlum tibi tectum eſt, ſed purum & nullo fœtens fuligine; lectica humus eſt, nullo contagio aut ſudore infecta; fons dolium exhibet, non vini, ſed liquoris ſinceri, nullo mangonio adulterati, promptuarium. Hoſpitari hîc ſine ſumptu licet, dormire impavidè, bibere gratuitò, ſatiari epulis, non quas hoſpes obtrudit invidus, ſed quas ipſe providus & frugalis tuâ manu aſportaveris.

§. II.

Aquaria. Aquaria, quibus dicimus ſtipari Karwanſeras, (*Vide Fig. §. 3.*) ut plurimum illius generis ſunt, quæ condunt brumales imbres ex terræ ſuperficie receptos. Structura بركه *birkeb*, lacus آب انبار *aab anbaar* vocatur. Lateritia ſunt, figuræ rotundæ, cellis ingentibus ſimilia, triginta & amplius paſſuum in ambitu; in terram tres quatuorve orgyias demiſſa, unicâ tantum vel gemina orgyjâ ultra terræ planitiem exſurgentia. Summitatem claudit ingens unius arcus hemiſphærium, quod radios eminus arcen-

arcendo, aërem intus temperat, & ad gelationem liquoris momentum tribuit. Quatuor habent portas in crucem oppoſitas, anguſtas, patulas, undique imbris affluentiam, auram ſpirantem, & hoſpiti aditum permittentes: interſtitia portarum, ſi major ambitus ſit, humi perforata quoque ſunt, ne quà humor arceatur allabens. Duo in aquariorum contemplatione animum ſuſpendunt: unum oblectatione, alterum faſtidio. Oblectat ſonus immanis, qui in eo excitari poteſt levi ante portam colliſione; innumeris enim duplicationibus agitatur, tempore non breviore deficiens, quàm quis orationem recitaret dominicam. Ex tonis unum præ ceteris audies reſonare clariùs & longiùs, prout is, concavæ magnitudini & figuræ certâ proportione reſponderit. Faſtidium ſordes pariunt innatantes, videlicet bufones, phalangia, cicadæ & illapſorum animalium cadavera; ut taceam fœditates telluri abſterſas, quæ tamen, quod peſſum actæ, haud conſpicuæ ſunt. Quibus omnibus potabilem variè inquinari, nemo negabit, niſi cum Muſulmannis credat ex Imamorum Theologiâ, quod aqua in loco excedente tres pedes trinâ dimenſione, (in longum, latum & profundum) à receptis impuritatibus nunquam poſſit inquinari.

§. III.


Xenodochiis, quas كَارْوَانْسَرَا *Karwaanſerà* vocant, *Karvvanſera.* frequentiſſimis gaudet Perſia borealis, ſingulis proprium nomen referentibus, vel à conditore ſuô, vel quacunque ſorte nactum; Raris admodum, nec niſi ad vias regias, donata eſt regio auſtralis: hæc enim expers injuriarum, quas domuum præſidio declinamus, tectis ſaltem pro umbraculis utitur. Malunt viatores diurni umbram & meridianam requiem capeſſere ſub obviâ quâdam Acaciâ, Cupreſſo, Platano, aut conſitâ propè fontem arbuſculâ quâ-

vis, quàm inter ſqualores anhelare parietum. Diverſoria gratuito uſui dicata ſunt, magnificis tamen ſumptibus ex ſaxo vel latere conſtructa, aliquando tantâ mole & majeſtate, ut Principum palatiis comparari poſſent, modò ſumptuoſis parietibus accederet externus decor ſpecioſæ ſupellectilis. Splendidiora ſunt ut plurimùm, quæ offendimus in populoſis urbibus, quàm quæ ad vias inhabitati ruris, vel in locis ab hominum frequentia remotis. Nam, cùm illuſtrium operum conditores non ſolo publicæ utilitatis, verùm etiam ſtudio gloriæ ſuæ atque poſthumi nominis, ducantur, malunt illi pecunias eo potiùs in loco erogare, quo ſacrata bono publico pietas plures admiratores & crebra hoſpitantium encomia invenit, quàm ubi præmio expectatæ laudis deſtituitur. Ne quis autem dubitare de auctore poſſit, frontiſpicia magno charactere inciſum ejus nomen exhibent, addito factæ extructionis tempore & proprio etiam nomine hoſpitii, ſi id alio, quàm conditoris appellari debeat. Hæc tria, conditoris, temporis & ædificii, nomina, perſæpe arguto ad indolem gentis Epigrammate definiuntur, quod mirè legentem, vel artificioſo conciliat ſcripturæ flexu, vel capit ludente facilitate profundi acuminis. Laudat inſcriptio ſæpe nigritam, Regii gynæcei eunuchum; nec rariùs negotiantem apud Indos mercatorem Perſam; nonnunquam primarii in Aulâ ordinis Senatorem, Provinciæ gubernatorem, matrem Regiam, matronam viduam divitiis affluentem, & ſi quos alios. Ubi verò beneficentia voluntaria defuit, ibi ex publico ærario Provinciæ cujusque Moderator providit, ne vel urbi vel viæ publicæ, ad mediæ vel unius diætæ diſtantiam Hoſpitia deficerent; Is, licet ex alieno diſpenſaverit, curæ tamen ſuæ præmium ſectatus eſt nominis ſui epigraphe. Non patitur prolixitas, vel difficultas etiam ſcripturæ & explicationis, ut exempla Inſcriptionum inſeram. Ingens mihi illarum farrago ſuppetit

petit, ex hoſpitiis, nec minùs ex templis, collegiis & variis palatiis manu meâ deſcriptarum, quàm commodiori loco ſervo, unô miſſu proponendam, ſi id operæ pretium fuerit. In pagis minoribus & à regiâ viâ longè recedentibus, ab agreſti incolâ pro diverſoriô exhibetur ædicula ſemiruta, ab omni ſupellectili vacua & haræ ſimilis, quin à lacertis, blattis, phalangiis, ſcorpionibus, habitata; nam tales mihi contubernales per devia excurrenti in hoſpitiis obtigerunt. Verùm, quicquid hîc nitoris deeſt ædificio, id humanitate compenſant cives ruricolæ; qui non, contractis frontibus & affatu aſpero, noſtratium ruſticorum more, peregrinos adoriuntur, ſed benevolè excipiunt, vario officiorum genere obſtringunt, pavimentum ſine morâ verrunt, tapetemque ſubſternunt, non acu phrygiâ diſtinctam, ſed pro ſorte ſuâ levidenſem ac puram. Nec morâ, ſalutatum accedunt pagi ſeniores, hoſpitibus ſuis xenia ferentes, nimirum flores, mala punica, uvas, melones, & ſi quid aliud impertitur loci Ceres; Mox ſubintrant viri facetiis & eloquentiâ toto pago maximè conſpicui, ut hoſpitibus moleſtiam temporis ludis & colloquio diſcutiant. Nec deſunt, qui *tamaſſjà mikonent*, i. e. qui ſpectatum otioſi veniunt, & hoſpitum veſtitus, geſta, mores admirantur; quod otioſorum genus inter populares frequens eſt, & peregrinis maximè moleſtum. Ad ultimum, in ſcenam non rarò ſe proripit obſcœna meretrix, noctis futura, ſi placet, ſocia. Hoſpitia commendat rivus præterfluens, per alveolum, vel cuniculum ſubterraneum, ingenti opere adductus, qui aliquando per r- dium pavimentum defluit, & in eo, pro temperando aere, in ciſternæ amplitudinem diſtenditur; vel, ſi flumen deficiat, (quod ſolet in Perſide auſtrali) vicinum habet unum alterumve *Birkèh*, ſeu aquæ ſtagnantis promptuarium, ut plurimum ejus generis, quod vocavimus *Aab anbaar.*

Habent hoſpitia pro cœli ſtatu diverſam ſtructuram: Borealis Perſia eadem expandit circa aream quadratam, ſpatioſam, ſæpe ad centum paſſuum quadratorum, vel ſaltem ad tantam, capacitatem, ut in illâ *Kafilæ* ſive cœtus jumentorum ſtabulari, & deonerata volumina deponi commodè poſſint. Externa facies eminus viſenti cubiformem mentitur molem ſolidi corporis: muri enim ſunt plani, nudi, nullis feneſtris & oſtiis, niſi portâ quâ ingredimur, perforati; qui, lateritii ſi fuerint, figuras pro ornatu exhibent arcuatas, planas, columnis ſaxeis interpoſitis decoratas, iis non equidem veris, ſed planis pariter, modicè prominentibus, & eleganter lævigatis. Hâc ornamenti ſpecie expoliri ſolet latus frontatum, rariùs cetera quoque, niſi fortaſſis quæ publicæ viæ oppoſita & valde conſpicua ſunt. Unus mediam frontem pandit introitus amplus & affabrè fornicatus, utrinque lapideis ſcamnis, nec rarò tabernâ concameratâ inſtructus, ex quâ hoſpitii inſpector, ſi quis adſit, paleas & cremia venundat, aliquando & oryzam, dactylos, ova & lacticinia. Summum domus lacunar, niſi quâ parte fornices protuberant, omnino planum eſt & pavimento ſtratum, ita ut in eo quis ambulare, & peregrè adventantes ſpeculari poſſit, pernoctare etiam, ſi cœlum nudum arrideat; quo fine interdum oras habet pedali coronide eleganter marginatas, pro ſecuritate dormientium. Veſtibulo nonnunquam inſiſtunt meniana ſuperbi operis, auræ ſpiranti undique patula, in quibus cum voluptate hoſpitari quis poſſit, à turba remotus. Aſcenſus in faſtigium ſubmoleſtus eſt ex angulo veſtibuli vel areæ angulo, per gradus anguſtos, altos & præcipites. Ipſum ædificium rariſſimè duplici, plerumque unâ contignatione conſtat; cujus ſingula latera, pro operis magnitudine, ſex, octo, decem vel plura exhibent cubicula, ut plurimùm fornicata, longa, anguſta, & recipiendis duobus vel tribus hominibus idonea.

Oſtio-



Oſtiola in medio habent, ut per ea hoſpes intus decumbens ſpectare poſſit, quid in areâ verſetur circa merces depoſitas. Superliminare riſcum exhibet, luci diurnæ pervium, cui aliquando non niſi per oſtium ingreſſus conceditur. Tapetes, lectos & ſupellectilia hîc ne quæras; nudæ humi cubare oportet, niſi his ipſe inſtructus adveneris. Medias cubiculorum ſeries, primam quidem ipſe dividit Introitus magnificè ſpatioſus, ceteras ſingula diſtingunnt cavædia *Eiwani* dicta, verſus aream patula, cubiculis multò latiora, non rarò ipſo ædificio altiora, planè ad ſymmetriam Introitûs; toti enim ſtructuræ, in ipſâ areâ ſpectatæ, maximum decus & elegantiam conferunt, ſimulac numeroſo advenæ, tum pro reponendâ ſupellectili, tum pro ipſâ commoratione locum exhibent ſpatioſum. Baſis hoſpitii tres circiter pedes à communi areâ elevatur, ipſaque cubicula latitudine duorum triumve paſſuum anticipat, eo fine, ut & tuta ſint dormitoria à pecudum ingreſſu, & hoſpites, intactis areæ ſordibus, in eâ ambulare & tranſire ad vicinos poſſint. Huic indormiunt ſervi ante heroum cubicula, ut eorum juſſa audiant, & equis præſto ſint cuſtodes, qui ibidem alligati, totâ ſupra ambulacrum cervice eminent. In hoſpitiis illuſtrioribus cubiculorum terga cingit quædam quaſi porticus, pro ſtabulatione facta, fornicata, communi nexa compage ædificii; ad quam jumentis aditus patet ex quatuor areæ angulis, & lux ipſa eâdem viâ irruit, perexigua ſanè & ad interiora non penetrans, niſi murus exterior, quod rarò videas, in ſupremitate riſcos habeat pertuſos & tranſlucidos. Medium areæ cubus ornat lateritius, orgyjam altus, ab uno latere gradatus, cancellis eleganter marginatus, intra quas gerrones & actores circumforanei Sanctorum ſuorum vitas, velut ex roſtris declamant, & variis nugis hoſpitantibus nummos eliciunt.

Auſtralis Perſia minora habet hoſpitia, & ad hujus cœli in-

indolem aptata, (*vide Fig. pag.* 421.) ut plurimum nullo intercepta impluvio, nec in cameras diſtincta, ſed unius tantum atrii, ad totius ædificii formam & magnitudinem compoſiti. Structura eorum lapidea eſt, modò quadrata, modò in crucis figuram digeſta, deſuper fornicata, oſtio ſingulis lateribus donata ad recipiendam undique auram ſpirantem, quam æſtuoſô hôc cœlo variè captamus. Sunt diverſoria, ſed rara, quæ ſolis fulta columnis, nullis cinguntur parietibus, qui ventos arceant; ſunt rariora, quæ faſtigiantur pneumadochiis, ſive machinis, quibus aër appellens intrò demittitur. Pavimentum pro hoſpitum accubitu, ſæpe totum, aliquando in angulis, ad latera, vel in medio domûs eâ elevatur altitudine, ne ab incurſante pecore facilè inſiliri ſtragula & calcari poſſint. Frontiſpicia hoſpitiorum, ſicut à fundatoribus inſcripta, ita intus parietes ab otioſis viatoribus variis depicti ſunt epigrammatibus, ex quibus ſæpe elegantia ingenii Perſici inſigniter elucet: Ex earum farragine, ſi venia eſt, unicam hîc pro coronide Relationis inſeram, quam refert *Karawaanſerà* چهان *Tſjehuun* in deſerto quodam Larenſis Provinciæ:

چهان کاروانسرا و ما کاروان یم
در کاروانسرا نکند کاروان سرا

Tſjehuun Karawaanſerà, wa ma Karawaan iim,
Der Karawaanſerà, ne konèd Karawaan ſerà.

Cui illud Ciceronis *de Seneƈt.* ſed minore tum acumine, tum verborum nitore æquivalet: *Ex ipſâ vitâ diſcedimus, tanquam ex hoſpitio, non tanquam è domo: commorandi enim natura diverſorium nobis, non habitandi dedit.* Ut genium intelligas, nomen hoſpitio proprium eſt چهان *Tſjehuun*, id quod populari appellatione notat Mundum vel Orbem

Orbem terrarum; nomen verò commune eſt کاروانسرا *Karawaanſerà*, i.e. diverſorium. Hujus vocis diviſæ pars prior کاروان *Karawaan*, cœtum peregrinantis turbæ, poſterior سرا *ſerà*, moram ſeu cunctationem inſinuat. Hoſpiti igitur præſentiæ ſuæ, quod ſolent, teſſeram relicturo, argumentum dederat ipſum hoſpitii nomen; ut mortalium in orbe brevem moram, argutè compararet moræ peregrinantium in hoſpitio; mutuatus epigrāma ex libro گلستان *Guliſtaan*, i.e. Roſeto Perſico auctoris شیخ سعدی *Sjeich Saädi.* Plures exhibiturus ſum in Hodœporico.

RELATIO IX.

In Palmetis hoſpitantium occupationes.

Contractus

§. I.

Palmeta ingredimur. Hîc advenæ complexu atque oſculis excepti, & pro comitate gentis, omni præſtitâ ſalutationis reciprocatione, à brevi circa Nicotianam conſeſſu, quem humanitas quoque exigebat, digrediuntur, arbores in quantumcunque ſpatium diffuſas inſpecturi, earum annonas, conducendarum numerum, pretium, & ſi quid præterea è re ſuâ eſt, penſitaturi: ita defuncti negotio, quo omnem claudebant curam & ſcopum profectionis, invicem vacaturi inpoſterum confabulationibus & officiis. Sciendum eſt, antiquam obtinere conſuetudinem elocandi arbores numerô quadraginta, rotundô Perſarum in civili uſu computatione; vel etiam viginti, velut dimidiatâ numeri rotunditate: Illas nomine unius arboris یک نخل *Jek nachl*, i.e. unam Palmam, has cenſu Palmæ dimidiæ indigitant, receptô his regionibus loquen-

di

di ac contrahendi more. Tot verò conducendis arboribus cùm unus paterfamilias non ſufficiat, plures de partiendo proventu inter ſe pacti, quadraginta vel viginti ſibi eligunt, electasque ſignant; Luſtrat ſignatas poſſeſſor, cenſet ſpem annonæ, &, per conjecturam ſubductâ ponderis ratione, pretium indicat. Sed hæc ſubductio cùm fiat magnâ cenſoris moderatione & conſcientiâ, tantiſper pretium uſu receptum ad fructuum varietatem mutantis, nulla quoque morantur contractum diſſidia, quin redditâ manu illico confirmetur. Pondere, quô in regno mercatores, tum ſicca, tum liquida, expendunt, diverſi ſunt generis & nominis. His in provinciis utuntur سنكي كپر *Sengi Kapàr* dicto, pendente in ſtaterâ Hollandicâ ſeptem mediamque libras. Tanta inquam hæc dactylorum moles in commercio ante maturitatem factô plus minus دو بيستي *do biſti*, i. e. unicô circiter groſſo Mariano venit: at quia locatoris conjectura ſuevit minor eſſe, quàm pro re natâ, hinc conductor ut plurimum experitur, maturos ſibi ne dimidio condicti pretii conſtare, præſertim ſi favente Cerere inſolenter pingueſcant. Addo, palmas è radice materna ſponte ſuâ natas adultasque nunquam venire ſub rationem, ſed concedi matrum conductoribus in auctarium, eò quod natali locô citra transplantationis & culturæ operam adultæ, opinione gentis, hero ſuo gratiam haud debeant.

§. II.

Convivia.

Contractu ſuperis auſpicantibus abſolutô, atque hôc ipſo ad antipodes relegatâ animorum ſolicitudine, quid aliud inpoſterum exſolutus curâ hoſpes meditaretur, quid deſideraret pleno ditatus cornu copiæ, quàm geniales jocos, conſeſſus, convivia? His intereſſe, Lector benevole, ſi non gravaris, pandam Tibi inſtructiſſimum ab ipſâ

Cerere triclinium, & omnis generis voluptates adducam, quibus felices ruricolæ dactyliferam meſſem ſuam, atque hoſpites advenæ trium, quatuor, vel quinque menſium æſtiva, ſummâ cum delectatione, exigunt.

Innata genti propenſio eſt, ut, ſi ullâ re aliâ, maximè capiantur fontium & aquæ præſentiâ: circa eam conventus inſtituunt, & ſubſtratis ſtoreis humi diſcumbentes, dies in adultas noctes protrahunt. In triclinio igitur noſtro potum ne deſideres: præſto liquor eſt oculis & palato gratus: non qui inebriante ſpiritu ſanæ menti inducit delirium, vel tartarô podagram, nephritim, hydropem, & innumeras præcocis fati cauſas inſtillat humano ſanguini, ſed planè innoxius, purus & limpidus. Qui verò invitis non obtruditur more Palatino ingurgitandus, ſed ſitientium placito ſorbillandus, fictilibus exponitur, ex præſenti fonte recens hauſtus, vel ſi fons mineram ſapiat, etiam aliunde advectus utribus, ex arborum ramis, ut frigeſcat, ſuſpendendis: admirandâ enim proprietate aqua ſuſpenſa alget ab afflatu vel ambitu aëris ſiccioris, præſertim æſtuoſi, cùm ab humente (ut eſt hôc cœlo mutabilis) protinus tepeſcat. Ciborum parilem bonitate apparatum habes: Dactylos; non illos ad luxum Perſicum vaſis aureis, Corinthiis, murrhinis, ſed abacis ligneis طَبَق *thabàk*, pro convivarum fortuna ſat nitidis, liberaliter expoſitos. O lauta atque ſana, ſine aromatis & omni pretioſo luxu, convivia! ô felices & frugales hoſpites!

Luſus & recreationes.

Quâ vero in frugali rerum affluentiâ, ne quid externæ lætitiæ meſſem deſtituat, en præſentes etiam actores, poëtas, ſaltatrices, modulatores, & ſi quid aliud ad convivii hilaritatem deſideraveris. Modò vides شَاعِر *Sjaaïr* ſeu vatem arguto rhythmo illuſtris heroinæ لَيْلِي *Leilì*, ejuſdemque rivalis مَجْنُون *Medſjnuun* amores & exilia decan-

tan-

tantem; modò قصّه خوان *Khiſſeh choon*, ſeu oratorem, qui Perſarum Herculis رستم *Ruſtàm*, filii *Saal*, robur, facinora & bella, vel τοῦ بهرام *Behraam*, *Jesdegardi* filii in jaculando excellentiam atq; ceteras dotes exclamat. Alium audis ex ordine religioſorum pauperum درويش *dervìiſj*, qui علي *Aäli* ſui, & ceterorum إمام Imamorum atque religionis antiſtitum miracula recitat; aut τοῦ عمر *Omar* injuſtam ad خلافت *chalifatum* irruptionem demonſtrat & diris execratur. Illis verò abſentibus رئيس ده *Raiiſj deh*, ſeu pagi ſui ſenior, تعريف *Taäriife* ſeu Elogia præclarorum virorum, aut provinciæ ſuæ chronica & priſcorum in eâ Principum res geſtas & bella repetit. Nunc مولا *mola* aliquis, ſive religionis aut muſarum ſacerdos گلستان شيخ سعدي Roſarium τοῦ *Sjeich Saädi*, aut ديوان خواجه حافظ شيرازي *Diwaanì Chodſja Hafès Sjiraſì*, aliorumque acuta epigrammata prælegit, & meditabundo diſtinguit ſilentio. Nunc graves conciones تقليدچي *takhliidſjì*, ſeu hiſtrio aliquis, aut حقّه باز *hokkeh baas*, ſeu præſtigiator opportunâ luſûs & riſûs viciſſitudine interpellat. Hæc inquam otii diurni deliciæ ſunt.

Choreæ.

Inclinante ſole, ubi membra laxata dies algidior reficit, de agendis etiam tripudiis cogitatur. Atque, ut ut omnis ad numeros ſe movere ruricola haud perfunctoriè peritus ſit, adſunt tamen, qui exactiùs poſſunt ejuſdem artis in utroque ſexu profeſſores circumforanei, رقّاص *rakkaas* dicti; qui mediterraneis egreſſi urbibus, homi-

nibus plena hôc tempore nemora frequentes inviſunt, & ludis præſtigiisque variis inſtructi, hamis pendentibus diſcurrunt. His igitur, ſi adſint, ſparta committitur ducendi choreas; quas ipſi alioquin, ſi abſunt, neutiquam omittunt. Mireris ſpectacula & lepidos motus, quos illi tripudiando edunt. Non enim Sarmatarum ad gravitatem alterno pede terram quatiunt, ut Poëta loquitur; nec ad Gallici moris levitatem veſani diſcurrunt; ſed teſtudineo gradu, nudis pedum plantis, huc illuc diu ſe proripiunt, dum arguto corporis motu pulſus chordarum & menſuras excipiunt, & nullo non membrorum articulô facetè exprimunt. Mox reſupini miris flexibus totum corpus torquent, brachiis nunc ſuper humum diſtentis, nunc extenſis ſuper verticem, velut lamentantium dolores, non geſtientium lætitiam expreſſuri. Demum, tympanis concitatiùs tactis, protinus exſultantes, in velociſſimos motus rapiuntur, ac in gyros varios, imumque ſummo verſi ac circumvoluti, ſaltatricum officia hiſtrici leporis viciſſitudine permiſcent.

Muſica. Muſica verò, quæ tripudiantium membra dirigit, hem, quàm peregrina eſt! quam gratè diſſonans & inſtrumentorum varietate delectabilis! Primas inter inſtrumenta tribuimus tibiis gingrinis سرنای *Surnaì*, (*Fig. 1.*) quæ grunniente ſono præ cęteris aures affatim implent. Illis aſſonant (*Fig. 2.*) tinnientes nolæ vulgares, noſtratibus ſimiles; vel etiam cymbala perampla صنج *Sindſji* dicta (*Fig. 3.*), patinarum, quibus in menſis utimur, figuram referentia, ſed minori diſco, majori margine, & gibbâ facie manubrio inſtructâ, quo teneri & ad invicem collidi valeant. Pro baſi ſervit tympanum, vel oblongi dolioli figurâ دنبال *denbaal*, (*Fig. 4*) ab Indis mutuatum, vel ex Europâ translatum دهل *dohùl*, (*Fig. 5.*) quô militares copias abducimus, vel præ-


Inſtrumenta Muſica
Perſis uſitata
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23

prægrande ejuſdem figuræ aliud, ob magnitudinem haud portabile. Hæc omnia non bacillis, ſed digitis ſolùm, manibusve utrinque leniter pulſantur, ita ſonum redditura ſubmiſſiorem, & reciprocâ alterni lateris diſſonantiâ gratiorem. Utramque paginam in agreſti choro abſolvere videntur tympana دنبك *donbèk* (*Fig. 6.*) levis ſtructuræ, cocta ex argillâ, figurâ & capacitate ollarum fictilium, niſi quòd fundus in brevem appendicem producitur, quâ pulſantis axillam geſtata replent, oris verò hiatu veſicâ vel membranulâ tenſâ obducto. Hôc vel ſolo genere, quaſi ruricolis vernaculo, feſtivitates ſuas celebrant palmicolæ, ſociatis plauſibus & volarum colliſionibus, quibus concinentes convivæ ſaltantium in ſcenâ vigorem & metra promòvent. Civili ſymphoniæ interdum ſubſonat cythara tetrachordoides چارتار *Tſjaartaar*, vel ſola, vel aliis organis polychordoidibus conſpirans. Nec raro circum dulciſonum ingreditur tympanum quoddam دف *def* appellatum, (*Fig. 7.*) magnitudine, figurâ & levitate ad aſſem ſimile cribello, quatuor in ambitu ſpithamarum, cujus apertô alterô, unum ſaltem tegit latus pellicula tenuiſſima, ex quâ ſonus irritatur ſaltem ſubmiſſo digitorum ictu. Ora ejus, lignea & tenuis, quatuor habet vel quinque paria orbiculorum, ex palmari intervallo ſuis quæque axillis per transverſum infixa, ex ſonoro ære facta, ſubcava & exiguæ magnitudinis, quæ concuſſo tympano ſtrepitum mutuâ colliſione edunt cymbalorum pene ſimilem. Interdum orbiculorum locô annulos habet, quorum ſonus confuſus eſt & remiſſior: hôc caſu, mutatô nomine appellatur دايره *Daireh* (*Fig. 8*). Hujusmodi inſtrumentum ſaltem unicum quævis admittit ſymphonia, quòd è primis tractat, ſi fuerit in proſcenio, præſultans ex levi cenſu كولي *Kawalì*, fre-

frequentius autem & extra tripudium chori phonaſcus; qui, eôdem utrâque manu comprehenſo, fauces cantu hiantes & geſticulationem ab aliorum intuitu defendit: dum interea non modò diverſos ſubmiſſosque ſonos ex pelliculâ pulſatâ elicit, ſed ſeveriori motione interdum mixtos quoque tinnitus & clangores ex infixis orbiculis excutit. Hic igitur præcentor raucisonâ & quàm poteſt altiſſimâ voce melos ſuum modulatur; cui per choros, junctis organis, reſpondent convivæ circumſidentes, vel in circo tripudiantes, ſi choreæ ducantur. Nonnunquam hilaritate acta concinit univerſa multitudo, vocibus autem ut indoctis, ita inſtrumentis quoque indoctè tractatis, & nullis unquam harmoniæ regulis (etiam in Choro Aulico) reſpondentibus, ſed per tonos, quos vocant, uniſonos & octavos omne melos abſolventibus. Qualiscunque ſymphonia fuerit, concors tamen, ſubmiſſa & modeſta eſt, gratiam pariens ſingularem varietate menſuræ, quæ per tot modulorum genera in concitatiores ſemper triplas jugi pulſu ac ſpiritu devolvitur, non agreſtes modò & indoctas aures demulcens, ſed & artis muſicæ bene gnaros, haud injuriâ mirantium, id plebejam hanc gentem in variandis menſuris præſtare, quod noſtri in ſcholis longa artis induſtriâ edocendi ſunt. Sunt plura Perſis inſtrumentorum genera, quibus in conviviis & privato otio demulcendis auribus, vel in militiâ etiam, & in foris urbium ad intimandas temporum feſtivitates utuntur. Ex طبل *thabl* ſeu tympanis aciem ducit كوس *Kuus*, (*Fig. 9.*) tympanum grande, æneum, noſtrati ſimile, ſed ad moderandum ſtrepitum nerveo reticulo conſtrictum, cui pulſando duo ſerviunt bacilli, extremitatibus incurvatis. نقاره *Naghareh*, (*Fig. 10.*) ejusdem ſtructuræ & æris tympana ſunt gemina, exiguæ molis, valido nexu invicem copulata, & ab unico tractanda artis tympanizandi perito. طبل باز *thebli baas*, (*Fig.*

(*Fig.* 11.) i. e. tympanum falconum, parvulum eſt, æneum, in appendicem productum, reticuloque denſiſſimè munitum, ita dictum, quòd falcones in aucupio emiſſi, ejus ſonô revocentur; inde ſingula ephippiis (ad ſiniſtrum latus) affixa geſtantur à nobilibus atque ipſo Rege. Adeſt & aliud genus tympani (*Fig.* 12.) ligneum, majuſculum, figuræ ovatæ oblongioris, inprimis familiare Multhanis in hoc regno habitantibus, & ut mihi videtur exoticum, utrâque ſimul nuda & inermi manu pulſandum, hinc dextrâ, illinc ſiniſtrâ. Ex نفير *Nefiir*, ſive buccinis, prima horriſona eſt كرنا *Kharahnà*, (*Fig.* 13.) duarum orgyiarum longitudinis, figurâ ſimilis inſtrumento acuſtico. Altera (*Fig.* 14.) ſubtilioris toni, generis nomen retinet, recta, gracilima, orgyjam longa. Tertia شاخ نفير *Sjach Nefiir*, (*Fig.* 15.) i. e. buccina cornuta, grandis pariter & ænea eſt, in figuram cornu ingentis arcuata. Ex عود *Uud*, ſeu Chelidibus, quæ nervis reſonant (ex inteſtinis ovium elaboratis) communiſſima eſt τερίχορδος (*Fig.* 16.) colli longiſſimi, ventris exigui ovati, ponticulo membranaceo. Sunt, quæ chordis quatuor, quinque & pluribus inſtruuntur; ex quarum cenſu palmaris eſt چهزده *Tſjehesdeh*, (*Fig.* 17.) magnitudinem & figuram utcunque noſtratium referens, nervis dotata octo, vel novem, geminis ſemper in uniſono conſpirantibus, poſtremis etiam tribus, ſi nervos novem habeat. Ex Violis, quas vocant, principem locum vendicat tribus & aliquando chordis quatuor inſtructa, كمانچه *Kamaantſjèh* dicta, (*Fig.* 18.) nam ſcitè tractata organorum quodcunque genus ſoni ſubmiſſâ dulcedine antecellit; arcu plectitur pilis armato equinis, dum ima pars humi reponitur inſtar violæ *di gamba*, quam vocant. Manubrium ei gracile eſt & cono ſimile, verticillis pro fidium nume-

numero inſtructum, obeſis adeo capitibus, ut manum tendentis impleant. Venter rotundus eſt, ſpithamalis diametri, ponticulo obductus membranaceo; Imam faciem ſtylus terminat ferreus, artificioſè ſculptus, ſeſquiſpithamalis longitudinis. Tota cum ſtylo machina quinq; longitudine ſpithamas exhibet, conchâ margaritiferâ aureisque filis pretioſè vermiculata, digno ſuavitate ſuâ artificio. Eſt & alius ſtructuræ Pandura, quatuor intenta chordis, (*Fig. 19.*) fortaſſe exotica, quæ pari ſitu depoſita, arcu quoque plectitur; collum ei compreſſum eſt & breve, venter duplicatus, ſuperiori parte oblongior, amplior & apertus, imâ minor, rotundus & ligneo ponticulo clauſus. Cithararum, quemadmodum Teſtudinum, varietates ſunt, diverſo chordarum numero diſcrepantes, ex quibus unicam ſaltem ob figuræ inſolentiam hîc delineavimus (*Fig. 20*).

Sambucarum چنگ *Tſjeng* communiſſima eſt, & ab indocto facilè tractabilis, ſex chordis inſtructa, (*Fig. 21.*) figuræ triangularis amblygoniæ; Rarior eſt altera multis pollens chordis, (*Fig. 22*) utcunq; quadrata, utraq; bacillis incurvis, vel pennis plectenda, à noſtratibus figurâ & tractandi arte parum differentes. Omitto machinam octo tubulorũ *Muſicaar* dictam (*Fig. 23.*) ore inflandam; omitto tibias, utriculos, arundines, crepitacula, ne hiſtoriæ telam moremur.

Tam lepidos advenas, poëtas, muſicos, præſtigiatores, quæ putas à toparchâ & coronâ hoſpitum referre munera? an pecuniam, doloſi Mercurii teſſeram? Apage à manibus tam continentibus præmia hujus nominis. Caryotæ dantur; munera, quæ ipſa genuit auſpicata, innocens & benefica arborum Regina, Palma.

§. III.

Labores.

Sed ne quis exiſtimet agrophilos noſtros, nil niſi gaudia in palmetis agere, & ranarum vocali incuriâ totam perdere æſtatem; quin horas etiam in verſandis dactylis

impendunt; quos ex ſuis arboribus ipſi poſſeſſores, ex conductis hoſpites indies depromunt. Nam primo ſtatim diluculo ſponte dilapſos colligunt, mox ex arboribus decerpunt, vel excutiunt maturos, deinde inſolatos torculari exprimunt, & ſi quid aliud ad hanc operam requiritur, eâ methodo, quam ſupra narravimus, ſedulò expediunt. Quod autem labori intercedit otium, aut quod penſum conſequitur, id inquam animi recreationibus dari, id choreis & ludis expleri dicimus. Pauperiores pariter, quos fortunæ tenuitas à commerciis arborum ſecludit, rebus ſuis non indormiunt, ſed matutino dactylorum, ut ſic loquar, ſpicilegio indies occupati, penuriæ ſuæ conſulunt; ſub crepuſculum verò locuſtas capiunt, eo tempore turmatim volantes, alii eas explicatis retibus intercipientes, alii in arboribus, dum ſubſident, flammâ accenſâ uſtulantes. Quam tum recentem prædam ollæ fictili alternè immittunt, & ſuper igne, ſale interſperſo frigunt, rudiculâ ſubinde agitandam; malunt eandem alii aquâ priùs percoquere, ut nidorem penitiùs eliminet. Sic præparatam ſervant placandis ventribus, alis cruribusq; abjectis; exſuccum & fœdum, meo ſenſu, obſonium. S. Johannes Baptiſta hoc cibo vitam in deſerto dum ſuſtentavit, tetro corpus jejunio maceraſſe credendus eſt. Qui pro coturnicibus hæc inſecta ſubſtituunt, quibus in eodem deſerto (quod iisdem mirè abundat) cœlitus nutriti ſint Iſraëlitæ, videant, ne in textum impingant Hebraicum ſacri Codicis.

Diſceſſus.

§. IV.

Actus nunc autumnus eſt. Quapropter jumentorum magiſtri چارْوادار *Tſjaarwadaar* undecunque in palmeta ex compacto reduces facti, (perinde nobis, ubi interim latuerint) receptui canunt, & abducendis diem diſceſſûs indicant. Tum pro felicitandâ viâ Deus innumeris يا خدا

Jaa

Jaa Chodaa! يا علي *Jaa Alì!* انشا الله *Inſjáa Allàh!* (hæc enim ſuſpiria ſunt Perſarum) ex devotione invocatur, replentur vaſa, colliguntur ſarcinæ, & ad Penates reviſendos animus & opera dirigitur. Tandem, onerantur jumenta mellifluo mercium, quas quisque comparaverat, apparatu, utribus impacto modicæ capacitatis, vel, eorum locô, qualis ingentibus oblongis, ex foliis ſylveſtris palmæ contextis. Hos, ſive qualos, ſive utres, utrinque ex tergis



camelinis ad æquipondium ſuſpendunt binos vel ſingulos, peculii quicquid attulerint deſuper imponentes ſine ordine. Nec pauperes ſuas omittunt locuſtas frixas, unà cum dactylis, quos ſpicilegio acquiſiverant, camelinis oneribus inſinuandas: gemino hoc alimenti genere omnes peni difficultates feliciter ſuperaturi, partem etiam locuſtarum vendituri aliis; non carè quidem, ſed octo libras

pretio unius ſextarii. Quid multis? Permixtis votis & oſculis, diſceditur. Atqui nunc rurſus,ut in acceſſu, (ſole quamvis remiſſiore) declivi die aut ſubluſtri nocte inceditur, diætis ob onera, cùm aqua ſuppetit, brevioribus. Demum ad Penates delati, gurguſtia ſua per diuturnam abſentiam ſemiruta, impigrè adoriuntur, novisque oſtiis, tectis, vacerris refecta rurſus occupant, poſtquam foris integrum pene ſemeſtre exegerant: morâ extra proprios Lares mirè longâ, & cum rebus œconomiæ noſtratis minimè congruente.

RELATIO X.

Palmæ uſus triplex. Hiſtoriæ epilogus.

Uſus œconomicus.

§. I.

Reſtant utilitates & varii uſus arboris, quotquot eorum hodie dactylifer Oriens cum Occidente novit, breviter memorandi. Audiverat *Strabo* d. S. O. Lib. XVI, carmine quodam Perſico decantari utilitatum genera trecenta & ſexaginta; *Plutarchus* Sympoſ. Lib. VIII. qu. 4, refert totidem celebrari à Babyloniis. Tantum verò numerum hodie non reperio,omnes utut partes excutiam diligentiſſimè. Uſus autem omnis vel eſt Oeconomicus, vel Medicus, vel Magicus.

Internus.

Oeconomicum internum præſtant quæcunque ex arbore edulia depromi poſſunt; qualia ſunt,tum tenella partium principia & primordia, vulgò پانیر نخل *Paniirì nachl*, i. e. caſeus palmeus dicta,tum ipſi fructus. Cibum primi generis ſpurius (*vid. Tab. 1. Fig. 13.*) è frondium axillis naſcens, de quo Relat. 2. §. 5. in fine memoravimus, copiâ non contemnendâ exhibet; cujus demptis impedimentis ex-

exterioribus delicatiſſima pars eſt ima baſis كُورْ *Kuur* dicta, nam quæ ſuccedit, rapæ ſaporem refert cum amaritudine, palato non æquè gratum. Ejusdem notæ & nominis eſt medulla ipſius comæ, ἐγκάρδιον & ἐγκέφαλον Græcis dicta; quam verò ambroſiam non obtinemus, niſi cum damnoſo totius arboris excidio, prout in fine §. 2. Rel. 4. docuimus. Par locus inter cibaria debetur frondibus in palmæ adoleſcentis faſtigio recens naſcentibus, & in coni figuram convolutis; quousque illæ cum foliorum rudimentis in materno ſinu abſconduntur. His bonitate nil cedit novelli ſpadicis in utroq; ſexu principium, ad unius palmæ longitudinem; quod palmicolæ ignotô etymô كُورَحَّنْكِ *Kuurahbheng* indigitant. Nec poſtremas inter bellaria laudes merentur exciſi illi fœtûs cùm maſculini, tum fœminei, quos ſub titulo اَنْبَارْ و طَلَحْ نَخَل *anbaar* & *thalehhi nachl*, ſupra ſuis locis laudavimus. Dictæ inquam partes omnes manducari & crudæ poſſunt, & cum carne vervecinâ coctæ: ut taceam, ex iisdem varia bellaria parari ab iis, qui coquinariam artem exercent. Omnem verò palmeas inter cupedias abſolvunt paginam ipſa Pruna, ſive Fructus. Præſtant illi in popularium œconomiâ τὸ ὅλον καὶ πᾶν, ſive, ut Latini loquuntur, olus & panem: panem, inquam, quem *Homerus* medullam hominum, ſacri Codices robur cordis appellant; adeo ſolis Dactylis, quicquid lautitiarum ab homine in agris degente excogitari poteſt, clauditur & continetur. Fercula equidem non unius formæ, ſed varietatem ſuppeditant non contemnendam; cùm enim menſibus æſtivis dactyli ferè crudi & recentes, ceteris verò inſolati & expreſſi ventres vulgi exſatient, tum verò in utroque genere multiplex differentia eſt in pinguedine, mollitie, colore, ſapore, aliisque virtutibus, tum nativis, tum ab inductæ ſiccitatis, conditurae &

expreſſionis gradu & modô conciliatis. Alimentum, quod præſtant, nec pondere aliquo, nec morâ longiori gravat ventriculum; nec etiam, quod noſtri auctores ſcribunt, inebriante vapore caput turbat, ſed aquæ bibulis perquam ſalutare eſt & maximè temperatum. De exſiccatis idem non ſentio, quod cum duritie compagem nacti ſint firmiorem, ſtypticam & concoctu difficilem. Vidi, per deſerta profectus, aſinis oneri ſuccubituris oblatos fuiſſe dactylos, priùs in maſſam, demptis oſſibus, ſubactos: quibus illi deficiente pabulo promptiſſimè inſtaurati, labores diætæ feliciter ſuperabant. Oſſa ad aliquam excocta mollitiem, dejugatis bobus dantur pro pabulo. Syrupo è dactylis elicito, plebs in cruſtulis butyri loco, in oryzâ & pulte pro condimento utitur, non indies, ſed in conviviis & feſtivitatibus, quibus genialiter epulandum erat. *Carmania* ſeptentrionalis butyrum (quod copioſum utribus dimittit, ab aëre liquens inſtar olei) hôc ſyrupo percoquit, qui illud à corruptione ſalis vice conſervat, & in fundo tandem inſtar muriæ ſubſidet. Vinum ex dactylis aquâ perfuſis fermentabant veteres, ut teſtantur *Strabo* & *Dioſcorides;* nec artis hodie oblita eſt *Natolia*, quæ eam rariùs & clanculum exercet, rigore prohibita religionis Mahhammedanæ, præſertim interdictô Legislatoris جعفر *Dſjaäfar*, qui vinum inter نجاسات عشره *Nedſjaſaat Aſſjëreh*, i. e. decem impuritates repoſuit. Spiritus verò licet vetitorum decuriam ſubeat, frequentiùs tamen deſtillatur ſub medicamenti nomine, ad ventriculi cruditates & tormina levanda; quod ut præſtet efficaciùs, adduntur ante deſtillationem, à ditioribus radix Chinæ, ambra & aromata; à plebejis radix Glycyrrhizæ & herba افسنتين *Affſinthiin*, id eſt, Abſinthium Perſicum, planta à noſtrate Abſinthio prorſus heterogeneâ, ſive hæc, ſive illa Abſinthii

thii nomen jure poſſideat. Addi ab aliis vidi radiculas ناکچير *Nagiir*, ſeu إذخر *Iſchir*, i. e. Schœnanthi veri, terræque huic genuini; tum herbam alterutrius Sementinæ, præſertim Turcicæ. Duplex enim hîc creſcit, una درمنه فرس *Dirimneh Fars*, id eſt, Sementina Perſica, quæ in Regni deſertis ubiq; luxuriat, ſemen ferens leve, à folliculis ſuis ægrè ſeparabile, & ut plurimùm inane: altera درمنه ترکي *Dirimneh Turkì* dicta, i. e. Turcica, quæ rarior & montium alumna in ipſo flore exareſcit, nec niſi in Turcoſtanâ, (ترکستان *Turkeſtaan*) quæ ei nomen dedit, ſemen progenerat; quod ad Europæos translatum, ſeminis Cynæ & Zedoariæ appellationem recipit.

Externo uſui Palma omnes ſuas concedit partes: inprimis verò, in conſtruendis tuguriis, caudices, in trinum fiſſi, palos & trabes conſtituunt, quibus tectum & tota ædificii fabrica innitatur; cetera omnia ex palmeis frondibus ſine clavis & normis, ſine arte & induſtriâ clathrata ſunt & rudi manu compacta. Sed quæ ruditas non omnino materiæ, ſed agreſti deſidiæ debetur; nam in oppidis paſſim invenies elegantis ſtructuræ domus cæmentitias, quæ ex palmeo ligno trabes, ex frondibus intergerinos exhibent non indecoros. Hinc *Bellonii* & *Alpini* de architectonico ligni uſu diſſidentium, facilis erit conciliatio: ſi caudices palmeos ad architecturam (ob fibras craſſas laxèque cohærentes) nihil valere *Bellonio* concedas; trabes tamen domuum in Ægypto conſtituere, credas *Alpino*. Supellectilia ædiculis Palma etiam ſubſtituit; pro cremio enim ramalia, pro ſcopis racemi, pro urceis & ſcutellis inanes ſpathæ ſerviunt, in formam deſideratam flectendæ. Ex ſpadicum verò ſcapis bene præparatis torquentur funes firmiſſimi, ad navalem apparatum neceſſarii. Falſi ſunt, *Externus.*

qui

qui eos ex coſtis frondium, aut arboris cortice, quem nullum habet, elaborari ſcribunt. Modus præparandi eſt, ut crudi ſcapi, decurtatâ priùs & abjectâ portione racemoſâ, per octiduum aquæ immergantur, ac ſatis macerati malleis ligneis tundantur, donec, quod facilè evenit, in ſtupeam reſolvantur materiam, ad reſtiariorum opus idoneam. Ex eâdem ſtupâ fiunt calceamenta سُوَاسّ *Sowaas* dicta, quibus in his provinciis utuntur ruſtici; conſtruuntur ex incondito quatuor funiculorum ſtamine, & paris conditionis tramâ, ita laxè intexendâ, ut manu coarctari poſſint, & ad cujusque pedis menſuram nullô negotio aptari; obſtragulum deeſt; locum ſupplent ſtupeæ corrigiæ, quarum ope tibiis adſtringuntur. Ex foliis, sed inprimis ſylveſtribus, texuntur dodrantalis latitudinis mattæ famoſæ تُوَلَت *Tulèt*, vel جُوَلَت *Dſjulèt*, quibus transvehendæ merces pro tutelâ obvolvuntur; Ex iis quoque torquentur funiculi tenues, quorum in iisdem voluminibus conſuendis uſus eſt; In ſportas quoque conſtringuntur rudes, ſaltem idoneas, ad recipienda ſcruta & quisquilias. Quin, majori artificio ex foliis varia flabella & capitis opercula conficiunt, ſed priùs ad candorem usque inſolatis, variè deinde tinctis & in limbulos diviſis. Reticula, quæ frondium baſes involvunt, excitando igni fomitem præſtant; in hydriis verò ac leucythis concludendis, nec minùs in compingendis vel firmandis ad transvectionem vaſis fictilibus vitreisque, pro ſtupâ & ſtramine ſerviunt.

Uſus Medicus.

§. II.

Medicas virtutes Palma in fructibus recondidit. Primariam venditamus, quâ moderatè adſtringunt: Hâc conciliare vires ventriculi, cohibere alvi fluxiones, inteſtina, uterum & fœtum roborare, experientia docuit. Eidem

dem facultati acceptum ferendum eſt, ſi quid iidem fructûs præſtant extrinſecus adhibiti. Alteram vocamus dulcedinem, ſed adſtrictione temperatam; cujus beneficiô caryotæ opem ferunt egregiam tuſſientibus: nam catarrhos tenues, acres & vagos (Medicè loquor) blandâ coagulatione ſub naturæ reducunt obedientiam, ut absq; inani concuſſione thoracis excerni valeant, dum & abſtergunt leniter & organa pneumonica demulcent. Hinc *Decocti pectoralis, Syrupi de Hyſopo, Syrupi reſumptivi, Specierum diathamaron Nicolai, Looch ſani & experti,* atque his pares noſtratium medicamentorum formas ingrediuntur. Eidem virtuti debetur, quantum ſuccurrunt renibus aut veſicâ dolentibus. Dactylorum ſocietatem nec purgantia reſpuunt: *Electuarium Diaphœnicum*, quod *Meſue* ſanitatis ac ſalutis medicamentum vocat, ſatis magnâ quantitate illos recipit, eo conſilio, ut ſcammonii ferocitatem mitigent, & detergant pituitam inteſtinis adhærentem, in affectu Colico. Idem electuarium, eodem fructu nobilitatum, proſtat etiam in tabellis, inſignitum nomine *Diaphœnici in ſolido.* Pariles virtute & dactylorum connubiô compoſitiones officinæ Perſarum exhibent, quas prolixè deſcribit Theſaurus Charaſem-Sjaicus ذخيرة خوارزم - شاهي *Sachireh Charaſem-Schahii*, ingens liber Perſicus à Rege ejus nominis ſic dictus, auctoris مظفر ابن محمد الحسين *Muſaffer ibn Mahhammed el Hoſſein:* & in ſuâ Appendice ſimplicium & compoſitorum hiſtoriæ, auctor libri Selectorum naturalium & mirabilium كتاب إختيارات بديعي *Kitaabi Echtiaraati Bedìi.* Ex quibus Rev. *P. Angelus* Carmelita diſc. haud infideliter Pharmacopœiam ſuam Perſicam latinè tranſtulit. *Emplaſtrum* quoque *diachalciteos* ab hac arbore nomen *Dia-*

Cc ccc *palmæ*

palmæ & *Diaphœnici* ſortitum eſt, cujus in vulneribus & qualibuscunque ulceribus ſanandis, nonnunquam etiam in leniendis doloribus arthriticorum, inſignis uſus eſt. Verùm emplaſtrum illud, cum Palmæ non fructum, ſed ſolum admittat lignum, quo cum in præparatione agitari ſolet, quicquid virtutis exerit, Lithargyrio acceptum refert; rudicula nihil ei, niſi nomen tribuit. Ad arthritidem curandam ipſos dactylos commendat *Solenander*. Oleum ex eis *Joëlius* elicit, quô procidentem anum, & excoriatas partes corporis inungit. Pulpam dactylorum imponunt populares extrahendis ex pede feſtucis & aculeis. Pulverem contuſorum oſſium, partum expellere *Foreſtus* author eſt; idem & calculos educere medicorum teſtimonio creditur. Cinerem oſſium uſtorum in urinæ incontinentiâ propinat *Riverius*. His tot virtutibus utut dactylorum nomen clareat; apud alios tamen malè audiunt, quòd crebriùs manducati cephalalgiam, & quod medici Perſiani crepitant, graviſſimam viſioni noxam inferant: cùm vix tertius in hâc gente aliquâ non gravetur luminum ægritudine. Quâ culpâ dum reliqua dulciaria inſimulat *Aretæus*, ſolidioris experientiæ medicus, & à doctis, teſte *Quercetano*, Anima Hippocratis non immeritò appellatus, ſolas tamen palmulas eximere non dubitat. Sunt ſanè oculorum vitia omni genti oryzâ veſcenti, ſub dio & in rore dormienti, balneis denique crebrioribus aſſuetæ, familiaria & vernacula: Hæc tria cùm in una hâc natione videas, religio ſit, tot mali cauſis præſentibus, eo nomine infamare dactylos.

Uſus Magicus.

§. III.

Magicum arboris abuſum ſubjungimus, quô ex foliis de rebus abſentibus & futuris pronunciant, eam vaticinandi fraudem edocti, quam ſpeciali, ſed barbaro fortaſſis, nomine فال مشتك *Faali meſtèk* appellat vulgus Ormuſienſe.

ſienſe. Nam, ut ut plura ſint ſuperſtitioſæ genti per vaticinia imponendi genera, quibus vel ex calculationibus جعفر *Dſjaaferianis*, vel in religioſo ſuo Codice القرآن *Alkoraan*, aut Poëmatibus خواجة حافظ شيرازي *Chodſja Hafès Sjiraſi*, obſcurarum rerum ex multò obſcurioribus apophthegmatibus, evolutionis ſorte inventis, lucem quærunt; vel ex ſomnorum ingentis formæ libro تعبير *Taäbiir*, nebuloſis ſpectris, centauris & dæmoniis picto, ſomnorum prænotiones evolvunt; vel arte Geomanticâ رمل *Raml*, inventa teſſerarum jactu auguria calculant, hæc tamen *Faali meſtèk* ſpectabilis ars omnibus illis dactylophagi populi judicio longiſſimè antecellit. Modus hic eſt: Scandit poſſeſſor comam Palmæ floriferæ, & ex novellâ medii verticis fronde carpit ſiniſtrâ recentium foliorum manipulum. Ex requiſitis eſt, ne Magus quicquam toto actu loquatur, nec niſi ſemel carpat; detracta folia in terram ne dejiciat, nec pretio vendat, ſed gratis concedat petentibus. Si in uno eorum delictum ſit, irritus eſt labor, irritum oraculum. Cùm divinatio inſtituenda venit, unum vel alterum foliorum fatidicus in ſeptem diſcerpit lacinias, quas ſiniſtrâ manu ita apprehendit, ut utræque laciniarum extremitates inter pollicem indicemque ad æqualem longitudinem emineant, ne, qui unius lori fines ſint, appareat. Hos inquam fines Magus quærenti offert connodandos, binos atque binos, poſtremis ſaltem duobus, quoscunque voluerit, omiſſis. Quo facto, compagem laciniarum, quacunque ſorte cohæreat, humi ſpargit, ut natas ex nodulis figuras inſpiciat, & ex iisdem reſponſa eliciat. Ridiculum eſt, quot obtingant laciniis varietates figurarum, per circulos, catenas, lineas & multiplicia involucra cohærentibus vel disjunctis; ſed magis eſt ridi-

 culum

culum, quàm Magus ſeverâ fronte lineas aut gyros, conjunctiones aut ſeparationes, unitates & numeros, ad itinera, reditus, connubia, mortem, ægritudines, ſanitatem innumeroſque caſus argutè flectat, &, niſi ritè fata, rectè tamen crumenas explicet eorum, qui hanc ſibi fabulam ludi petierant.

Epilogus.

§. IV.

Hos hodie, non plures uſus tenent indigenæ; adeo *Strabonis* numerus defecit; adeo cum gentis gloriâ, notitiæ rerum, ingenium & induſtria imminuta, & in obſcuram inſcitiam transgreſſa ſunt: id ſive debeat plebejo ſanguini Æthiopici hoſpitis, qui priſcam inquinaverit nationis nobilitatem, ſive acceptum referat *certo orbi, qui rebus cunctis ineſt; quo ut temporum, ita morum vices vertuntur*, ut loquitur *Tacit. in Annal.* Accuſare ſi uſpiam licet fata rerum vertentium, licebit ſanè in *Ormuſio*, illo palmiferarum provinciarum capite, ejusque civibus *Ogyritis*, in quorum nunc portum *Gamronenſem* (nam ex eo digreſſus fui) domum me recipio. Illuſtris hæc illa, ſi priſcos rectè conciliamus, *Ogyris* Inſula eſt, *Erythræi* Regis, quod *Plinius* teſtatur, monumento nobilitata, Caramanidis famoſum promontorium, quod è ſalo promit caput, ut loquitur *Ptolomæus; Arriano, Strabonique Armozum* & *Armuza*, hodie هرموز *Hormuus* dicta: Sive enim ita à fundatore ſuo, viatorum Deo τοῦ ἑρμοῦ, id eſt, Mercurio nuncupata ſit, ut *Athan. Kirchero* videtur; ſive ſaltem in proventu خرما *Churmaa*, i. e. Dactylorum, quod vero ſimilius eſt, nomen ſuum invenerit; ſedes ſanè Regia fuit, Regni metropolis & totius Orientis emporium. Priſcos Perſas audimus, & cum iis non multis retrò annis victores Luſitanos dixiſſe proverbio: *Si orbis terrarum annulo comparandus ſit, Ormuſium ejus dicendum eſſe diadema.*

Ormus Inſulæ deſcriptio.

dema. Hæc olim meta, hæc cynoſura atque polus fuit, quò ante Europæorum in Aſiam navigationes collimabat acus mercatorum totius Orbis; unde depoſitas Indorum merces petebat Aſia minor, Ægyptus, Græcia & ulterior Occidens; unde Europææ nationis fama ſub *Frengi* nomine (ſive à Phrygibus, ſive à Francis hîc appulſis) per omnem Indiam percrebuit atque inclaruit; ex quo Inſula jure meritô trium mundi partium portus nuncupanda fuit. At, ô Ilium! deſiit Ormuſii nomen; inclytum corruit regnum; civis cum regno occidit; cum cive urbanitas, cultura, artes amiſſæ ſunt. Nihil enim cùm ferat ſiccum illud ac ſterile cœlum, niſi tædia humani generis, ſola locum mercatura & quæſtûs amor populô repleverat. Europæi igitur, poſtquam cœperunt Orientem frequentare navibus, & aurea vellera petere ex ipſis natalibus, per orbem diſtribuenda, deſiit in Inſulam mundi mercium depoſitio, & confluxus gentium ad mercaturam; politioribus ſenſim hinc & ex tota, quà mari adhæret, provinciâ regreſſis in mediterraneas, ſub mitioris cœli præſidium. A quo tempore negotiatio ibi nulla viguit alia, niſi quam ſola Perſia cum Indis ac Europæorum Societatibus reciprocat. Cujus inſtaurator Rex *Abas* Magnus ex Inſulâ cives, domûs mercationum & officinas commoditatis causâ tranſtulit ad oppoſiti littoris oppidulum *Ghamruun*, ſeu *Gamron*, quod inde in populoſam urbem provectum, à Sereniſſimo auctore nomen adſcivit recentius بندر عباسي *Bender Abaſi*, i. e. Portûs (Regis) Abaſi, prout Rel. 7. §. 1. inſinuavimus. Inſula cive ſuo exuta, nihil de priſco ſplendore, quàm nomen vetus retinuit; vadi vix de conditione vel loco ampliùs conſtat; emporii toto Orbe celebris, quod in boreâ-occidentali Inſulæ extremitate magnificè ſuperbiebat, quaſi mari imperaturum, nunc deſolata ac diruta ſpectantur rudera; ſaltem caſtellum ei præfixum, cu-

ſtoditur otioſô præſidiô ſeptingentorum militum, qui tamen magnam partem temporis inter cives terræ firmæ degunt, ſqualoris inter pomœria pertæſi. Caſtellum à Luſitanis quondam conditum habitatumque fuit; quod, etſi à loci genio inexpugnabile haberetur, poſſeſſoribus tamen extortum, & in Perſarum poteſtatem anno Chriſti 1623. redactum eſt Anglorum auxiliis; qui pro compenſatione partem annui telonii, quod in portu exigitur, ex pacto accipiunt. Inſula unicum complectitur milliarium in longitudine, minùs in latitudine; tota montoſa eſt ac ſterilis, arbores, Lotos agreſtes ſpinoſas ac pauciores Palmas ferens. Pagô gaudet unicô quadraginta domuum *Turumpèk* dictô, in quo magna pars militum hoſpitatur. Aquæ dulcis unica adeſt ſcaturigo in littore, ſed exilis adeo, ne ſufficiens potus ex eâ poſſit colligi. Non procul à pago ciſterna extat *Gadſj gidr* apellata, vaſta & celebris, quæ imbrem brumalem excipit. Earum inter ipſa urbis rudera numerantur ducentæ, omnes hodie, ſi viginti excipio, dirutæ & inutiles. Puteanam ſtagnanti olim prætulerunt cives alii, quam quotidie petierant ex littore proximo terræ firmæ, ab unâ paraſangâ oppoſitô. Montes ex variâ materiâ coagmentati, variis quoque ludunt coloribus: Petroſi ſunt alii; alii ex arenâ & ſale mixti; unus littori propinquus rubricam exhibet; alius arenam cedit micantem, & nigerrimam, quæ olim ad uſus devehi ſolebat in Indiam. Datur loci ſpatium, in quo Benjani linis candidiſſimis amicti, (hæc mundities illis pars religionis eſt) dum feſtivis diebus recreationis cauſâ incedunt, colore flavo tinguntur, quòd ejus particulis, quanquam inviſibilibus, aër imbutus ſit. Sal nativum dimidiâ ab urbe paraſangâ petitur, non alio pretio conſtans, quàm eruendi labore; idem in montibus ex pluviâ liquefactum ac devolutum, dum in lacunis ſubſidet, in cruſtas magnas, glaciei inſtar, coagulatur, gratuitum pariter in uſum petentium. Sulphu-



F. W. Brandshagen fecit


a. Propugnaculum maximum
b. c. d Tria propugnacula minora
e. Castelli rudera
g Palatum Chani
h. Equile Chani
i. Domus Vicarii
K. D. Batavorum
L. D. Anglorum
m. D. Lusitanorum
n. D. Gallorum desolata
O. Mons Ginau
p. 759
fecit

phuris fodina adeſt, ſed neglectu ſepulta, quia idem terra firma abundè ſuppeditat. Metalli adeſſe venas, atq; olim etiam aurum effoſſum eſſe, traditioni creditur: Ajunt foſſionem negligi, ſalutis publicæ conſiliô, ne fortè dives ſponſa procos alliciat peregrinos. Prope caſtellum abyſſum dari, charybdisq; voraginem ajunt, quæ navibus exitium machinetur, niſi ſecundo vento transnatent; ſed nullæ naves eò amplius appellunt; vadum nunc inveniunt commodiùs, & pro anchorâ jaciendâ fundum ex parte limoſum & tutiſſimum è regione urbis Gamroni: cujus hîc non piget celebris emporii deſcriptionem adjicere.

Gamroni urbis deſcriptio.

Gamronum urbs ſecundum littoris tractum ad bis mille trecentos paſſus elongatur; latitudine ſuâ in hemicyclum protuberans; cujus pars occidentalis muris portisque clauditur, reliqua, & quà mari accumbit, his munimentis caret. Utrumque urbis terminum tuetur ſuggeſtus in littore extructus, & tormentis bellicis munitus. Caſtellum, quod orientalem urbis partem defenderat, dirutum proſtratumque nnnc jacet injuriâ temporis. Forum habet frequens; officinas variis mercibus refertas; templa & hoſpitia nullius magnificentiæ vel nitoris. Plateas & angiportus exhibet ſordidos, ſqualidos, inæquales, anguſtos, paſſim fornicatos & obſcuros. Habitacula pleraque ejusdem notæ ſunt, ſi Archiſatrapæ, Vicarii, Batavorum, Anglorum, quorundam Benjanorum & paucas alias excipio. Domûs mari objectæ paſſim ex lapide, remotiores ex limo, ceteræ, inſtar ovilium, ex arundine & frondibus palmeis leviter coagmentatæ ſunt, ac citra ordinem collocatæ. Civium multitudinem confluxus variæ gentis conſtituit; pars enim maxima Indicum, Arabicum, Afrum & atrum vulgus eſt, quod ipſæ Perſæ ſordido ludunt proverbio:

[illegible]

هرموز و آب شور و سپاهان کون مشور
عیبش مکن که سرور شهر جهنم است

Ex civibus Perſæ ſunt officiales publici, artifices, inſtitores, coqui & ſorbilium caupones; Benjani ſunt mercatores opulenti, pauci etiam aurifabri & inſtitores; multitudinem abſolvunt ceteri, ut plurimùm piſcatores & bajuli, ex inſula Madagaſcar & pagis Arabicis olim profugi. Trium religionum hîc viget exercitium: Mahhammedanorum, Judæorum & Benjanorum, ſive gentilium: adderem Chriſtianorum, videlicet Europæorum & Armenorum; ſed hi, loci hoſpites & peregrini, ſacerdotes non alunt. Patres emiſſarii quando peragrant, ſacra ſua in Luſitanorum domo peragunt, pauciſſimis præſentibus loci nigritis, quorum parentes quondam à Luſitanis converſi fuerant. Aër loci & præcipuè Urbis, quamvis ſit ſereniſſimus, inſaluberrimus tamen eſt; tum ob exceſſum in primis, quas vocant, qualitatibus, tum ob crebras ſubitasque in oppoſitam qualitatem mutationes, tum etiam ob inquinamenta ſubtiliſſima, ut ſic loquar, ſulphureo-arſenicalia, quæ ex tellure & putredine quavis reſultant. Sanè, ut maxima anni pars cum pernicioſâ humiditate intolerabiliter calet, ſic bruma media corpus ante ſolis ortum frigore perſtringit acutiſſimô. Aura ab auſtro ſpirans maritima, mirè quidem demulcet perpetuò hîc languentium ſenſum, ſed adeo plerumque humet, ut momentô cutem, pavimenta & præſertim objecta ſolidiora madefaciat. Africus verò impetuoſus eſt & noxius, ardenter flagrat, & vehementer ut plurimùm, momentoque citiùs ſuperficiem corporis exſiccat cutemque exaſperat. De Euro idem dixeris, quamvis calor ejus ſit remiſſior. Aquilonem gelidum fruſtra deſideramus, quòd à montibus præcluſus rariſſimè huc penetret. Quantum detrimenti corporibus tam

tam crebra aëris mutatio inferat, demorantes hîc hoſpites cum dolore noſtro experimur: nam raro dimidia pars valemus, nec ullus ita proſperè, ne ex febrili morbo, qui advenas excipit, aliisve incommodis eluctatus, perpetuò viribus animoq; langueat. Vivendi alimenta haud deſunt, quibus emendi nervus non deficit. Piſcium, ſi ullibi, hîc certè ſapidiſſimorum varietas capitur, perexiguo pretio venalium. Idem de conchis & oſtreis affirmo. Gallinarum quoque copia ſuppetit; Ova, ſi triduô vetuſtiora ſint, jam intus motum & venas pulli delineatas referunt. Agnorum ac vervecum optima & omnium copioſiſſima hîc caro eſt; caprina delicatorum menſas non attingit, quia teredines viventis bruti muſculos obſident. Vitulina & bubula menſis anathema eſt: quandoquidem Benjani immunitatem huic animantium ſtirpi redimunt, datô Archiſatrapæ annuo lytro, ne violari cujusquam vita audeat. Dactylorum peregrè ex palmetis adductorum hîc datur copia. Vim butyri, à calore liquefacti, utribus transmittit Carmania (*Kirmaan*). Pagus *Bugùn*, quatuor hinc diætis diſſitus, farinam, uvas, nuces juglandes, apricotia, mala granata & aurantia (ſed quæ omnia ſylveſtre quid ſapiunt) aſininis tergis advehit. Inſula *Kiſmìs*, præter cetera, cucumeres quoque laudatiſſimos, nec non melones indulget. Littus Arabicum non raro opes etiam ſuæ Cereris impertitur, ex quibus inprimis celebranda veniunt laudatiſſima pruna, *Ambà* vel *Mangas* appellata. Olera ſuppeditant rura quædam hortique pagorum vicinorum. Ciſternæ plures fornicatæ pluvialem cuſtodiunt, quâ, per brumam collectâ, pro potu fruitur multitudo civium. Ditiores potulentam aquam ex rure repetunt, aſininis vel camelinis dorſis aſportandam: Europæi eandem admixtô vinô temperant, quod unà cum aquâ roſarum Sjiraſô magnis jumentorum agminibus aſportari curant, mittendum in Indias.

Deſcriptio regionis. Tellus Gamronica per plura milliaria in circuitu ſterilis, torrida, arenoſa & ex monticulis, quos crebri turbines congeſſerunt, rupiumque paſſim emicantium veſtigiis inæqualis exiſtit. Pauci ſub urbe horti, continuis antliis irrigandi, olera quædam ferunt, præſertim rapocaulem, cucumeres, mala inſana, & cæpas. Tria in prædicto circuitu loca ſunt, quæ culturam patiuntur, ac ſe umbris arboreis non minùs, quàm proventu aquæ potoriæ commendant. *Nabàm.* Primus locus eſt *Nabàm*, unâ Gamronô verſùs Orientem paraſangâ diſſitus, totâ Perſide inclytus ex vaſtâ umbrâ arboris *Luur*, ſive Ficûs Indicæ, radices ferentis; nam radices ex ramis ſe demittentes dum terram aſſequuntur, in caudices ſemper novos convertuntur, ut ita lucum unica illa arbor toties multiplicata conſtituat. Ad quam umbram Multhani ſ. Benjani idolo *Ram* ſacellum, perenni lampadum flammâ lucidum, ac ſuæ voluptati viridarium exſtruxêre Belgæ. Inde ulteriùs dimidiam paraſangam progredientibus patet alter locus *Nagana gudà*, *Nagana gudà.* ab agricolis habitatus. Pronâ magis Cerere hîc terra colitur, humore perfluentis rivi (quodammodo nitroſi) ad poſſeſſoris lubitum irrigua. Dives proinde eſt fruticum arborumque; inter quas copioſiſſima ſpectatur lætiſſimèq; omnium frondeſcit *Aſa Diracht Avicennæ*, *Garzio* ab Ortâ & Indis *Nimbo* (Benjanis *Lumberò*, Perſis سرشك *Serisk*) dicta: quam cùm Luſitani, olim huc ex Ormuſio indies accedentes, *Amargoza*, ab amaritudine foliorum, appellarent, ipſe pagus hinc idem etiam nomen adſcivit. Tertius ad ſeptentrionem tribus & dimidiâ Gamronô paraſangis diſſitus pagum exhibet عيشين *Aſjiin*, *Iſjin* & *Iſſiin* *Iſſiin.* dictum, ſatis amplum, Multhanis & Europæis, quos procul hinc æſtivare negotia non permittunt, crebrum præbens æſtate refugium: Hortos enim hinc poſſident multâ ſolertiâ adornatos; ciſternis etiam ſpatioſis, lapideis, pro abluen-

luendo ſqualore corporis, magnificè inſtructos. Præter hortos & palmeta, etiam ager non infeliciter hîc colitur, Hordei, Seſami, Goſſipii, Iſatidis & olerum ferax. Rivulus pagum influit aquâ dotatus limpidiſſimâ, & nullo, quod aliàs ſolet, adulteriô ſalis corruptâ; ſed qui pagô nondum elapſus paucis derivationibus evaneſcit. Ipſe fundus, ad viginti orgyias effoſſus, ejusdem notæ liquores exhibet, quibus, bovinô jugô extractis & per elices dimiſſis, diſtributisque agrorum hortorumque ſuperficies ſingulis noctibus irriganda eſt. Non procul Iſſinô ſolum, quod ubique torridum ac ſabuloſum eſt, ſenſim elevatur, donec à tractu unius paraſangæ præceps exſurgat in editiſſimum montem *Ginaù*: ad cujus radicem, inter collium aſperrimorum fauces, ſpectantur celebres thermæ, quæ à monte nomen ſortitæ ſunt *Abi germ Ginaù*. Gamrono ut ab Oriente Ormuſium, ita ab Occidente opponitur inſula *Kiſmìs*, ad usque portum urbis *Bender Congo* exporrecta, nimirum in longitudine viginti quatuor, in latitudine ſex circiter paraſangas, quarum 22 & dimidia reſpondent uni gradui cœleſti, ſive milliaribus Germanicis 15. Fundo gaudet, pro cœli ſtatu, ſatis frugifero, pagisque numeroſis inſtruitur. Frons inſulæ, quâ Ormuſium reſpicit, Caſtellum oſtentat, quatuor in angulis præaltô ſuggeſtu turritum, ſtructuræ prorſus antiquæ & globorum vim ſufferendo impar. Hoc Batavi, anno 1681 tormentorum ictibus impetentes, paucos intra dies expugnabant. Duabus his inſulis, trium paraſangarum intervallo diſſidentibus, tertia *Lareek* interjacet, parva, nuda, ſterilis, caſtello inſtructa, ſed prolapſo & ſine milite. Dicuntur in eâ ſpectari fornices multi ſubterranei, quibus Ormuſienſes olim pro recondendis mercibus uſi fuerant.

Inſula Kiſmis. *Inſula Lareek.*

Sinus ipſe Perſicus, Arabiam Perſidemque dividens, ab auſtro-oriente (S. O.) in borea-occidentem (N. W.) protrahitur; ibi, dum oceanum ſubit, emporium *Maſcàt*

Sinus Perſicus.

 in

in Arabiæ felicis littore alluens, hîc Tigridis Euphratisque ad commune oſtium, *Baſràm*, famoſam ejusdem Arabiæ urbem, oſtentans. Præter urbes quatuor nominatas littora inſignioris notæ alias non exhibent. Inſulas Sinus habet plures, ſed majori numerô ſteriles & incultas: Inter eas una eſt *Chareek* dicta, trium in ambitu paraſangarum, quæ ex ſingulari genio canibus, vulpibus & lupis aureis infeſta eſſe dicitur, adeo ut invecti paucis horis exſpirent. Fundus circa Ormuſum olim pretioſiſſimas Orbis margaritas tulit; quæ, Luſitanis ejectis, (fortè arenis obrutæ) protinus deſierunt. Perſarum conſtans opinio eſt: Luſitanos in damni vindictam illas veneficiô extinxiſſe. Hodie eas urinatores Perſici colligunt circa inſulam *Bahreìn*. Ceteras Sinûs conditiones exponet Tabula hydrographica, quam propriâ elaboratam induſtriâ hîc exhibeo, quanquam â moroſo chalcographo negligenter exſculptam.

AMOE-


…us urbs à Luſitanis habitata
ex Linſchoto
Ormus
Inſ. plan.
Kismis
Castelli
Planum
Baſſe
A
RA
30
29
28


TABULA HYDROGRAPHICA SINUS PERSICI
PER
SI
DIS
A
RA
BI
Æ
PA
R
S
PARS
Biabuun
ſive
Desertum
Tsjaask
Inſ. Jeppen
Baſsora
Bander Riik
Ormus urbs a Luſitanis habitata ex Linſchoto
Ormus arcis planum
Castellum Kismis
Kismis
Castelli planum
Gamron
Congo
Kismis
Ormus
Catifa
Bahrein
Fundus
talis
Marga
rita
rum
Tomba
Julfar
Maſcatta qua terram reſpicit
Sinus Maſcattenſis
MASCATA qua mare Spectat
Maſcatta

AMOENITATUM EXOTICARUM

FASCICULUS V.

Continens

PLANTARUM JAPONICARUM,

quas Regnum peragranti ſolum natale conſpiciendas objecit,

NOMINA & CHARACTERES SINICOS;

intermixtis, pro ſpecimine, quarundam plenis deſcriptionibus, unà cum Iconibus.

Catalogus Plantarum
FASCICULI V.
in quinque Claſſes diſtributi,

quarum exhibet

Claſſis 1. Plantas vulgò dictas Bacciferas & Pruniferas.
2. Pl. Pomiferas & Nuciferas.
3. Pl. Oleraceas & Frugiferas.
4. Pl. ſpecioſo flore conſpicuas.
5. Pl. Miſcellaneas.


Præ-

Præfanda.

Lectorem præſcire cupio (1) Catalogum, quem trado, in ipſo primo per Japoniam itinere, adeoq; citra methodum hodiernæ βοτανοσοφίας natum eſſe. In eo plantas quascunque obvias promiſcuè adoptavi, ſanè non aliâ intentione, quàm ut vocabula & characteres addiſcerem Gentis, apud quam diutulè commorari conſtitueram. Sufficiebat propoſito craſſior hæc Plantarum diſtinctio in V. Claſſes, ſeu locos communes, in quibus omnium nomina & characteres, tum ignotarum prima quoq; lineamenta raptim deponerem. Quæ verò, cùm deinde iteratâ inſpectione, & partium, quæ in primo occurſu deficiebant, adjectione ita perfecerim, ut pro majori opere botanico ſuppeditare poſſint materiam, (ſed quæ in Manuſcriptis meis diſperſa atque indigeſta adhuc latet) placuit hîc ſaltem primam meam ac rudiorem operam, in conquirendis Stirpium characteribus Sinicis, & nominibus Japonicis collocatam, impertire: inſertis, pro ſpecimine & Faſciculi magnitudine explendâ, Stirpium quarundam integris deſcriptionibus; quarum verò icones ex naturali magnitudine in minorem formam redactæ ſunt non ſatis ubique feliciter, vel eleganter.

(2) Nomina, quæ citamus, duûm eſſe generum: alia plebeja & vulgati uſûs, alia verò literatorum Japonenſium, quibus illi Plantarum characteres Sinicos exprimunt. Characteres enim, quamvis Japoniæ, Sinæ (rectiùs pronunciamus *Tſinæ*) proximisque regnis ac regionibus, ad Cambodiam & Siamum usque, univerſales & communes ſint; (ſunt enim rerum velut picturæ & deſcriptiones) gentes tamen ſingulæ eos ferè diverſè exprimunt: adeo, ut ſcri-

ſcriptione communi cùm gaudeant atque ſe invicem intelligant, in ipſo congreſſu tamen muti ſint. Characteres illi penicillô, non calamô, ſcribuntur, virgulisque conſtant plurimis, rectis ac ſimplicibus, in formam quodammodo quadratam eleganter congeſtis. Cujus verò elegantiæ ſpernax indoles & expedita manus Japonum omnem virgularum in uno charactere apparatum ſatagit uno vel paucis ductibus abſolvere: ex quibus tunc alius enaſcitur character indecorus, gentique magìs uſitatus, quem appellant *Sſò*, ad differentiam prædicti univerſalis, qui vocatur *Sìn.* Negabat xylographus, ſe poſſe confuſos illorum ductûs aſſequi, unde eos characteres omiſimus. Addidiſſem quoque ſignata nomina literis Alphabeti Japonici; (quô duplici populus utitur: uno *Fíro Canna*, altero *Catta Canna* dictô, cujus utriusque figuræ non ſimplices literas, exemplô noſtratium, ſed integras ſyllabas notant) verùm quòd à dextrâ incipiendo deorſum ſcribantur, inſeri latino textui non poterant; ſecus ac ipſi characteres, qui, quamvis eodem ordine pingendi ſint, patiuntur tamen à latere ſociari. Pro oſtendendo utriusq; tum characteris, tum ſcripturæ differentiâ, ſubjungimus hîc Characteres quosdam ſcriptu faciliores, cum eorum appellationibus literis utriusque Alphabeti ſcriptis: quorum primus Lauri Camphoram ferentis, literatis nomine characteris *Sſjoo*, populari *Kus*, vel *Kus no ki;* alter Alcææ arboris, vulgò *Kirì*, ſeu *Kirì no kì*, literatis *Too;* tertius Oryzæ vulgò *Wasi* & *Uruſjine*, literatis *Ko* dictæ. Vox prima in unoquoque exemplo ſiſtit characterem Sinicum univerſalem *Sin*, altera Japonicum *Sſò*, tertia characteris appellationem literis *Firo*, quarta eundem characteris ſonum literis *Catta* expreſſum.



(3) Va-

(3) Variare quandoque nomina additione vel mutatione unius literæ: Ita litera *n* aliquando ex laſcivia linguæ inſeritur, ut perinde dicatur *Naga* & *Nanga*, *Tſus* & *Tſuns*. Ob eandem euphoniam *f* in *b*, *k* in *g*, *g* in *k*, *w* in *b*, &c. mutari ſolet, præſertim in nominibus compoſitis: ita Sibito *b*anna pro Sibito *f*anna, Kinari *g*aki pro Kinari *k*aki, *K*oquan pro *G*oquan, Ki*b*i pro Ki*w*i dicitur: quæ ſcriptionis diverſitas, ſi occurrat, pro mendâ reputari non debet.

(4) Sategiſſe nos orthotoniam vocum exprimere impoſitis accentibus, vel duplicatis vocalibus, velut in præfatione libri monuimus.

(5) De Stylo & orationis nitore parum me ſolicitum, non abſtinuiſſe à vocabulis malè Latinis: quas tamen non ego primus fingo, ſed illuſtres botanographi foro botanico pridem induxêre, velut ad plantas earumque partes typicè ac compendioſè deſcribendum idoneas & maximè neceſſarias.

(6) Plures me in eodem regno enotaſſe Stirpes, ſed quarum nec characteres nec nomina propria à popularibus explorare vel in eorum Herbariis adhuc reperire potui, unde eas hîc prætermiſi: cùm ſine natali nomine plantas induxiſſe, à Faſciculi titulo fuiſſet alienum & inconveniens.

CLASSIS I.

Plantæ vulgò dictæ bacciferæ & pruniferæ.

T*ſus no ki*, ſive *Tſúdſu no ki*, i. e. arbor Laurus. (*Tſus* nomen Lauri eſt; *ki* notat plantam vel potiùs arborem; *no* præpoſitionem *de*, velut copulam ex

gentis idiotiſmo inſerendam. Dicitur etiam *Tſons* pro *Tſus*, ob euphoniam) Lauri ſpecies & varietates, quas Regio alit, ſunt ſequentes:

Kúro Tſons, vel *Proh Tſons:* Laurus baccis majuſculis atro-purpureis, foliis latioribus.

Eadem foliis anguſtioribus undulatis.

Aka Tſúdſu: Laurus baccis majuſculis rubicundis, foliis latioribus.

樟 Laurus Camphorifera; literatis nomine characteris *Sſio*, vulgò *Kus no ki*, aliis *Nambók* dicta.

Arbor eſt ſylveſtris, in Japoniâ occidentali & adjacentibus Inſulis in lætam vaſtamque Tiliæ magnitudinem adoleſcens. *Radice* nititur validè ac parùm brachiatâ, quæ camphoram præ ceteris partibus ſpirat & coctione impertitur. *Cortex* quodammodo eſt ſcaber, coloris pulli, in ramis junioribus lævis, viridans, nitens, interiori ſuperficie glabrâ & mucoſâ, adeoque facilè abſcedens; *Medulla* magna fungoſa & lignoſa; *Lignum* candidum, per ſiccitatem ex rufo variegatum, ſubſtantiæ laxioris ex fibris craſſiuſculis compactæ, aliquando ſerviens pro fabricandis ſcriniis; ſed quorum ſuperficies per vetuſtatem aſperatur, dum volatilis reſina poros deſtituit. *Pediculis* carinatis, tenuibus, ſeſcuncialibus, nonnunquam ex viridi rubentibus inſiſtunt *Folia* promiſcuo loco ſingula, membranacea, triuncialia vel longiora, ex brevi acuto principio ovata, mucrone oblongo anguſto, margine integro undulato, non raró tenui palleſcente virgulâ fimbriato, ſupinâ facie ſaturo virore imbutâ ac micante, dorſo herbaceo & quaſi holoſerico; nervo uno medio utrinque prominulo, ex viridi albican-


樟
クスノキ
Petalū
Stylus
Apices

cante & paucis nervis lateralibus ad ambitum arcuatim protendentibus; quos vagi minores pro firmitate folio conciliandâ intercurrunt. In nervorum ſinibus non rarò verruculas obſervamus, quas huic Lauro proprias dixerim. *Floſculi* in faſtigiis ramulorum, ſed arboris provectæ ætatis & magnitudinis, menſe Majo Junioque inter foliorum axillas prodeunt, Pediculis nixi biuncialibus, tenuibus, in fine racemoſis ac in pediculos breviſſimos ſingulis perianthiis præparvis inſtructos divulſis. Sunt flores albi, hexapetali, intra ſeminis Coriandri ambitum radiantes, petalis ovatis, ſtaminibus apicatis novem, eâ diſpoſitione locatis, ut terni medium ſtylum premant, hos ceteri in orbem ambiant, intercepti ſingulis tuberculis, carnoſis, exiguis, luteis, mollibus, umbilico laxè adnatis. Florem, accreſcente calyculo, *Bacca* excipit per maturitatem atro-purpurea & ſplendens, magnitudine piſi majoris, figuræ quodammodo turbinatæ, pericarpio molli purpuraſcente, ſaporis ex camphora caryophyllacei; *nucleô* intus piperis magnitudine, corticulâ nigrâ micante obducto, bifido, oleoſo, ſaporis fatui.

Extractio Camphoræ ruſticorum opus eſt in provinciâ *Sátzuma* & Inſulis *Górho*, qui radices & ligna in feſtucas comminuta, cum affuſâ aquâ coquunt in veſicâ ferreâ, impoſitoque capitello fictili amplo, & (ne ex vapore rumpat) roſtrato, ſublimatam reſinam excipiunt, ſtramini, quod capitellum replebat, adhærentem.

Lauri Camphoriferæ ſpecies eſt Caſſia Canellifera, cujus radix oleum Camphoræ cum ipſa Camphorâ, cortex oleum Cinamomi, folia oleum Caryophyllaceum præbent in deſtillatione. Eam ſanè in ſylvis Malabaricis (in quibus Caſſia lignea dicta, maximè luxuriat) æquè inveni nobilem, ſed minùs frequentem, ac in ipſâ Ceylanâ. Camphoram quoque in deſtillatione *Schœnanthi* Perſici ac Arabici copioſam obtinui, in fundo olei ſubſidentem;

nec

nec dubito eandem ineſſe Junipero aliisque ſtirpibus camphorini odoris, & ex iis arte educi poſſe; quod pollicentur Brahmenes: qui etiam ex omnibus dulcibus, quin ex ipſo lacte ſaccharum eliciunt. Modum ab ipſis edoctus teneo. Camphoram naturalem & criſtallinam perquam petioſam ac raram impertitur arbor in Sumatrâ & Borneo inſulis. Sed hæc arbor ex Daphneo ſanguine non eſt.

梛 *Ná*, vulgò *Nági*, it. *Tſíkkura ſiba.* Laurus Julifera, folio ſpecioſo enervi.

Rara arbor eſt, & boni ominis habita, quæ ob perenne foliorum decus ex ſylvis in urbes recipitur, aſſignatâ ſede in impluviis. *Caudice* autem recto, æquali, frondium amiſſarum ſtigmatibus ſignato, Ceraſi altitudinem tardo incremento aſſequitur: *Cortice* veſtita obſcurè badio, carnoſo, molli, in ramulis pulchrè virenti, odoris abiegni balſamici. *Ligno* conſtat duro, infirmo tamen & vix fibroſo; *medullâ* fungoſâ & per ætatem lignoſâ. *Surculi* alternatim adverſi, tenues & ad ſinus tuberoſi ſunt, foliis bijugis ex unciali intervallo decorati ac ferè penduli. *Folium* pediculi & nervorum exſors durum eſt ac tenſum, Lauri Alexandrinæ folio, ſubſtantiâ & colore ſimile, longitudinis triuncialis, latitudinis pollicaris vel amplioris, utrâque facie æquali, lævi, in longitudinem leniter ſtriatâ & obſcure virenti, ſuperficie in cœruleum roſcidâ. *Juli* terni quaternive ex foliorum axillis exſurgunt obſoletè albidi, breves, ex denſis villis, floſculisque intermixtis bipetalis minutiſſimis, circa medium uncialem ſtylum compacti: quibus defluentibus *Bacca* unica, rarò gemina, in extremitate remanet, per maturitatem atro-purpurea, rorulenta, pruno ſylveſtri externâ facie ſimilis, pericarpio


梛 Nagi

dotata pauciſſimo, molli, ſuccoſo, inſipido; cui laxè inhæret *Nucula* ex aſſe orbicularis, ceraſi magnitudine, lævis, rufa, in apicem faſtigiata. Putamen ejus durum & lapideum eſt, ſed tenue, adeoque infirmum & fragile; nucleum continens cuticulâ rufâ obductum, individuum, ſaporis vapidi ſubamari, figuræ pariter rotundiſſimæ, apiculo auctæ, qui nuclei medium, verticilli inſtar, pervadit.

Aükuba, frutex arboreſcens, ſurculis læto virore micantibus, crebrò geniculatis, pinguibus; folio Ilicis, utcunque adverſo; floribus in ſtylo craſſo racemoſo tetrapetalis, ex purpurâ rubentibus, piperis magnitudinem æmulantibus; fructu rubro Laurino oblongo majuſculo, carne pauca, alba, ſubdulci, nucleum includente duriuſculum, ſaporis tetrici.

棠羅彡 *Taraijo*, vulgò *Onimotſj*. Lauro-Ceraſus, floſculis in luteum languentibus, tetrapetalis, numeroſis, ſub foliorum axillis in modum racemi confertis, fragrantibus; fructu piſi magnitudinis, rubente, umbilicato, quatuor intus granis, figuræ ſeminum pyri, in orbem conglobatis. Ob ſempiternam pulchritudinem in hortulis colitur. An Lauro-Ceraſus *Cluſii?*

橘山 *Sankitz*, vulgò *Jamma Tadſj banna*. Chamæ-Ceraſus pumila, caudice cubitali, non ramoſo; foliis Ceraſi ſylveſtris, verticilli in modũ diſpoſitis; floſculis ſub comâ in ramoſis pediculis pendentibus, pentapetalis, magnitudinis & figuræ Lilii convallii; fructibus rubellis, piſo majoribus vertice cuſpidato, baſi quodamodo compreſſâ, carne ſuccoſâ, alba, molli, dulci cum adſtricti-

ſtrictione; nucleo intus albo, duro, pellucido & albumini oculi piſcis ſimilimo.

樝花 *Quackitz*, vulgò *Fanna Tadſj banna.*

Chamæ-Ceraſo affinis fruticula bipedalis, ramoſa, ſurculis in transverſum exporrectis; folio perenni, inordinatè denſo, lanceato, longitudinis palmaris, latitudinis ſeſcuncialis, orâ ſparſim in bullas retortâ, planè peregrino decore; ſtylo in extremitate ſurculorum brevi, ſurrecto, pediculis conſito denſis, adverſis & in rectos angulos ramoſis; quorum flores & fructus prioribus omnino ſunt ſimiles.

Eadem folio anguſto ſaligneo, margine bullis crebrioribus criſpato; floſculis Dulcamaræ ſimilibus, petalis retroflexis.

燭南 *Nandſjokf*, vulgò *Natten* vel *Nandin Tſikku.*

Frutex cubitalis vel longior, eminus conſpectus arundinis facie; caudice ſimplici, in ſpicam conoidem ramoſam bacciferam deſinente; fronde copioſâ, pedali, in triangulum ramoſâ, ſurculis adverſis & in rectos angulos extenſis, folioque ſalicis figuræ ſeſcunciali, arundinaceo, per longa intervalla pinnatis; floſculis Solani lignoſi paribus, pentapetalis, ephemeris, albicantibus; baccis rubicundis piſi magnitudinis, ſemine donatis gemino, hemiſphærico, oculos cancri (quos medici vocant) referentibus.

梓鼠 vulgò *Nyſimi motſj*, aliis *Tanna wattaſj.*

Liguſtrum vulgare Germanicum. Nomen nactum eſt à glirium ſtercore, cujus ſimilitudinem baccæ referunt.

Jubé-

Jubéta. Liguſtro affinis arbor Pruni magnitudinis, ramoſa, cortice glaucô, ſurculis foliosis in ſpicas racemoſas excurrentibus; foliis decuſſatim adverſis, ex oblongo ovatis, ob teneritatem citò flaccentibus; floſculis & baccis Liguſtri, nucleo albo unico carnoſo, ſaporis cum adſtrictione cauſtici. Baccæ habentur venenoſæ.

加五 *Kooki*, vulgò *Kukò*, aliis *Númi gúſſuri.* Liguſtrum ſpinoſum, denſè folioſum, folio unciali ovato, margine integro; floſculis in uno pediculo ſingulis vel geminis, purpuraſcentibus, pentapetalis, petalis in Hyacinthi floris figuram & magnitudinem coëuntibus; baccis & ſemine Glycopicri. Pro areolarum ſepimentis ſervit, & pro Medico uſu cedit tum fructus veſcendos, tum folia more *Theæ* extrahenda. Dulcamara frutex ſpinoſus.

Fékoſatz Arbor mediocris, denſè ac inconditè ramoſa; foliis circa ſurculorum extremitates denſis, biuncialibus, ex acuto principio ovatis, raro dente langui de crenatis, pinguibus, duris, & quodammodo concavis; floribus in ſpicam brevem congeſtis; baccis nudis rubicundis, ceraſi magnitudinis, baſi quodammodo turbinatâ, vertice umbilicato, carne ſylveſtri, nucleo intus unico bifido, adſtringente.

棸龍 *Kembokv*, it. *Ruugambokf*, vulgò *Sakáki.* Arbor mediocris, Idolis ſacra, Myrti Romani Matth. foliis ac floribus; extremitate ſurculorum tenui & redunca; baccis per ramulorum ſeriem in tenui pediculo ſingulis, piperis magnitudine, cuſpidatis, ſemini-

Fff ff

minibus in carne pulpoſâ, auſterâ ſenis, ſeptenis aut pluribus, ſemini Aquilegiæ ſimilibus, ſaporis ſubamari & ſummè adſtringentis. Scribitur tribus characteribus, quorum vulgatiorem appoſuimus.

Fiſakaki, arbuſcula in ſurculos tenues ramoſa, *Theæ* facie ac foliis; floſculis per ſurculorum longitudinem denſis, rubentibus, pentapetalis, in tintinabuli formam oſcitantibus, pumilis; quos baccæ excipiunt Juniperinis ſimiles, ſuccoſæ, ultramarinum tingentes, seminibus refertæ plurimis (10, 20) duriuſculis, ſpadiceis, ſub dente crepantibus. Colitur in hortis urbanis ob elegantiam.

Eadem flore albo, baccis ſucco purpureo ſaturatis.

Sasjébu, Fruticula Fiſakaki foliis ac facie, floſculis per ſurculorum decurſum velut in ſpicas (intermixto folio præparvo denſo ſecundario) conſitis ſingulis, albis, monopetalis, ex pentagono turbinatis, grani hordeacei magnitudinis, orâ quinque crenis inciſâ; quos baccæ excipiunt Fiſakaki acinis, ſive vacciniis nigris, non abſimiles, nudæ, purpuraſcentes, piperis magnitudine, pulpoſæ, edules, ſaporis vinacei dulcis; umbilico quinis labellis patulo, totidem cellulis adornato; ſeminibus incerto numero pluribus.

Obammi, aliis *Iſo Fiſakaki*, i. e. Fiſakaki littoralis.

Frutex ſurculis ſurrectis tenuibus denſè ramoſus; foliis ſeſcuncialibus in oblongum ovatis, pinguibus, duris, margine languidè dentato, interdum repando; floſculis inter foliorum axillas duobus, vel tribus, tetrapetalis, pumilis ex albido incarnatis; baccis rotundis purpureis, pulpoſis, piperis magnitudine, vertice cuſpidato,

to, ſeminibus intus pluſculis (10, 15) rufis, anguloſis, nitentibus.

Sjiroggi, Frutex incondité ramoſus & ſcaber; folio triunciali, principio & mucrone acuto, margine integro; floſculis pediculos in umbellam radiantes occupantibus, denſiſſimis, pumilis, pentapetalis; baccis nudis, per hiemem, amiſſis foliis, eleganter rubentibus, piſo minoribus, rotundis, vertice compreſſo, crenisque, pro ſeminum contentorum numero, quinis vel ſenis umbilicato; carne pulpoſâ, albâ, tetrè amarâ; ſemine Carvi ſeminis magnitudine, triangulari, anguſto, lævi, ſpadiceo.

Sjiroggi, altera *arborea*, aliis *Namóme* dicta; foliis in longum concavis & repandis, orâ raris vicibus languidiſſimè dentatâ; baccis, per extremos ſurculos, pediculo tum ſimplici, tum in paucos radios diviſo, pendentibus, Ceraſi fere magnitudinis, vertice quadantetenus turbinatô & exiguo diſco umbilicatô, ſeminibus intus incerto numero paucis, magnitudinem ſeminis Cumini referentibus.

樒丞 ***Sin ſan***, vulgò ***Míjama Skimmi***, id eſt, ſylveſtris *Skimmi*, ita dicta ob foliorum cum τῶ *Skimmi* foliis ſimilitudinem. Arbor vaſta ſylveſtris, foliis in verticilli modum conſitis, triuncialibus vel longioribus, quodammodo undulatis, craſſiuſculis, baſi anguſtâ, mucrone frontato brevi, nonnihil repando, margine integro, nervis paucis parum conſpicuis, ſapore Sagapeni graviuſculo, cum calore mordaci; flore in racemis triuncialibus ſurrectis tetrapetalo ac pentapetalo, præparvo, rubente; baccis pyri formibus Oxyacanthæ

fructûs magnitudine & facie, quatuor deſuper carinis diſtincto ac per eas dividuo, carne alba, pulpoſâ, cum nidore dulciculâ, ſeminibus quatuor albis, bifidis, grana aurantiorum exprimentibus.

Come gommi, it. *Mantees.* Liguſtro affinis, frutex baccifer fœtens, Buxi facie, tripedalis altitudinis, ab imo ramoſus; foliis denſis, in faſciculos conſertis, pumilis, oblongis, in acutum ovatis, humanum ſtercus fœtentibus; floſculis foliorum faſciculis inſertis paucis tubuloſis Jaſmini facie, languidè purpureis, in quina labia expanſis. In ſolo pinguiori flos magis luxuriat, in ſena, ſeptena & plura labia margine criſpo, diviſus.

Jamma Co gomme. Frutex montanus denſè ramoſus, ſurculis tenuibus, folio *Theæ* decuſſatim adverſo; racemulis in foliorum ſede pollicaribus; floſculis Hyacinthinis pumilis purpureis, in quatuor labella crenatis: baccis umbilicatis Coriandri magnitudinis, tetracoccis, globulo intus quatuor ſemina continente.

栢仙 *Ken ſin*, item, *Sen bakv*, vulgò *Inu máki*, i. e. *Máki* ſpuria. Arbor ramis denſis ſenſimq; brevioribus, inſtar Cupreſſi, in conoidalem trium orgyjarum altitudinem exſurgens; foliis *Nerii* ſed unius ſaltem nervi, in dorſo inſigniter protuberantis; fructu oblongo bipartito, imâ parte muſcerdam referente, ſuperiori piperis granum, cui nucleus laxè includitur carnoſus, mollis, ſubdulcis.

槙 *Sin*, vulgò *Máki*, ſeu *Fon máki*, id eſt, *Maki* legitima. Arbor ingens & craſſa, priori homogenea, lignum

cujus lignum pro ciſtis variisque vaſis expetitum & in pretio eſt; album enim, leve & purum eſt, teredini & putredini haud obnoxium. Vaſa aquæ calidæ immerſa fœtent; ex quo arbor aliis *Kſá máki*, id eſt, *Maki* fœtens appellatur.

楨木 *Tſjo tei*, vulgò *Fimitz baki* & *Fimeri baki.* Myrtus latifolia vulgaris ſylveſtris. Myrtus communis Italica C. Bauh.

楊黄 *Ojo*, vulgò *Tſuge.* Buxus arboreſcens, folio ovato majuſculo, extremitate cuſpidatâ, orâ raris aculeis ſerratâ; floſculis in foliorum ſinu plurimis calyculatis tetrapetalis albis, ad ſeminis Coriandri ambitum patentibus, petalis rotundis; baccis atro purpureis rotundis, piſi magnitudinis, ſucco purpureo ſylveſtri turgidis; ſeminibus intus in orbem compactis duobus, tribus vel quatuor, ſeminis Carvi magnitudinis & figuræ.

Tſuge altera. Chamæ buxus minor, foliis ex ovato utrinque acuminatis.

骨枸 *Koo kotz*, vulgò *Firággi.* Aquifolium, ſeu Agrifolium vulgo dictum.

来歸山 *Sankira*, vulgò *Quáquara.* Smilax minùs ſpinoſa, fructu rubicundo, radice virtuoſâ, *Chinæ* dictâ.

In incultis locis inter Filices & vepres perennis luxuriat; *Radice* gaudens magnâ, durâ, nodoſâ, inæquali, paucis longisque fibris capillatâ, extus ruſâ vel nigri-


菝葜

gricante, intus albidâ, ſâporis vapidi, Medicis *Radix Chinæ* dictâ, ſatis illâ ex virtute nota ac celebratâ. Scandit unum vel alterum cubitum ſine adminiculo; dumetis verò propinquis nixa altiùs enititur, *Sarmentis* lignoſis, culmum hordeaceum craſſis, obſcurè circa humum ſpadiceis, ex biunciali intervallo geniculatis; articulis alternè & ad ſeriem reflexis, interdum geminâ ſpinâ adverſâ, brevi & reduncâ interceptis. Ex geniculis ſingulis valva emergit duplicata, membranacea, ſemunciam longa, pennam lata anſerinam, dura, ſtriata, duos extendens capreolos, vitigineis ſimiles, quibus contacta quævis firmiter comprehendit. Ex Valvis ſingula oriuntur folia, ex aliis ſimul florum corymbi, tum novelli interdum ſurculi. *Folium* perbrevi vel pene nullo inſtructum pediculo, ex acuto brevi principio in orbiculum triuncialis diametri expanditur, in mucronem curtum repandum deſinens. Tenue eſt, membranaceum, utrâque facie diluto virore nitens, ante mucronem ingenti valvâ undulans, margine integro, aliquando inæquali, alterutro latere protuberante. Venis donatur quinis ramoſis, ex baſi folii in mucronem, mediâ directè, ceteris arcuatim, protendentibus. Pediculo tenuiſſimo unciali, rubente vel luteſcente inſident *Floſculi* plus minus decem, in umbellæ formam congeſti, nudi, in herbido lutei, hexapetali, petalis anguſtis, in gyrum repandis, ad ſeminis Coriandri ambitum radiantibus, pellucidis, ſtaminibus ſenis, apicibus in luteum albicantibus: ſtylo turbini medio inſiſtente, capitulo cæſio. *Fructus*, invaleſcente pediculo, florem excipiunt, ceraſis figurâ, magnitudine, rubedine ac nitore ſimiles, rariùs turbinati, aëre magis quam carne turgidi; Carne conſtant paucâ, ſiccâ, farinoſâ, incarnatâ, ſaporis acerbi, Meſpillorum æmuli; in quâ *Semina* involuta latent quaterna, quina vel ſena, lenticulæ magnitudinis, figuræ lunaris, in orbem inſtar Malvæ ſeminum conglobata, per ſiccitatem ex badio

dio

dio nigricantia, intus candida, duriſſima, ſubſtantiæ corneæ.

So no ki, aliis *Firà* & *Firáſi*. Vitis idæa aculeata pedalis, folio Chamæ buxi, floſculo calyculato, tetrapetalo, purpuraſcente, pumilo; fructu piperis magnitudine, coccineo, altè umbilicato, carne albidâ ſaporis ſubdulcis fatui; granis intus tribus, in rotundum vergentibus, duriuſculis, ſubamaris.

草紫 *Siſò*, i. e. purpura, vulgò *Muraſákki*, nobilis. Herba pedalis, radice ſimplici palmari, multis fibris capillata, ab infectoribus ad tingendum ſericum expetita, ſcapo ramoſo, ramulis in ſpicam floridam terminantibus, foliis verticillatâ diſpoſitione conſitis, ſimplicibus, acutè ovatis. Baccifera dicitur. Vidi ſiccam ex Japoniâ ſeptentrionali oblatam.

Muraſakki vulgaris. Herba à colore purpureo baccarum ſic dicta: caule tereti volubili; folio alternatim unico biunciali rotundo, lacunoſo, pingui, integro, mucronato; ſpicâ ex ſingulis foliorum axillis unicâ palmari, floſculis ſine pediculis conſitâ raris, Coriandri magnitudinis, languidè purpureis, tetrapetalis & pentapetalis, nunquam dehiſcentibus; fructu intra petala ſuccreſcente piſi magnitudinis, inæqualiter rotundo & quadantenus turbinato, pulpoſo, obſcurè purpureo & ad inficiendum ſerviente; ſemine intus duro, rotundo, nonnihil compreſſo, nucleo albiſſimo, dulciuſculo.

根部百 *Fackubukon*, vulgò *Fékuſo Kádſura*. Convolvulo ſimilis herba repens, crepitum ventris olens; folio triunciali integro, cordato & mucronato;

nato; flore racemoſo, tubuloſo, quinque labiis ad piperis ambitum radiante, intus ſanguineo, extus incano; fructu Glycopicri, ſucco fœtidiſſimo, paucis ſeminiis permixto.

冬忍 *Nin too*, it. *Sin too*, vulgò *Sui Kádſura*, & ex floris colore *Kin gin qua*, i. e. auri argentiq; flos appellata. Periclymenum vulgare; ſive Caprifolium non perfoliatum, baccis atro-purpureis vel nigris.

及玄 *Kenkoo*, vulgò *Sane Kádſura*, aliis *Orenj Kádſura*. Frutex viſcoſus, latè ſcandens, folio ſimplici pingui, fructu racemoſo, acinis circa globoſum corpus in orbem congeſtis, rubidis, ſuccoſis, gemino ſemine reniformi duriuſculo donatis. Mucilago extracta genti ſervit ad glabrandos capillos.

生寄 *Kſèi*, vulgò *Jodoriki*. Viſcum baccis rubentibus; quæ pediculis ſemuncialibus, aliis ſimplicibus, aliis in paucos radios divaricatis, ramulorum decurſum copioſæ ſtipant, foliis in extremis ſurculis alternatim ſingulis, Portulacæ paribus, unico per medium decurrente nervo. Nomen Japonicum omnem notat plantam paraſiticam, in ſpecie verò & κατ' ἐξοχὴν Viſcum; quod nullibi mihi in regno viſum, niſi in unico Lariceto Provinciæ *Mikáwa*, inter pagos *Goju* & *Akaſakka*. Ruſticorum vulgus id appellabat *Gomi Maatz*, i. e. Viſcum Lariceum.

漿酸 *Sanſjo*, vulgò *Foo dſukki*. Solanum veſicarium, vulgò *Alkekengi*.

蘆藜 *Kirò* & *Rirjo*, vulgò *Omotto*. Arum acre-

dinis expers, folio magno liliaceo, piſtillo Dracontii minoris, radice tuberoſâ & fibroſâ, amariuſculâ. *Sive:* Herba ſine caule, foliis liliaceis palmaribus ac pedalibus luxurians, radice craſſâ, oblongâ, carnoſâ, multis fibris capillatâ, nonnihil amarâ; piſtillo palmari pingui, in faſtigio floſculis breviſſimis monopetalis imperfectis, ex luteo pallentibus, favi in ſpeciem diſpoſitis, arctè ac ſine pediculis ſtipato; acinis rubentibus, Olivarum minorum magnitudinis & figuræ, pulpoſis, ſaporis tetrici, pulpâ miniatâ; ſemine permixtâ rufo, oſſeo, figuræ circiter cordatæ. Vigere permittitur ad macerias & in angulis hortorum, ut fœda ſpatia luxurioſo folio compleat.

蒟蒻 *Konjakv*, it. *Kúſako*, vulgò etiam *Kónjakŭ* & *Konjakfdama*. Dracunculus Dracontio majori vulgari affinis, caule virentibus maculis variegato, folio longo ramoſo, ex magnis lobis inæqualiter alato, radice orbiculatâ prolifera, facultatis urentis & purgatricis compote.

南星 *Nanſoo*, vulgò *Jamma Konjakf*, item, *Oſomi*, Medicis *Ten nan ſio* dictus Dracunculus minor trifolius, folio ſimplici, magno, mucronato, caule variegato, piſtillo ſpithamali baccifero, baccis inſigniter urentibus.

葡萄 *Foto*, vulgò *Jebi* & *Budò*. Vitis vinifera, uvâ carnoſâ, adeoque ad onopœiam haud idonea.

Ganébu, Vitis lanuginoſa, racemis minoribus, acinis nigris Juniperinis ſimilibus, dulcibus, ſucco purpureo.

Jam-

Jamma Budò. Vitis ſylveſtris pergulana, botris minoribus, acinis pumilis apyrenis uvæ Corinthiacæ.

Niwa toka, ſeu *Niwa tonga.* Sambucus vulgaris officinarum. Sambucus fructu in umbellâ nigro. C. Bauh. P.

Tadſu. Sambucus racemoſa C. B. P. vulgò Sambucus cervina.

Jamma Tooſimi, i. e. *Toſimi* montana. Sambucus aquatica, flore ſimplici C. Bauh. P. Nomen habet ab ellychnio, cujus vicem præſtat medulla.

Midſe, it. *Jamma Símira*, Sambucus aquatica altera, baccis in acutum turbinatis compreſſis & rubentibus.

Niwa toka. Cornus fœmina, ſive Virga ſanguinea Matthioli, foliis in longum anguſtum & acutum mucronem productis, baccis piperis magnitudine, unico intus ſemine rotundo duriuſculo bipartito. Dicitur aliàs *Amé furaſſ.* i. e. pluviam fundens, quòd præciſi rami aquam fundant.

苺 *Foo*, it. *Moo*, vulgò *Itzingo.* Rubus vulgaris fructu nigro.

Faſſo Itzingo. Idem fructu rubente eduli.

Ki Itzigo. Rubus Idæus fructu luteo.

Kutz náwa Itzigo, i. e. Rubus ſerpentinus; ita à ſerpendo dictus. Fragaria vulgaris fructu rubro, hôc cœlo non eduli.

Quanſo Itzigo. Fragaria fructu pruni magnitudine, non eduli.

桑 *Soo*, vulgò *Kůwa.* Morus fructu albo.

Eadem fructu nigro.

楝 *Den*, it. *Ootz*, vulgò *Sendan*, aliis *Kindéis.* Aza darach Avicennæ. Pſeudo Sycomorus Matth.

Kuroggi ſeu *Fon Kuroggi*, i. e. *Kuroggi* legitima. Arbor magna ſylveſtris, folio ſimplici biunciali acutè ovato, paucis dentibus languidè ſerrato; floſculis communi brevi pediculo pluſculis, plenis, in luteum palleſcentibus, multis ſtaminibus circa ſtylum medium refertis, petalis exterioribus ſquamoſis repandis; baccis oblongis rotundis, piſo majoribus, carnoſis, purpureis, vertice quinque crenis coronato, lapide intus duriuſculo, in diverſos loculos, (3. 4. 5. 6.) ſingulos nucleos continentes, inordinatè diſtincto.

Akai Sindſjo, it. *Sindrjo.* Frutex cubitalis, ex ipſâ radice ramoſus, ramulis viridantibus, crebrò geniculatis, geniculis protuberantibus, foliaque alternè oppoſita exhibentibus; baccis ſtylo unciali ſine pediculo inſidentibus rotundis, nonnihil compreſſis, piſo minoribus, incarnati coloris, carne molli ſuccoſâ, nucleô Coriandri ſeminis colorem & magnitudinem referente, ſubdulci, cortice membranaceo fragili obvoluto.

Juſura. Phillyreæ Cluſ. II. facie frutex tricubitalis vel longior, folio lanuginoſo triunciali, ex ovato acutè mucro-

cro-

cronato, orâ acutis dentibus denſè ſerratâ; baccis intra ſinûs foliorum, piſi magnitudinis, oblongo-rotundis, carnoſis, rubris, lapillo unico oblongo, piperis magnitudine, quadantenus compreſſo, nucleo albo, pingui.

胡頽 ***Kotai***, vulgo ***Gommi***, it. ***Fon Gommi***, id eſt, Olea montana legitima, vere florens. *Seu*: Olea ſylveſtris, Zizypho Cappadociæ J. Bauh. vulgò Oleæ Bohemicæ, ſimilis; folio duro, ſubtus argenteo, badiisque punctis verrucoſo; floribus pari modo variegatis, figuram referentibus caryophyllorum aromaticorum, in quatuor labella crenatis; fructu ſubnaſcente Olivæ minori ſimili, per maturitatem rubente, argenteis verrucis aſperſo, pulpoſo; nucleo albo, in longitudinem ſtriato, ſaporis tetrici ſubamari.

胡頽 秋 ***Sjnu Kotài***, vulgò ***Akin Gommi***, i. e. Olea montana autumnalis, ſive autumno florens. *Sive*: Olea montana ſpinoſa, folio molliori, autumno florens.

Naatsme. Paliurus Proſp. Alp. fructu Pruni hortenſis magnitudine, carne auſterâ, ſaccharo condiri ſolito, Oſſiculo Olivæ utrinque acuto.

Midſikki, aliis ***ůmè madákku*** (*ůmè* prunum ſignificat) Frutex folio Pruni ſylveſtris, baccis in extremis ſurculis racemo breviſſimo conſitis, denſis, coccineis, ſeminis Coriandri magnitudine, ſeminibus pluſculis incerto nnmero refertis, triquetris & rufis.

Abraſin, arbor mediocris luxurioſè ramoſa, cortice ſurculorum viridi & verruculis denſè punctato, ligno ſali-

gneo, medullâ levi copioſiſſimâ; foliis palmari & ſpithamali pediculo inſiſtentibus, magnis Pampineis, aliis integris, aliis in tres partes acutè mucronatas altè inciſis, baſi rotundâ, margine inſigniter laxo & undulato; ſingulari inſignitis charactere, videlicet præparvis proboſcidibus, unâ ad inciſionis angulum, geminâ ad pediculi inſitionem excreſcentibus; ſurculorum faſtigio pediculis floriferis, longis, divaricatis ac trivaricatis, conſito; floribus albis pentapetalis, petalis ovatis, in orbem radiantibus; fructu tricocco & tetracocco, avellanæ magnitudinis, in tetragonum pyriformi, rugoſo, carnoſo & molli, extrinſecus, ad cellularum interſtitia in longitudinem depreſſo; ſemine Ricini in ſingulis loculis unico, ex quo oleum pro lucernis exprimitur. Ricinus arboreus, folio Alceæ.

Jaatzde. Ricini facie frutex luxurioſè germinans, foliis Ricini vulgaris, denſis, deciduis; ramulis pinguibus, multâ medullâ farctis, & in thyrſos excurrentibus cubitales, quos ſtyli conoidali circumſcriptione ambiunt prælongi, teretes, ramoſi, floſculorum corymbis decorati; floſculis pentapetalis albis, ad piſi magnitudinem radiantibus; baccis oblongo rotundis, carnoſis, pipere minoribus, pentacoccis, vertice galeato & quinque ſtaminibus ex flore reſiduis criſtato.

麻蓖 *Fima*, vulgò *Tooguma*, it. *Karaji* & *Karagaſju.* Ricinus vulgaris C. B. P. Palma Chriſti, nonnusquam arboreſcens.

Módoras, Evonymus vulgaris.

Iſo Kuroggi, i. e. Kuroggi littoralis, ita dicta, quòd littora amet & Kuroggi foliis dotetur, aliis etiam *Bupò* & *Mai-*

Maijumi appellata. Evonymus latifolia Cluſ. vel J. Bauh.

檍 *Sitz*, vel *Sitz dſju*, i. e. *Sitz* planta, vulgò *Urùs* ſeu *Urus no ki.* Arbor vernicifera legitima, folio pinnato Juglandis, fructu racemoſo ciceris facie.

Arbor paucis ramis brachiata, ſalicis ad altitudinem luxurioſè exſurgit. Cortice donatur incano, ex verruculis ſcabro, facile abſcedente; *ligno* ſaligneo fragilimo; *medullâ* copioſâ, ligno adnatâ; *Surculis* longis craſſis in extremitate inordinatè folioſis. *Folium* eſt impariter pennatum, ſpithamale vel longius, Juglandis folio æmulum, coſtâ tereti, leviter lanuginoſâ; quàm à ſemi palmari nuditate ſtipant lobi ſive folia ſimplicia, pediculo perbrevi nixa, tenuia, plana, ovata, trium vel quatuor unciarum longitudinis, baſi inæqualiter rotundâ, mucrone brevi anguſto, margine integro, ſupremâ facie obſcurè viridi, lævi, & ex nervis lacunoſâ, dorſo incano & molliter lanuginoſo. Nervus medius in mucronem terminans ſubinde multos à latere demittit nervos minores, citra marginem deficientes. Sapor folio ſylveſtris ineſt, cum ſenſibili calore; humor affrictus extemplo chartam ferrugineo colore imbuit. In ſurculis quibusdam ex foliorum axillis ſinguli ſurgunt *Racemi* laxè ramoſi, palmares, tenues, qui, petiolis in calyculos rotundos deſinentibus, *Floſculos* continent pumilos, & citra Coriandri ſeminis magnitudinem radiantes, in luteum herbaceos, pentapetalos, petalis carnoſis nonnihil oblongis & repandis; ſtaminibus ad petalorum interſtitia ſingulis, apicatis, breviſſimis, ſtylo perbrevi tricipite, floris turbini inſidente. Odorem ſpirant dulcem, Arantio flori affinem & pergratum. *Fructus* floſculum excipit gibboſus, utcunque

in



Icon arboris, ex Herbario
Japonico Kinmodſui

in rhomboidis figuram compreſſus, bifidus, facie ac magnitudine ciceris, membranulâ tenui micante veſtitus, per maturitatem duriſſimus & obſoleti coloris.

Cortex arboris cultro crenatus lacteum fundit lentorem, humore criſtallino (ex aliis ductibus ſtillante) permixtum, qui ad aëris contactum nigreſcit. Eundem ſurculi divulſi, foliorum pediculi, & nervi produnt, nullius guſtabilis qualitatis participem, niſi calefacientis ſine acredine. Venenatos tamen ſpiritus hæc arbor exhalare dicitur, vehementes adeo, ut pueris circa eandem commorantibus exanthemata in corpore pariant: qualia etiam lignum tractantes alii (non omnes) experiuntur. Collectio *Uruſj*, ſive Vernicis, ut inſtituatur, Caudices præcipuè triennes, paucis crenis vulnerandi ſunt, ex quibus ſtillans liquor ſubinde excipitur, iteratâ in recenti loco ſectione, donec exſucci marceſcant. Emulſi atque omni ſucco orbati, illico amputandi ſunt; ſic nova è radice provenit ſoboles, quæ triennis facta, collectioni denuo ſubjicitur. Colitur frequens in Provinciis *Tſi kocko* & *Figo*, in quibus inſerti agris ſcaprai dices agunt, & caudices edunt, poſt triennium Vernicem ſuppeditantes. Optima regionis, quin totius mundi, Vernix perhibetur circa urbem *Jáſſino* colligi. Vernicem Ceres Japonica largitur oppidò nobilem & pretioſiſſimam, ſed admodum parcam, ne pro operibus, quæ regio conſtruit, ſufficeret, niſi priùs cum *Nam Rak*, i. e. Vernice ignobiliore ex Siamo invectâ, pro baſi illinerentur. Siamenſis Vernix promitur in provinciâ *Corſama* & regno *Cambodiæ*, ex arbore Anacardo, incolis *Tonj Rak*, i. e. arbor *Rak*, dictâ, cujus fructus officinis noſtris Anacardium dictus, *Luk Rak*, liquor *Nam Rak* appellatur. Perforatus truncus, immiſſo tubulo, tantâ copiâ fundit liquorem, ut *Sinæ*, *Tunquino* & *Japoniæ* pro deliniendis utenſilibus ſufficiat. Quin jam Bataviam & alia Indiæ loca, vaſis ligneis incluſa, appellit; ut mirer,

cur non etiam invehatur Belgio? Vernix nativa vix præparatione indiget. Japonica per duplicatam chartam ſubtiliſſimam, telæ aranearum pene ſimilem, & eam in rem ſingulariter conſtructam, doctâ ἐγχειρήσει torqueri ſolet, ut à particulis heterogeneis & craſſioribus mundetur; mundatæ, pauxillum admiſcetur (centeſima ferè pars) olei *Toi* dicti, ex fructu arboris *Kirì*. Sic vaſibus ligneis indita per Japoniam venalis transvehitur, ſine periculo exſpirationis, niſi in ſuperficie; quæ ſtatim nigricante tenſâ cuticulâ obducitur. Proſtat non ſincera modò, ſed & colorata, vel Cinnabari nativâ Sinenſi, vel terrâ rubrâ, (quam Batavi antea, nunc Sinenſes advehunt) vel atramenti popularis materiâ. Utraq; Japonica & Siamenſis Vernix venenatum exſpirat halitum, ex quo labia tumeſcunt, & caput dolet; unde in deliniendo artifices ſtrophiolo os & nares obligant.

Fáſi no ki. *Arbor vernicifera ſpuria, ſylveſtris, anguſtifolia.*

Rubore ſuo autumnali, quâ viridantes ſylvas ſuaviter interpolat, intuentium oculos è longinquo in ſe convertit. In omnibus cum legitimâ convenit, niſi quòd foliorum pinnæ ſint anguſtiores, Perſicæ folio ſimiles, triunciales, & in longum anguſtum mucronem acuminatæ; nervo medio ſæpe in partes inæquales folium dividente; à quo laterales denſi paralleli ad marginem usq; protendunt. Dicitur legitima in hanc ſylveſtrem converti, ſi in loco ſterili conſtituta, nullam experiatur culturam. Vidi, cujus folia inter utramque ambigerent, ut, an legitimæ accenſenda eſſet, dubitarent ipſi indigenæ. *Faſi* arbor Vernicem fundit parciſſimam, ne eam colligere operæ ſit pretium. Fructus utriusque Verniciferæ, unà cum arboris *Sindan* baccis tuſi & cocti, calentesque prelo ſubmiſſi ſevum linquunt minus

fœtens,


はぜ

fœtens,adeoq; pro fundendis candelis aptius,quàm quod ex baccis utriusque Lauri *Taab* & *Tſuns* excutitur.

Niſi kingi. Frutex in hortis domeſticis aſſervatus, ſurculis foliisque decuſſatim adverſis, folio ſimplici tenero; fructu racemoſo rubente, ceraſi magnitudinis, in quadratum rotundo, baſi turbinatâ, membranaceo, tetracocco, ſingulis cellulis illatente gemino ſemine miniato, grani piperis magnitudine, inæqualiter rotundo, ſplendido, remotâ cute bifido, albiſſimo, ſubamaro.

Niſi kingi, folio alato, cujus cymis, ante fores parentum inſertis, procant juvenes filiarum amores.

K*uro ganni*, i.e. lignum ferreum, ob ligni duritiem dicta arbor, foliis glabris integris Telephii vulgaris facie; baccis ceraſi minoris, ſive pruni ſylveſtris magnitudine, umbilico majuſculo, oſſiculis intus quatuor, trigonis, ſubſtantiæ corneæ.

K*uro kaki*, altera ejusdem ſpecies, ſive varietas.

Tobira, frutex arboreſcens, Sagapeni fœtoris, flore mali Aurantiæ, fructu polyſpermo, ceraſi facie.

Frutex grandis eſt, in ſylvis ubique obvius, Sagapenum omni ex parte olens. *Ramis* luxuriat longis, in ſurculos uno loco multos divaricatis. *Lignum* ejus molle & infirmum eſt; *medulla* magna fungoſa, *cortex* ſcaber, ex cœſio pullus, pinguis, ſucculentus, hircini fœtoris, facilè abſcedens, reſinam brumâ fundens albam, viſcidam. *Folia*, brevi pediculo nixa, ſurculos copioſè & quaſi verticillata ambiunt pinguia, plana, rigida, duarum vel trium unciarum longitudinis, ex anguſto principio


Tobera
WB

cipio in figuram extenſa circinatam vel ovatam, margine integro, anterius ſaturiori virore micantia, nervo medio in carinam depreſſo, ſubtus inſigniter protuberante, à quo propullulantes reliquos, quamvis multos & ramoſos, folii ſubſtantia obliterat. *Flores* pediculis pene uncialibus ſurrectis, ſingulis, vel bifurcis, ac in calyculos acutè dentatos deſinentibus, menſe Majo arborem velut nive tegunt, per ſurculorum faſtigia in faſciculos congeſti, pentapetali, floribus Aurantiis figurâ & magnitudine pares, odore florum *Sandelmalum*, ſive mali Citriæ ſuaviſſimo, ſtaminibus quinque flori concoloribus, apicibus longis rufis, ſtylo brevi, qui ſeminali turbini inſiſtens ſuccedenti fructui remanet. *Fructus* ſunt rotundiſſimi, ceraſo majores, rubicundi, monococci, tribus ſulcis deſuper inſcripti, & in totidem fiſſuras per maturitatem autumnalem dehiſcentes, cute veſtiti glabrâ, pingui, coriacea. *Semina* intus, permixto glutine, compacta ac conglobata latent tria, ex mutuâ compreſſione anguloſa, granis paradiſi paria vel minora, nitidè rubentia, ſubſtantiâ interiori albâ, lentâ, durâ, ſaporis tetrici.

桃 *Too*, vulgò *Momu*. Malus Perſica.

梅楊 *Joobai*, vulgò *Jamma mómu*. Arbor, Arbuto, folio non ſerrato C. Bauhini, affinis. *Seu:* Malus Perſica ſylveſtris, fructu rubello granulato, oſſe in oblongum rotundo, nucleo integro.

李 *Ri*, vulgò *Sſu momu*. Malus Perſica fructu acido, per maturitatem rubicundo.

杏 *Kjoo*, vulgò *Kara momu*, i. e. *Momu* ex Catajâ. it. *Anſù*. Malus Armeniaca, fructu majori.

Bài,

梅 *Bài*, vulgò *Umè* & *Umè bos.* Prunus ſylveſtris ſpinoſa, fructu magno. Fructûs fæcibus Japonenſis cereviſiæ (*Sacki*) conditi, in Indiam Sinamque transvehuntur.

Muk no ki. Prunus ſylveſtris, cortice furvo, ligno gravi, duro, medullâ lignoſâ, folio peracutè dentato atque aſpero, & ad polienda opera fabris lignariis expetito; fructu atro-purpureo, vapidè dulci, quadantenus eduli, oſſiculum arctè complexante.

Ruko. Prunus hortenſis vulgaris, cujus variæ ſunt ſpecies fructu differentes.

Ja ſjibo. Prunus flore rubro.

Mogotto. Prunus flore pleno. Colitur ob florum venuſtatem & copiam, quò vetuſtior & magis diſtortus ac deformis, eò rarior habita.

櫻 *Je, jo, O,* vulgò *Sákira.* Ceraſus flore ſimplici, fructu auſtero.

Jamma Sákira. Ceraſus ſylveſtris flore pleno.

Ito Sákira. Ceraſifera fruteſcens, ab imo ramoſa.

Niwa Sákira. Ceraſus pumila, flore albo pleno.

Eadem, flore ſimplici incarnato.

Ko ſjoï Sákira. Ceraſus arbor mediocris, flore incarnato duplo, roſæ mediocris magnitudine.

CLAS-

CLASSIS II.

Plantæ Pomiferæ & Nuciferæ.

杷枇 *Bywa* literatis & vulgo, huic etiam *Kúſkube* dicta. Malus cotonea racemoſa. *Sive:* Malus folio arboris myriſticæ lanuginoſo, flore Meſpili ſpicato & racemoſo; fructu lanuginoſo, figurâ ac facie mali cotonei, carne per maturitatem pulpoſâ, ſaporis vinoſi, nucleis intus caſtanearum figuræ ternis, quinis, interdum pluribus in orbem compactis. Videtur *Mangas Tangas*, Javæ majoris &c.

梨 *Ri*, vulgò *Nas*. Pyrus ſativa, fructu magno duro; cujus in hac regione ſaltem triplex datur varietas.

柰 *Dai*, vulgò *Kara Nas*, i. e. Pyrus Sinica. Malus Cotonea, fructu mediocri, rotundo, compreſſo.

桲榲 *Umbatz*, vulgò *Marmeer*. Malus Cydonia fructu oblongo magno, utcunque pyriformi. A Luſitanis cum nomine regioni illata eſt.

禽來 *Rai Kin*, vulgò *Ruko, Reikin* & *Reiko*. Pomus fructu pumilo auſtero: ſine varietatibus.

榴楉 *Dſjakurjo*, vulgò *Sákuro*. Malus Punica ſativa. Rara eſt hôc cœlo & fructu ingrato.

柑 *Kan*, vulgò *Kúmmi ſo*. Malus Aurantia, folio majuſculo, fructu mediocri *To mican* dicto.

Kitz

橘 Kitz, vulgò *Tatz banna.* Malus Limonia, fructu rotundo parvo, *Mican* dicto, medullâ vinoſi ſaporis.

柚 *Juu*, vulgò *Aje Tats banna.* Malus Aurantia, fructu prægrandi, ſuperficie ſcrobiculata inæquali.

金柑 Kin Kan, vulgò *Fimé Tats banna.* Malus Limonia, fructu pumilo aureo, medullâ dulci.

枳 *Sſi*, vulgò *Karatats banna*, aliis *Gees* dictus: Frutex ſylveſtris ſpinoſus trifolius, pediculo folii marginato, flore Meſpili, fructu mali Aurantii. *Seu:* Aurantia trifolia ſylveſtris, fructu tetrico.

Caudex craſſitiem arboris per ſenium & culturam acquirit, ab imo tortuoſè ramoſus, ramis ſurculiſque inæqualibus, hic ibi compreſſis vel turgentibus, præſertim circa ſpinas; *ſpinis* ex brevi intervallo armatur ſingulis pollicaribus rectis, ex amplâ baſi acutiſſimis, continuæ cum ligno ſubſtantiæ, ejuſque communi cortice tectis. *Lignum* laxum eſt, ſaligneo non multò durius; *Cortex* ex viridi ſplendens, pinguis, tenſus, per humiditatem facilè abſcedens. *Folia* rara atque ſingula promiſcuo loco, plerumque tamen ſub ſpinis, germinant, ex tribus pinnis, ſive foliis minoribus, in centrum coëuntibus lobata; Pediculo tenui, ſemiunciali, marginato. Pinnæ ſunt fere unciales & ovatæ, (media, quæ pediculo opponitur, ceteris longior) tenues, membranaceæ, anticâ facie ex ſaturato virore ſplendentes, poſticâ nonnihil herbaceæ, margine rotundis denticulis ſerrato, nervis utrinque conſpicuis, in dorſo prominentibus, medio in mucronem, ceteris ab eo ſucceſſivè ad latera decurrentibus. *Flores* Meſpili floribus non valdè diſſimiles, in



Pomum per mediam longitud. diſſectum.

Pomum in transverſum diſſectum

ſpinarum axillis ſolitarii, vel cum folio ſociati, ineunte vere prodeunt; ſinguli vel gemini, pediculorum exortes, quinque ſquamis herbaceis, ex ovato acutis, calyculati, albi, exiguè fragrantes, pentapetali, in ſeſcuncialem fere diametrum dehiſcentes, petalis ſemiuncialibus, ex longiori anguſto collo ovatis, rugoſis & concavis; piſtillo in rudimento fructûs brevi, faſtigio globoſo, ſtaminibus pluſculis (20, 25) brevibus, ſurrectis, apicatis, circumſepto. *Fructus* à malo aurantio mediæ magnitudinis nihil externâ ſpecie diſcrepat; nec diverſa eſt ſtructura & conditio partium interior, niſi quod pulpa (quam diſtinguit volva ſeptem parietum) glutinoſa ſit, odoris ingrati fatui, ſaporis ſubtetrici & ad fauces delabentis; cujus ſaporis nec ignara ſunt ipſa *Semina* Arantii ſemini in omnibus paria. Ex fructûs ſiccato cortice, (qui in fruſtula diviſus venalis proſtat) admixtis ſpeciebus aliis, decoquitur Medicamentum celebre *Ki kókv* dictum, quo nomine vulgus ipſum quoque fructum appellitat.

Itabu. Sycomorus Japonica. Ficus ſylveſtris, fructu purpuraſcente, folio ſimplici plano, aſperulo, longitudinis palmaris, ex ſubcordatâ baſi, arcuatim in acutum mucronem deficiente, margine integro.

Inu Itabu. Ficus ſylveſtris procumbens, folio ſimplici. Sycomori ſpecies, fructu fatuo.

Frutex eſt ſylveſtris, ab imo inconditè ramoſus, ſalebrarum amans, parietes rupesque ſcandens, denſa, lacteſcens. *Radice* gaudet in rufum nigricante, ligneâ, ſarmentoſa ac multis fibris capillata. Rami ſurculique ſunt breves, pingues, curvi, vagi, amiſſorum foliorum veſtigia referentes, & multis annulis punctatim ſignati & inæquales; cortice donati rufo, vel ex viridi badio, firmiter adhærente, tenſo, duro, ligno ſolido firmo, me-



dullâ ligneſcente. *Folia* perennia incerto loco habet ſingula, vel utcunque conjugata, vultibus à murali fulcro averſis, plana, rigida, dura & craſſa, figuræ, niſi in mucronem acuerentur, ad aſſem ovatæ, longitudinis imparis & ut plurimum triuncialis, facie lævi herbeo ſubmicante, dorſo dilutiùs viridi, aphano, & ex denſo nervorum protuberantium plexu, ſpecioſæ pulchritudinis. Nervorum medius inſigniter craſſus eſt, à quo ſucceſſivè tenuiores, utrinque terni quaternivè, ad ambitum decurrunt, venis intercepti ſubinde tenuioribus ac denſioribus, omnem folii aream ita explentibus, ut acupuncturæ vix inane relinquatur ſpatium. *Flores* nullos exhibet externè conſpicuos. *Fructus*, pediculis ſingulis, craſſis, brevibus, lignoſis, ex ſupremis ſurculis & foliorum axillis, dependent, juglandis tunicati magnitudinis & figuræ, interdum pyriformes, vel ex baſi compreſſâ turbinati, duriuſculi, ſuperficie ſcrobiculatâ, rorulentâ, interdum purpuraſcente, plerumque herbea, punctisque candidis diſtincta; carne fungoſa, alba, lentore lacteo imbutâ; cui permixta ſunt copioſa ſemina, ſingulis fibris velut petiolis adhærentia, ovata, ſemine papaveris majora, inania, vel aqueo humore plena, alba, pellucida & ſub dentibus crepantia. Hæc curatiùs inſpecta, ſingula ambientem exhibent *floſculum* tetrapetalum, petalis anguſtis tenerrimis, candidis, ſemen arctè complexantibus. Centrum fructûs non raro caveam exhibet, ex rubentibus breviſſimis lanuginoſis particulis denſè obductam ac quaſi holoſericam.

柹 *Si*, vulgò *Káki.* Ficus hortenſis, fructu oſſiculato eduli, folio Pyri. *Seu:* Meſpilo affinis arbor, fructu dulciſſimo.

Arbor paucis tortuoſisque ramis brachiata, Pomi ſenilis habet faciem ac magnitudinem; *cortice* veſtita per juventutem badio & lævi, poſtea incano atque ſcabro.


柹 Kaki

Ligno conſtat fibroſo, duro, fragilimo; *medullâ* humente adnata; *ſurculis* viridantibus, craſſis, lanugine obſitis: quibus, *pediculo* brevi, pingui, lanuginoſo, alternis lateribus ſingula inſiſtunt *folia*, Pyri foliis figurâ & colore paria, ſed majora, ſæpè palmarem longitudinem excedentia, ſubtus lanuginoſa, nervis (protuberante venularum contextu interceptis) utrinque piloſis, intus aranearum quaſi telas continentibus. *Flores* menſe Majo Junioque ex foliorum ſinu emergunt ſinguli, pediculis brevibus, pinguibus lanuginoſis conſiti, calyce ex ventroſâ baſi, velut fructûs rudimento, in quatuor vel quinque diviſo labella cordiformia, herbea, mollia, & quadantenus membranacea, unguis humani magnitudine, quæ ad uncialem ambitum petalorum more dum radiant, floris quaſi partem conſtituunt. *Flos* ipſe tubo conſtat nonnihil luteo, brevi, globoſo, magnitudine piſi, quatuor vel quinque carinis deſuper ſulcato, totidemq; frontato laciniis, brevibus, repandis. Stylum medium habet breviſſimum; apices numeroſos (12, 16) longos, interiori parieti unà cum ſtaminibus in ſeriem adnatos. *Fructus* florem excipit pomi figurâ ac magnitudine, ſuperficie ex incarnato albidâ, carne pellucidulâ, rufâ, molli & quodammodo pulpoſa, eduli, ſaporis mellei gratiſſimi. *Semina*, cucurbitinis ſimilia, medium fructûs ſtellatâ diſpoſitione inſtar volvæ occupant, plerumque octona, pleraque caſſa, ex rufo albida, rugoſa, dura ac lenta, nucleo integro compreſſo, pumilo, ſaporis vapidi.

Ratione fructuum quædam arboris varietates ſunt; quarum ex primariis mihi innotuêre:

Ono Kaki, à loco provinciæ *Figo* dicta; cujus fructus malo Aurantio ſimiles inſolatione exſiccantur, & interſperſâ farinâ, vel ab aliis ſaccharo, exemplo ficuum Hiſpanicarum, conſervantur & venales transvehuntur.

Kineri

Kinéri Gaki; cujus poma ad ſiccandum & conſervandum inepta, tantùm comedi recentia ſolent.

Sſibu Kaki; cujus fructus ſylveſtres amari & haud eſculenti ſunt. Ollæ impoſiti ſub terram defodiuntur, ut putrefacti liqueſcant. Liquori percolato immerguntur chartæ veſtiariæ, ut à carie reddantur immunes. Lintea ex urticâ & cannabi contexta eodem imbuuntur, ut colorem badium recipiant.

栀 *Sſi*, vulgò *Kutſjinàs*, Meſpilus, vulgari ſimilis, folio majori, flore ſuaviter fragrante niveo, tubulato, in ſena labia, longa, anguſta, ad roſæ magnitudinem expanſo; fructu turbinato hexagono, ſenis ſtriis protuberantibus & in alabaſtra deſinentibus conſpicuo; pulpâ intus croceâ, infectoribus expetita, ſaporis ingrati, innumeris referta ſeminibus Seſamino ſimilimis.

Kutſjinàs altera, folio minori, flore niveo pleno, cujus gemma nondum explicata ſpecioſam cochleæ oblongæ figuram exprimit.

Sidom, it. *Sidómi notti.* Pruni ſylveſtris folio ac facie frutex cubitalis, flore pentapetalo, rutilo, calyce oblongo, turbinato, carnoſo, nondum amiſſis petalis extuberante in fructum carnoſum, quem perfectum non vidi.

椇枳 *Sicku*, vulgò *Ken* & *Kenpo̊ko̊nas.* Pyrus fructu ramoſo, vaſculo ſeminali ſummo fructui inſidente tricocco ac tripyreno, piperis facie ac magnitudine.

Arbor externâ facie pyrum mediocrem adæquat; pediculis uncialibus, tenuibus, carinatis *Folia* exhibens inor-


枳椇

inordinatè ſingula, palmaria, ex brevi acuto principio ovata, & in ſemiuncialem anguſtum acutum mucronem deſinentia, membranacea, diluto virore tincta, ſupernè micantia, margine pumilis denticulis denſè ſerrato, nervis firmata inſignioribus tribus, tenuibus, in dorſo eminulis, quorum medius utrinque ramoſus in mucronem, reliqui breviores in marginem protenduntur, venulis arcuatis à latere ſtipati. Surculorum faſtigia ſtylos produnt ſpithamales, tenues, ſtrigoſos, paucis geniculis alternè reflexis diſtinctos, coloris badii: quorum tum genicula, (ſingulis foliis adornata) tum ipſæ extremitates fructum exhibent ramoſum, inſolentis figuræ: quæ ex ſemiunciali principio in duos, atque hic rurſus per Dichotomiam in alios atque alios articulos oppoſitos ſemipollicares, culmo hordeaceo craſſiores, inæqualiter teretes, tortuoſè divellitur. Color ei rufus eſt; ſubſtantia carnoſa, mollis, fibris lignoſis tenuibus intermixta; ſapor carnis gratus eſt, ac pyris noſtris, quæ *Bergamotia* vocamus, perſimilis. Extremis articulis pumilo & in orbiculum deſinente petiolo inſiſtit vaſculum ſeminale unum, vel geminum, grani piperis facie ac magnitudine, pro loculorum numero tribus carinis ſignatum, duplici conſtans tenui membranulâ, exteriori nigricante duriuſculâ, interiori albeſcente; loculi cuticulâ diſtincti ſingula continent *ſemina* rotunda, compreſſa, dura, lenta, ſeminis Lini colore, ſplendore ac magnitudine, medullâ albâ, ſaporis leguminoſi.

茄 *Ka*, it. *Kja*, vulgò *Naſſubi.* Mala inſana.

瓢 *Feo*, vulgò *Nari figango.* Calabaſſus, ſeu Cucurbita lagenaria major, medio anguſto.

Eadem major, fructu compreſſo orbiculari.

Ko

瓠 *Ko*, vulgò *Jungauo.* Cucurbita fructu oblongo, flore magno albo.

瓜 *Kwa*, vulgò *Furi uri, Sjiroori, Tſke uri* & *Tſutké uri.* Cucurbita oblongo-rotunda major, cruſtâ carnoſâ ſolidiori, Anguriæ ſapore, quæ fæcibus cereviſiæ patriæ condita vocatur *Connemon*, crebrum hôc cœlô obſonium.

冬瓜 *To kwa*, vulgò *Togwa* & *Kamo uri.* Pepo maximus, ex oblongo compreſſus.

甜瓜 *Ten kwa*, vulgò *Kara uri.* Melo vulgaris, ſtriatus major.

梢瓜 *Sjo kwa*, vulgò *Awo uri.* Melo oblongus, ſtriatus minor.

鴉瓜 *A kwa*, vulgò *Karas uri.* Cucumis ſativus vulgaris C. B. P.

胡瓜 *Ko kwa*, vulgò *Soba uri.* Cucumis major longiſſimus, verrucoſus, multis fiſſuris dehiſcens.

絲瓜 *Si kwa*, vulgò *Fitzma.* Cucumis oblongus ſtriatus, flexuoſus, in acumen deſinens.

銀杏 *Ginkgo*, vel *Gín an*, vulgò *Itſjò.* Arbor nucifera folio Adiantino.

 Libe-

Liberali Juglandis vaſtitate exſurgit; *Caudice* dotata longo, recto, craſſo, ramoſo; cortice cinereo, ob vetuſtatem ſcabro & lacunoſo; Ligno levi, laxo, infirmo; *medullâ* molli, fungoſâ. Folia utcunque alternatim ſurculos occupant, eodem loco ſingula vel plura (3, 4). *Pediculis* incertæ inter pollicarem & palmarem longitudinis, superne compreſſis, in folii ſubſtantiam extenſis. *Folium* ex anguſto brevi principio in figuram Adiantini folii trium vel quatuor unciarum amplitudine expanditur; fronte orbiculatâ, inæqualiter ſinuoſâ, crenâ mediâ altè diviſum, tenue, planum, læve, ex glauco viridans, autumnô in rubidum luteſcens, virgulis tenuiſſimis ſtriatum, fibrarum ac nervorum exors, utrâque facie æquali, baſi ſupernè concavâ. Julos vere adulto fert ex faſtigii ſurculis pendentes longiuſculos, polline refertos. *Pediculo* unciali, carnoſo, craſſo, ex ſinu foliorum enato inhæret *Fructus*, exactè vel in oblongum rotundus, pruni Damaſceni facie ac magnitudine, ſuperficie verrucoſâ in luteum languente; cujus pericarpium carnoſum, ſuccoſum, album, valde auſterum, nuci incluſo firmiſſimè adhæret, à quo nux liberari, niſi putrefactione & agitatione in aquâ, prout Areca Indica, non patitur. Nux proprio vocabulo *Ginnaù* dicta, piſtaceæ nuci (ei præſertim, quam Perſæ vocant *Bergjès Piſtàï*) ſimilis, ſed ferè duplo major eſt, figurâ lapidis Apricotii, putamine ligneo tenui, fragili, albicante; *nucleum* laxè continens album, non dividuum, amygdali dulcedinem cum auſteritate exhibens, carne duriuſculâ. Nuclei à prandio adſumpti, coctionem promovere, ac tumentem ex cibo ventrem laxare dicuntur: unde nunquam ex menſâ ſecundâ ſolennis convivii omittuntur. Ingrediuntur nuclei fercula varia, priùs coctione vel frigendo ab auſteritate liberati. Proſtant nuces mediocri pretio, videlicet libra una Belgica, duobus circiter argenti drachmis.

Fi


銀杏

榧 *Fi*, vulgò K*aja*. Taxus nucifera.

In borealibus provinciis frequens, procera exſurgit; *brachiis* dotata multis, ex adverſo ramoſis; ramis ſurculisque in planum expanſis ac denſè pinnatis. *Cortex* pinguis, furvus, ſucci plenus, & abiegno ſimilis eſt, odoratus etiam & peramarus, ſquamarum icunculis præſertim in ſurculis eleganter ſignatus; Lignum ſiccum, leve; medulla pauca, nulla, vel lignoſa. *Folium* pediculi vix rudimento gaudens, Rosmarini folium proximâ ſimilitudine exprimit, ſed tenſum eſt ac multò durius, in breviſſimum aculeum terminans, ſuperius atro virore micans, ſubtus ex glauco dilutum ac duobus lacunis in longitudinem cavatum. *Gemmæ* nuciferæ per ſurculorum extremitatem inter foliorum axillas raræ progerminant, arctè & ſine pediculo affixæ, pumilæ, informes, vel ex tetragono nonnihil turbinatæ, ex ſquamis compactæ carnoſis, pinguibus, fructum intus foventibus, eôque excluſô, in figuram calyculi abeuntibus. Fructus Vere novo demum natus, ſero autumno matureſcit, exteriori facie Nuci Arecæ vel Juglandi tunicato ſimilis; *Pericarpio* conſtat exteriùs nitidiſſimo, herbacei coloris, ſtriis pallentibus variegato, carne molli fibroſâ, ſaporis balſamici nonnihil adſtringentis, & linguæ apicem à brevi morâ mordentis; cui *Nux* laxè includitur oblongo-rotunda; teres & inæqualiter turbinata, ſæpe etiam incurva, nuce avellanâ longior, alterutrâ vel utrâque extremitate cuſpidatâ, ſuperficie obſoletè albidâ, vel rufâ, quodammodo ſtriatâ, vel inæquali, ipſo putamine lignoſo, tenui, fragili. Nucleus laxè concluſus ſcaber eſt, ſæpe tomento vel pelliculis obvolutus & rugoſus, non dividuus, ſubſtantiam obtinens nuclei avellani oleoſam & dulcem, ſed cum inſigni adſtrictione, quæ in recentibus tanta eſt,

ut


榧 タ一カ
Nux perìcarpio conclusa
Folium
Nux nuda
Nux fracta
Nucleus

ut eſui non ſint. Locum inter acrodrya menſæ ſecundæ obtinent. Dicuntur valdè ſana eſſe, & quamvis fauces aſtringant, alvum tamen laxare. Oleum expreſſum coquinæ expetunt, præſertim Monachorum Sinenſium, qui Nagaſaccæ vivunt; Japonenſes Monachi, cujuscunque Sectæ ſint, pinguibus non veſcuntur.

椎 *Sui*, vulgo *Sſi no ki.* Fagus folio Fraxini, flore ſpicato denſiſſimo, hexapetalo, herbeo, multis ſtaminibus referto, teſtâ avellanæ magnitudinis, turbinatâ & ſquamatim echinatâ, per ſiccitatem in tres, quatuor vel quinque partes dehiſcente; nuce in ſingulis teſtis unicâ ſpadiceâ, apice nonnunquam incurvato; nucleo bifido eduli.

K*as no ki.* Ilex glande brevi craſſo: cujus duo ſunt genera:

槲 K*oku*, vulgò K*áſjŭwa*, *Boku Soku* & *Sjirakas.* Ilex alba, ligno candido.

櫟 *Réki*, vulgò K*unugi*, *Sjirakunúgi* & *Aka Kas.* Ilex rubra, ligno in rufum languente duriſſimo.

栗 *Riitz*, vulgò K*uri.* Caſtanea ſativa vulgaris: alia fructu majore, alia minori.

榛 *Sin*, vulgò *Faſi bami*, it. *Fa.* Corylus peregrina ſativa, nuce oblongâ, calyce brevi non barbato.

S*arfiò*, i. e. Simiarum fructus, it. *Jus no ki*, i. e. arbor ferrea. Arbor vaſta, brachiis latè luxuriantibus, ſurcu-

ſurculis ad alternum foliorum ſitum inflexis; foliis acutè ovatis, biuncialibus, craſſis, duris, inæqualibus, orâ integrâ; fructu ſine pediculo in ſurculorum faſtigiis ſolitario, inæqualiter & in acutum turbinato, per ſiccitatem ligneo, tantæ magnitudinis, ut manum impleat, à caſſo intus naſcente inſtar Gallæ exeſo. Fructus recentes depaſcuntur ſimiæ in illis regionibus, quæ ſimias gignunt.

菱 *Rijuu*, vulgò *Vis.* Tribulus aquaticus.

茶 *Ta*, it. *Sa*, vulgò Sinenſibus *Tèh*, Japonenſibus *Tſja.* Frutex ab imo inconditè ramoſus, foliis Ceraſi hortenſis, ut juniora ſunt & recens nata, anguſtioribus ac pinnis Evonymi paribus; flore Roſæ ſylveſtris; vaſculo ſeminali monococco, dicocco & tricocco promiſcuè, per maturitatem dehiſcente, quodam̃odo lignoſo; nuculâ ſingulis vaſculis unicâ, nucis caſtaneæ faciem, quamvis minori formâ, exhibente, ſimiliq́; cortice tectâ.

眼龍 *Rjugan*, vel *Djugan*, vulgò *Djugan niku*, id eſt, Oculus ſerpentis. Frutex Sinenſis, ramulis inconditis tenuibus, folio ex quinque lobis pennato, flore roſeo candidiſſimo, fructu in racemis congeſto, juglandis magnitudine, pericarpio pauco carnoſo, cortice badio tenui duriuſculo, tuberculis pulchrè ſquamoſo, in cujus medio laxè, inſtar fructus Halicacabi, fovetur globus ceraſi magnitudinis, atrâ molli ac dulci pulpâ denſè oblitus; medio nucleo cinerei coloris, duro, ſaporis vapidi. Pulpâ illâ nihil creditur palato gratius: ſapit mihi ceraſa exſiccata cum vino & ſaccharo cocta. Ejus ſpecies ſeu varietates ſunt: *Roganna* & *Ritſji.*

CLASSIS III.

Plantæ Oleraceæ, Frugiferæ & Siliquoſæ variæ.

參人 *Sju ſjin*, vulgò *Niſji*, *Nindſin* & *Dſin dſom*, Sinicè *Som*, Tartaricè *Soáſai*. Siſarum montanum Coræenſe, radice non tuberoſâ.

Ob polychreſtam Radicem, omnium Orientis (ſi *Theam* excipio) celebratiſſima planta eſt; quæ ex Coræâ Japoniæ illata, in hortis urbis *Mëaco* colitur, & magis, quàm in ipſâ Patriâ, luxuriat, ſed virtutum fere exors: unde cautum lege eſt, ne exoticæ à ſeplaſiariis ſupponatur. In Katajæ (Provinciæ *Sjamſai*) Corææq; montibus rigidiori Jove nata, vitæ eſt longioris, radice reſtibili & foliis autumno deciduis; ſub Japonico citiùs effuſa in caules ſemina ferentes, ut plurimùm annua emoritur. Planta hæc recens nata (*vid. Fig. n. 1.*) radiculam exhibet unicam ſimplicem, paſtinacæ ſimilem, triuncialem, auricularis digiti craſſitie, fibris paucis capillatam, carnoſam, albidam, ambientibus rimulis ſubtiliſſimis interceptam, infernè nonnunquam in duo crura diviſam; ex quo charactere ei nomen natum eſt *Nin dſin*, i. e. homini ſimilis, ac fiducia credulis, quòd radicale manducantis humidum (ita loquuntur) augere, ac vitam prolongare valeat; unde hæc bifurca radix magni conſtat, & in uſum medicum præ ceteris deligitur. Odorem præbet Paſtinacæ luteæ, ſaporem Siſari noſtratis, minori tamen & gratiori cum dulcedine, quàm ipſam exigua quædam ac ferè imaginaria amaritudo temperat. Paulò provectior planta (*Fig. num. 2.*) & in pedalem ver-



1
2
3
4
人参
ニンジン
Semen
Floſculus per microſcopium viſus

vergens altitudinem, in ſolo Japonico ſota, radicem ſibi unam atque alteram adſociat, priori æqualem; quas ad vigorem producta, (*Fig. num. 3.*) ramoſior videlicet & florigera, majori numero auctas, pinguiores ac ferè palmares inordinato ſitu exhibet: multis ſimul circa radicum capita luxuriantibus diverſæ magnitudinis gemmis atq; tuberculis, his in radiculas, illis in novos caules ſive plantas abituris. *Caulem* acquirit ſeſquicubitalem, auriculari digito tenuiorem, inæqualiter teretem ac ſtriatum, geniculis arundinaceis protuberantibus, & in circulum punctatis, per ſeſcuncialia ſpatia interceptum ac ramoſum; ramulis utcunq; alternatim ex geniculorum loco naſcentibus, imâ parte plenum, proceſſu ſurculisque cavis & magis anguloſis. *Pediculis*, genicula amplexantibus, ad mediam longitudinem profundo ſulco cavatis, ſeſcuncialibus, tenuiter ſtriatis inſiſtunt *Folia* diverſæ, pro Plantæ ſtatu, figuræ & magnitudinis: In naſcente enim, folia ſunt ſingula, rotunda, languidè dentata, uncialia, baſi cordatâ; in ſuccreſcente & caule circiter pedali, majora ſunt, Sii & Siſari foliis ſimilima, ex quinque lobis pinnata; Lobis, ſive pinnis, ex ovato acuminatis, ſeſcuncialibus, denticulo acuto denſè ſerratis, tenuibus, lætè virentibus, præter nervum inſignem medium & ab eo decurrentes laterales, denſo venularum complexu reticulatis; Denique in Plantâ perfectâ ac ramoſiore caule, trilobata ſunt, pinnis ſucceſſivè minoribus, & in unguis humani magnitudinem deficientibus. *Umbellæ*, in quas ſurculi deſinunt, ex baſi, foliolis anguſtis brevibus laciniatâ, radiolos extendunt (10, 15) tenues unciales, in petiolos tenuiſſimos perbreves, (15, 20) ſingulis floſculis donatos, divulſos. *Flos* albus eſt & pentapetalus, petalis cordatis & ad ſeminis Coriandri ambitum in planum radiantibus, ſtaminibus ex interſtitio petalorum ſurrectis, candido apice capitatis, brevibus, deciduis; ſtylo pumilo bifurco, vix conſpicuo. *Semen* florem

rem excipit geminum, nudum, aniſo ſimile, per maturitatem obſcurè rufens & ſtriatum, quod excuſſum in duo dehiſcit, uno latere compreſſo; ſaporem radicis obtinens, cum ſegni caliditate. Inter ramulorum axillas naſcuntur *Gemmæ*, una vel plures, turbinatæ, piſi magnitudinis, herbaceæ, quadantenus verrucoſæ, carnoſæ, ſaporis vapidi dulciduli, quæ, cum plantantur, vel in terram ſponte decidunt, ſeminis lege plantam producunt ſui generis.

Ex ſemine Coræenſi & Mẽacenſi nullam in Japoniâ obtinui prolem: quod verò ex meis plantis ibidem in horto meo cultis collegeram, & Cl. Domino *Hermanno* Lugdunum Batav. attuleram, feliciter in horto ſuburbano ſuo procreviſſe, mihi retulit brevi ante obitum. Facultates radicum à Japonibus & Sinenſibus recitantur variæ, ex quibus palmariæ ſunt: quòd roborent, pinguefaciant, renibus conducant adeoque & pulmonibus, ex eorundem viſcerum, quod docent, conſenſu. In pulverem redactæ, paucis medicamentis, nullis omnino cordialibus non admiſcentur. Collectio Radicis fit ineunte brumâ; quâ appetente, in *Sjamſai* aditus omnes excubiæ occupant, quæ fures à collectione arceant. Ad uſum, ut fiant idoneæ, præparatione opus habent, quæ hæc eſt: Recens effoſſæ, triduum macerantur in aqua dulci, vel meliùs in aqua coctâ oryzæ ſecundariâ frigidâ; maceratæ in ahenâ operculatâ ſuſpenduntur in vapore ſuper igne; Tum exſiccatæ (*Fig.* 4.) ab imâ parte usque ad medium, duram, rufam, reſinoſam ac quaſi translucidam acquirunt faciem; quæ ipſa bonitatis nota eſt. Fibras majores eodem modo præparant. Doſis eſt *Maas* unum, ſive drachma una cum dimidiâ, vel pro re natâ major. Venditur optimæ radicis unum *Catti* (i. e. quinque quadrantes libræ Belgicæ) *Teilis*, ſive Joachimicis, plus minus centum.

蔔胡 *Kofuk*, vulgò *Niſji* & *Jabu ninſin.* Paſtinaca lutea noſtras. Eodem gaudet populari nomine, aſt alio charactere ſcribitur.

Jamma Ninſin. Paſtinaca ſylveſtris.

菁蕪 *Buſei*, vulgò *Aona.* Rapum ſativum rotundum.

Idem radice longâ.

菔萊 *Rei fuku*, vulgò *Daikon.* Raphanus major, orbicularis, vel rotundus C. Bauh. P,

Idem radice permagnâ oblongâ: quæ copioſiſſima hîc, & in agris ſata, excrementis humanis ſtercoratur, & magno ſtudio colitur; eſt enim τὸ πᾶν vulgi, qui crudâ & coctâ, recenti & exſiccatâ veſcitur.

薐菠 *Far jo*, vulgò *Karana.* Rapunculus pyramidalis lævis J. Bauh.

參沙 *Sadſin*, litteratis & vulgò. Lychnis ſylveſtris, caule ſeſquiſpithamali, foliis Leucoji lanuginoſis decuſſatim adverſis, in imo caule amplis & paucis dentibus ſerratis; floſculis albis pentapetalis, ad grani piperis ambitum expanſis, petalis cordatis. Radice Paſtinacæ triunciali vel palmari, ſaporis vapidi, ab impoſtoribus pro radice *Ninſin* virtuoſæ ſupponi ſolitâ.

梗桔 *Kekko*, vulgò *Kikjò* & *Kirakoo.* Rapunculus medicamentoſus, caule decuſſatim nonnihil

ramo-

ramoſo, cubitali, foliis oblongis denticulatis. Radice palmari, pingui, lacteſcente, multiplicis virtutis, & ſecundum in uſu medico locum obtinente à radice *Nindſin;* flore (in ſummo caule) campanulæ, in ſeſcuncialem diametrum expanſo, quinis dentibus inſigniter crenato, cœruleo.

Kikjo, flore albo duplo, i. e. compoſito ex duobus floribus, ita invicem incluſis, ut dentes exteriores, crenas tegant floſculi interioris.

K*ikjo*, flore ſimplici, ex purpurâ cœruleo, ſtriis ſaturè purpureis, oris dentium piloſis, apicibus luteſcentibus, piſtillo cœruleo piloſo.

K*ikjo*, flore duplo, ex purpurâ cœruleo.

門冬 *Mondo* & *Biakf Mondo*, vulgò *Riuno Fige*, *Siogei Fige*, *Jamáſuje* & *Sogaì*. Gramen flore hexapetaloide ſpicato, Radice fibroſâ & tuberoſâ.

Rjuno Fige, i. e. Barba ſerpentina ob aliqualem ſimilitudinem dicta. Gramen eſt perenne, pro limitandis areolis expetitum; funiculis humi repentibus brevibus, tenuibus, geniculatis, ſobolem ſubinde novam progenerans. Radix fibris conſtat multis tenuibus, albidis, tenſis, in fine tuberoſis; tuberculis inæqualiter rotundis, carnoſis, ſuccoſis, ſubſtantiæ albicantis pellucidæ, ſaporis leguminoſi ſubdulcis. Folia prope radicem in faſciculos denſè compacta effert ſpithamalia, culmum lata avenaceum, tenuia, obtuſa, anticâ facie obſcurè viridia, & per mediam longitudinem ſulcata, dorſo opaco, herbaceo, denſè ſtriato, interſtitiis albicantibus. Ex medio faſciculo, exemplo Lilii convallium, ſtylus exurgit


門冬

git ſemipalmaris, vel longior, tenuis, ſtriatus, anguloſus, in fine ſpicatus, floſculis (6, 9, 12) ex cœruleo albicantibus, hexapetaloidibus, in piſi majoris ambitum radiantibus; petalis anguſtis, pinguibus, rigidis, piſtillo concolori brevi, cui apices accumbunt oblongi lutei. *Fructus* calyculo continetur, longis anguſtis laciniis crenato, oblongo-rotundus, Dulcamaræ fructui ſimilis, pellucidus, cœruleus, vitreo globulo æmulus & ſplendens, carne donatus paucâ, humidâ, albâ; ſemine intus unico rotundiſſimo, cartilagineo, oculum piſcis proximâ ſimilitudine referente, ſaporis leguminoſi, ſylveſtris. Uſus radicum in medicinâ familiaris eſt; tubera ſaccharo condita Sinenſes ægrotis commendant.

Altera datur ſpecies, literatis *Temondo* dicta, in provinciâ *Satzuma* frequens, quæ quòd radicem & tubera habeat pinguiora, priori anteferri ſolet.

風防 *Boofu* & *Fofu* literatis & vulgo: huic etiam *Fammaſkanna* & *Fammani ganna* dicta. Liguſticum vulgare.

風防山 *Sanbofu*, vulgò *Jamma Boſu*. Apium littorale folio Aquilegiæ pinguiore.

筵 *Nadagi, Nadaki.* Apium paluſtre, ſeu vulgare officinarum ingratius J. B. ferulâ orgyiam altâ.

芹 *Kin*, vulgò *Séri.* Petroſelinum folio Alſines, Morſus Gallinæ dictæ.

香蘹 *Quaiko, Uikio*, vulgò *Kureno Ommo.* Aniſum vulg.

莨术 *Sſirò*, vulgò *Tagara Kinſo.* Sinapi hortenſe.

椒番 *Banſjo*, vulgò *Toogaras.* Piper Indicum vulgatiſſimum. Solanum Capſicum dictum vulgatiſſimum, ſiliquis rectis propendentibus.

活獨 *Doku quatz*, vulgò *Doſjen*, it. *Udo.* Recens natus appellatur *Sikà*, provectior *Udò*, perfectus *Doſjen.* Frutex annuus, Radice reſtibili pingui, carnoſâ, unà cum primis caulibus eduli ac oleraceâ; foliis alatis pedalibus, lobis in triangulum diſpoſitis, inſigniter crenatis, ceraſino folio majoribus; ſtylis floridis laxè ramoſis, in umbellas unciales ſphæricas (alias flores, alias ſemina exhibentes) deſinentibus; floſculis in herbeo albicantibus pentapetalis, pumilis; vaſculo ſeminali oblongiori, tenui, ſeminis Coriandri magnitudine, quinis carinis ſtriato, totidemque continente ſemina in orbem coarctata, ſaporis tetrici.

薑 *Kjoo*, vulgò *Sſonga. Faſi Kami. Kureno fáſikami.* Zingiber latifolium ſylveſtre. P. Herm. H. Bat.

荷蘘 *Dſjooka*, vulgò *Mjoga*, ſeu *Mionga*, it. *Megga.* Zingiber edule, ſapore molli, caule ac foliis arundinaceis Zingiberis ſylveſtris; bulbo florigero ex radice circa caulem in terræ ſuperficie naſcente; floribus ſucceſſivè ſingulis, ex laminarum interſtitiis prodeuntibus, galeatis, biuncialibus, pallentibus, floris Zingiberis facie, odore ignavo Petaſitidis.

San

荷蘘山 *San Dſioka*, vulgò *Jamma Mjoga.* Orchis caule pedali, folio liliaceo anguſto, floſculo nonnihil incarnato, in ſpicam diſpoſito, vaſculo ſeminali, oblongo rotundo, piſi magnitudinis, ſemine circa volvam mediam compacto, multo, anguloſo, pumilo, rufo.

Tſwa. Doronicum radice multiplici tuberoſâ articulata & fibroſa, ſaporis quodammodo tetrici; foiio Pataſitidis, caule cubitali nudo, in palmares pediculos ramoſo; floribus ſingulis luteis Chryſanthemi; ſemine cylindraceo, nonnihil ſtriato, argenteo, pumilo, ſaporis unctuoſi tetrici. Caules & pediculi inter olera recipiuntur.

漆蜀 *Se̊o* K*uſitz*, vulgò K*ůſággi*, i. e. planta fœtens. Frutex arboreſcens, Foliis alternatim adverſis, amplis, Lappaceis, denticulatis, inter olera receptis; Floribus Ledi Cluſ. IV. quodammodo ſimilibus, ſingulis, ſurrectis, in extremitate ſurculorum ſtylis ſpithamalibus decuſſatim trivaricatis, conſitis.

臍勃 *Boſſai*, vulgò *Quai.* Juncus aquaticus, radice denſâ fibroſâ, ſobole tuberoſâ, crebrò geniculatâ, caſtanearum facie, eduli: quæ proprio nomine appellatur *Quai.*

姑慈 *Sikò*, vulgò *Omodáka.* Sagittaria aquatica minor latifolia; radice τῦ *Boſſai* eſculentâ; quæ proprio nomine vocatur *Sjiró Quai.*

薢 *Kai*, vulgò *Tokoro.* Herba ſylv. ſcandens, Bryo-

niæ albæ affinis, radice Zingiberis facie, eduli; Floſculis ſpicatis, ſtylos palmares obſidentibus, albis, hexapetalis, Coriandri ſeminis ambitu radiantibus.

蕷薯 *Dſojo*, vulgò *Jamma Imò.* Herba montana ſcandens, priori affinis; radice eſculentâ pingui, longâ, carnoſâ, fibroſâ, incertæ figuræ, quam ex loci conditione induit; Folio Graminis Parnaſſi membranaceo; ſpicis floridis palmaribus; floribus Lychnidis pumilis hexapetalis, vix oſcitantibus.

Tſukne Imò, prioris ſpecies baccifera, tuberculis ſub foliorum axillis naſcentibus, ſi in terram cadunt, prolem enitentibus.

芋 *U*, vulgò *Imò*, *Satai Imo.* Sagitta paluſtris, Sagittæ aquaticæ majori J. Bauh. ſimilis, folio amplo, caulibus longis pinguibus carnoſis; radice tortuoſâ informi carnoſâ, muſcoſis recrementis obductâ & fibroſâ, unà cum caulibus eduli.

蓴 *Sjun*, vulgò *Nonawa.* Sagitta aquatica minor latifolia C. Bauh. radice eduli.

蒡牛 *Gobo*, vulgo & literatis dicta, aliis *Umma buſuki.* Bardana major: quæ hic in terrâ pullâ colitur, ob radicem, ante caulium eruptionem, culinis deſtinandam.

陸商 *Sjooríku*, vulgò *Jamma Gobó. Iſjuwo ſikki.* Planta ſylveſtris, radice rapaceâ eduli, caule folioſo bicubitali; folio Lapathi, flore ſpicato pentapetalo, ſemine Malvæ ſeminis in modum diſpoſito.

Caulis


蔏
Jamma Gobo

Caulis digito craſſior, parùm ramoſus, valde ſtriatus ac lævis, duos & ampliùs aſſurgit cubitos; *Cute* veſtitus herbaceâ, ex fibris lignoſis tenſâ, interiori ſubſtantiâ fungoſâ, ſaporis leguminoſi, qui fauces occupat. Radice nititur rapaceâ pedali ſimplici, ſuperficie nigricante, capillatâ, carne ſolidâ mucoſâ albâ, ex pluribus orbibus concretâ, ſapore & odore radicis Bardanæ; quæ decocta, vapida dulcis & farinoſa eſt, copioſum impertiens nutrimentum. *Folia* pediculis brevibus alatis, anticâ compreſſis, caulem ab imo ſtipant, inordinatè ſingula, Lapathi foliis æmula, tenera, tenuia, cavernoſa & inæqualia, ſummâ facie obſcuriùs virente; diſcrepantis pro diverſo ſitu magnitudinis, ſpithamâ brevioris vel longioris, ex anguſto brevi principio in ovatam quodammodo latitudinem expanſa, mucrone brevi reduncо, margine æquali integro undulante; nervus medium pervadit incluſo tendine firmatus, pinguis, ſuccoſus, ex herbaceo albicans, in vultu folii depreſſus, in dorſo unà cum ceteris, quos ad oram ſucceſſivè demittit, inſigniter protuberans. *Flores* pediculis ſingulis ſemiuncialibus, ex recto angulo extenſis, in thyrſos dodrantales congeſti ſunt, albi, pentapetali, ad piſi vel piperis ambitum expanſi; petalis rotundis, concavis, pediculo connnatis, non deciduis; ſtaminibus pro ſeminum numero donati octonis, pyramidalibus, apice rotundo purpureo decoratis, amiſſoque per maturitatem ſemine remanentibus. *Semina* a primo floris ortu in umbilico conſpiciuntur, nuda, malvæ ſeminum ordine diſpoſita, fungoſæ involuta glumæ, eâque remotâ, ſemini Aquilegiæ per maturitatem æmula, ſed triplò vel ampliùs majora, ex atro ſplendentia, compreſſa, utcunque reniformia; cuticulâ membranaceâ, medullâ albiſſimâ, ſaporis vapidi.

葱 *Soo*, vulgò *Fitomóſi.* Cepa vulgaris.

San,

蒜 San, vulgò *Fir* & *Ninniku.* Porrum commune capitatum.

韮 Kiù, vulgo *Miira niira.* Porrum ſectivum minus, junci folio.

薤 K*ei*, vulgo *Oö nira.* Porrum ſectivum latifolium.

苣 K*iŏ*, vulgo *Tſiſa.* Lactuca ſativa vulgaris non capitata. Cujus duæ hîc ſpecies ſunt, ſingulis characteribus, *Kukiŏ* & *Ríkiŏ*, inſignitæ.

莙薘 K*antats*, vulgo *Futſu kŭſa*, item, *Too Tſiſá*, i. e. Lactuca Sinenſis. Braſſica alba capitata Sinenſis, caulem tricubitalem aliquot annorum ætate aſſequens, capite rariùs clauſo.

莧馬 *Bakin*, vulgo *Uma Biju*, it. *Siberi Fiju.* Portulaca latifolia ſativa.

英蒲 *Fo ſei*, vulgo *Fudſina*, *Tſugumíguſa* & *Tampopo.* Dens leonis latiore folio. C. Bauh. P.

蕗 *Ro*, vulgo *Fuki ſabuki.* Petaſitis vulgaris. Caules hic inter olera recipiuntur.

苔 *Tai*, vulgo K*oki.* Muſcus in genere.

藻 S*oo*, vulgo *Momubah.* Herba marina ſive Alga in genere.

Naba

芝 *Naba*, i. e. Fungus κατ' ἐξοχήν, & à Luſitanis relicto nomine *Sombrero de campo*, id eſt, umbraculum campi, litteratis *Sì* dictus. Fungus campeſtris totus eſculentus; pediculo candido, pingui brachiato; brachiis, pileo plano, ſquammatim rugoſo ac variegato, operculatis.

蕈 *Tan*, vulgo *Taki*. Fungus vulgaris, totus eſculentus, albidus, pediculo pingui brevi, pileo ſupra glabro, ſubtus plicato, orâ intrò reflexâ, margine inæquali, ſæpe laciniato; in clivoſis & petroſis creſcens.

Idem pumilus, pileo ſuperius atro, totus ad cibum expetitus.

Sjooro. Tubera eſculenta, terreſtria, ſub abietibus creſcentia.

耳木 *Bokudſi*, vulgò *Ki kurági*, it. *Ki no mimi*, i. e. auriculæ arborum. Fungi pileis ex albo & nigro variegatis, veterum arborum caudicibus vel partibus emortuis adnaſcentes, edules.

菜紫 *Si ſài*, vulgò *Ama nóri*, it. *Muraſáki nori*. Muſcus marinus purpureus rupium; edulis, quanquam ſubſtantiæ durioris & membranaceæ.

耳石 *Sékiſi*, vulgo *Iwatági*. Muſcus in petris altiſſimis creſcens.

Seki qua, vulgo *Kokuró buto*, it. *Tokoro ténguſa*. Muſcus ſubmarinus ſive Alga rupium capillaris, ramoſa, luteſcens; ex quâ in Japoniâ & Sinâ coquitur Gelatina, quæ per cribrum in vermiculatos bacillos coacta

&

& ſiccata, ubique proſtat venalis, Japonicè *Tókoroten*, Sinicè *Tſjantſjaù* dicta.

菜苔 *Tai ſei*, vulgò *Aù nori.* Muſcus marinus Corallinæ ſimilis, multifidus, folio tenuiſſimo.

布昆 *Firomé* & *Konbu* vulgo & literatis. Fucus marinus lanceatæ formæ, orgyiâ longior, margine dentato. Rupibus adnaſcens in maris ſuperficie fluctuat, totus genti poſt præparationem eſculentus, quanquam coriaceæ ſubſtantiæ.

帶海 *Kaitei*, vulgò *Arame.* Fucus lanceiformis tricubitalis & longior, ſtriatus, orâ integrâ, mucoſus, à ſtrenuâ coctione edulis. Oris rupium adnatus, in ſuperficie maris fluctuat.

松水 *Siſjo*, vulgò *Miru.* Muſcus marinus ramoſus coralloides.

角鹿 *Roků kaků*, vulgò *Ino matta, Tori ſaka nori*, i. e. Cornua cervina. Muſcus rupium ramoſus pinguis, Cornuum cervi figuram referens, ſeu Muſcus Coralloides ſaxatilis Cervi cornu referens, C. B. P.

窩燕 *Jenwa*, it. *Jeniku*, vulgò *Jens.* Nidus halcyonum, vulgò Nidus avium, pro obſonis ad coquinas expetitus. Non eſt hujus loci; ſed quòd in mari verſemur, non prætermittendus. Nidos hos rupibus Oceani orientalis affixos parant hirundines marinæ, domeſticis multò majores, materiam decerpentes ex holothuriis mari innatantibus.

米 *Come*, vel *Waſi.* Oryza in genere. Nota: quinq; Grana Japoniis *Go kokf* ſecundum excellentiam dicuntur: *Come*, Oryza; *O muggi*, Hordeum; *Ko muggi*, Triticum; *Daidſu*, Phaſeoli facie Lupini; & *Sjodſu* ſeu *Adſuki*, Phaſeoli vulgaribus ſimiles.

粳 *Ko*, vulgò *Motſj Gomme*, it. *Uruſjine.* Planta oryzæ, grano pingui, albiſſimo.

糯 *Dà*, vulgò *Motſj Gomme*, it. *Motſj no Jóne.* Oryza grano macriori, ſuperficie rubente.

麥 *Baku*, vulgo *Muggi.* Frumentum in genere, & in ſpecie Hordeum.

O muggi. Hordeum.

Ko muggi. Triticum.

麥燕 *Jenbákŭ*, vulgo K*aràs muggi*, id eſt, Frumentum parvum. Avena nigra.

苡 薏 Medicis & literatis *Jokui* & *Jokuinin*, vulgò *Dſudſŭdáma*, it. *Fatſjĭ Kókŭ.* Arundo granifera. Milium arundinaceum; aliis Lachryma Jobi.

稷 *Sĭoku*, vulgo *Kíbi*, it. K*immi* K*ibbi.* Milium vulgare, ſemine luteo.

黍蜀 *Sjókkuſò*, vulgo *Too Kibbi.* Milium Sinenſe dictum, quòd inde antiquitus delatum: Caule foliis-

liisque arundinaceis magnis; ſpicâ ramoſâ erectâ, granis flaveſcentibus.

粟 *Dſjéku*, vulgo *Awa*. Panicum, jubâ magnâ pendulâ villoſâ, ſemine aureo. Panicum domeſticum *Matth*. Panicum Indicum *Tabern*.

稗 *Fài*, vulgo *Fije*. Panicum vulgare, paniculâ minore, ſemine nigricante.

黍玉 *Kjókŭſo*, vulgo *Nan ban Kiwi*, i. e. Milium populi ſeptentrionalis, quia à Luſitanis ex Indiâ primùm invectum. Frumentum Indicum, Jubâ faſtigii divulſâ.

蕎 Kjo, vulgo *Soba*. Fagopyrum ſativum. Frumentum Saracenicum.

[illegible] *Sjoo*, vulgo *Iwó nome*. Fagopyrum repens ſylveſtre.

[illegible]水 *Sui Roo*, vulgò *Midſu Soba*. Fagopyrum aquaticum aſperum, veſtibus adhærens.

麻胡 K*oba*, vulgo *Gomma*. Seſamum; Cujus oleum, vernicem, cibos & ob virtutem emollientem, medicamenta ingreditur.

粟[illegible] *Jeiſokŭ*, vulgo K*es*. Papaver in genere.

豌 *Wan*, vulgo *Nora mame*. Piſum hortenſe majus, flore albo, fructu candido.

 Sandſu

豆蠶 *Sandſu*, vulgo *Sora mame*. Faba, arvenſis ſive minor equina, fructu nigricante.

藊 *Fèn*, vulgo *Adſi mame*, it. *Kaadſi mame*. Phaſeolus arvenſis, longis ſarmentis repens, flore exili purpureo, ſiliquis brevibus latioribus caudatis; ſemine ciceris rotundo, rubente.

豆刀 *Toodſu*, vulgò *Natta mame*, â figurâ ſiliquarum machæræ æmulâ dictus. Phaſeolus folio & lobis magnis; flore in albidum purpureo, biunciali ſtriato, vexillo amplo crenato; ſiliquâ pedali triuncialis latitudinis, craſſâ, uno latere compreſſo, altero gibbo, ſubſtantiæ ex carne & tomento compactæ; ſeminibus fabâ hortenſi majoribus rubentibus, hilo albo abſcedente.

豆黎 *Reedſu*, vulgo *Fáſjo mame*. Phaſeolus folio nonnihil aſpero; ſtylis ex foliorum ſinu ſurrectis ſingulis ſpithamalibus, flore unciali, pulchrè purpureo verticillatâ diſpoſitione ſpicatis; ſiliquis uno pediculo ſingulis, piſi hortenſis facie ac magnitudine; fructu atropurpureo, nonnihil compreſſo, hilo longo, pingui, albo.

Nankin mame. Idem, ex *Nankíno* Sinici Regni Japoniæ invecta, flore ac fructu albo.

豇 Koo, vulgo *Saſági*, item, *Sjiro Saſangi*. Smilax ſive Phaſeolus hortenſis, ſiliquis longis anguſtis, ex uno pediculo geminis, fructu albo ovato.

Idem, fructu rubro.

Idem, fructu nigro.

Rioku

菉 *Rioku* & *Rok*, vulgo *Jajenari Saſági.* Phaſeolus arvenſis erectus, ſiliquis ex uno pediculo geminis anguſtis longiuſculis, fructu ovato albo minori.

荅 *Too*, vulgò *Atſuki.* Phaſeolus hirſutus, lobis foliorum hinc illinc auritis, caule ſtriato, cubitali erecto, ramoſo Lupini facie, floribus geminis in ſurculorum & foliorum axillis uni longo petiolo inſidentibus, languidè luteis, majuſculis, clypeo petaliſque ceteris inſigniter falcatis; ſiliquâ florem excipiente triunciali anguſtâ, tereti, curvâ, ad ſeminum ſitum adſtrictâ, commiſſurâ utrinque protuberante; ſeminibus unicuique thecæ ſeptenis vel paucioribus, ciceris magnitudine, longiuſculis, nonnihil badiis, umbilico albo, ſaporis leguminoſo-ſubrancidi, inter legumina patriæ palmario loco habitis. Cruda ob rancorem non comeduntur; in farinam redacta quotidianam ſubeunt pro ſcriblitis & libis pinſendis cruſtulariorum manus.

豆大 *Daidſu*, vulgo & literatis; & ob excellentiam *Mame*, i. e. legumen, dictus. Phaſeolus erectus, ſiliquis Lupini, fructu piſi majoris candido.

Phaſeolus priori ſimilis, ſed tetrapedalis & plenior, caule erigitur tortè ramoſo, inæqualiter tereti & hirſuto; *Folia* exhibens phaſeoli hortenſis, dorſo aſperiùs piloſo. *Floſculos* menſe Auguſto intra ſinus foliorum explicat uni pediculo inſidentes pluſculos, in albo cœruleos, pumilos, floribus Ervi pares, vexillo petaliſque rectis, vix expanſis: Quos *ſiliquæ* excipiunt copioſæ ſeſcunciales, pilo longo aſperæ, ſiliquis Lupini fl. lut. ſimiles, ſemina continentes duo, rariùs tria, piſo hortenſi formâ magnitudine & ſapore paria, quadantenus tamen compreſſa, umbilico badio. Hoc


Calyx
Floſculi facies poſt.
ant.
later.
大豆
ダイヅ

Hoc legumen in coquina Japonicâ utramque replet paginam; Ex eo namque conficitur: tum puls *Miſo* dicta, quæ ferculis pro conſiſtentiâ & butyri loco additur, butyrum enim hôc cœlô res ignota eſt; tum *Sooju* dictum celebre embamma, quod niſi ferculis, certè frictis & aſſatis omnibus affunditur. Utriusque conficiendi modum appono:

Pro *Míſo* elaborando recipiunt menſuram unam *Máme*, ſive phaſeolorum *Daidſ*, quos aquâ diutiſſimè & ad omnimodam mollitiem percoctos in pultem molliculam contundunt. Pulti, ope iterandæ contuſionis, permiſcent Salis communis menſuras æſtate quatuor, hyeme tres; quò minus ſalis additur, eò productum obtinetur lautius, ſed minùs durabile. Mox æquali phaſeolis quantitate, unam addunt & repetitâ contuſione permiſcent menſuram *Kooſ*, i. e. Oryzæ degluptæ, in vapore aquæ dulcis parum coctæ, & poſtquam refrixerit, in cellâ calidâ unum vel duos dies noctesque, ad ſitum usque contractum, repoſitæ. Mixturam hanc (quæ pultis vel cataplaſmatis conſiſtentiam exhibet) vaſi immittunt ligneo, quod nuper cereviſiam popularem *Sacki* dictam continuerat; & ante uſum uno vel duobus menſibus intactum ſervant. *Koos* pulti gratiam ſaporis tribuit, & in elaborando, velut polenta Germanorum, expertam requirit manum magiſtri; Quapropter ſunt, qui in eo elaborando operam unicè collocant & paratam venundant.

Pro *Sooju* conficiendo recipiunt eosdem phaſeolos ad aliqualem mollitiem coctos; *Múggi*, i. e. frumenti, perinde hordei an tritici (à tritico productum magis nigricat) craſſè contriti; & Salis communis partes æquales, ſive ſingulorum menſuram unam. Phaſeolos cum frumento contrito miſcent, & in loco calido mixturam uno die ac nocte reponunt coopertam, ut efferbeat. Tum maſſam ollæ fictili immiſſam ſale prædicto obruunt, affundendo aquæ

aquæ communis menſuras duas cum dimidiâ: quo facto, maſſam probè operculatam poſtridie ac ſequentibus diebus ſingulis ad minimum ſemel (ſatiùs bis vel ter) rutabulo agitant. Labore duobus vel tribus menſibus continuato, maſſam filtrant & exprimunt, liquorem vaſis ligneis aſſervantes; qui quo antiquior fuerit, eò clarior eſt & melioris notæ. Maſſam ita emulſam, affuſâ aquâ, denuo irrigant & ab agitatione aliquot dierum exprimunt.

叔 *Siuku*, vulgo K*uro mame*, i. e. Phaſeoli nigri. Phaſeoli *Daidſu* ſpecies ſive varietas, fructu nigro.

Idem fructu nigricante, pumilo medicinali; cujus grana tria vel quatuor in pulverem redacta propinantur aſthmaticis.

角虎 K*atz*, vulgo K*udſu*, *Kudſu* K*ádſura*, & *Kádſune*. Phaſeolus, ſtylis flore purpureo ſpicatis, pendulis, ſesquiſpithamalibus; ſiliquis plurimis hirſutis, triuncialibus compreſſis, apice redunco; fructu albido, pumilo; radice carnoſâ, cubitali, brachii craſſitie, ex quâ farina edulis molitur.

歡合 K*oquan* ſeu *Goquan*, vulgo *Nemu no ki* & *Neburi no ki*, i. e. Dormituriens arbor. Æſchynomene lævis montana, foliis Acaciæ, pinnis falcatis acutis; ſurculorum extremitate multis floſculorum imperfectorum umbellis ſpicata; Siliquis pendulis, anguſtis, compreſſis, limbo marginali decoratis, mucrone acuto: Seminibus obſcurè badiis, piſi magnitudinis, ovatis & compreſſis, nullo ungue dotatis.

Quai,

槐 *Quai*, vulgò *Jens* & *Quai kákŭ.* Arbor vaſto & incondito caudice; foliis ex quatuor lobis, uno coſtam claudente, pinnatis; ſiliquis (quas non vidi) articulatis. Exotica arbor, & hôc cœlo rara eſt ac fere ſterilis. An Tamarindus?

莢皂 *Sokio*, vulgò *Kawara fudſj.* Arbor vaſta, caudice ſenili ſcabro & incondito; ramis laxis longis tenuibus; foliis longiſſimis, ex multis loborum paribus (6, 9) impariter pinnatis; ſiliquis (quas non vidi) longis, multisque, quod dicunt, interſtitiis intus diſtinctis. Ex Sinâ adducta arbor, rara hîc eſt, fructu imperfecto vel nullo. An arbor Caſſiæ fiſtulæ?

楸角 *Kakuſju*, vulgo *Kawara fiſági*, it. *Adſja.* Arbuſcula foliis Lappaceis, nonnunquam auriculatis, flore pentapeloide, ſiliquis prælongis anguſtis, ſemine reniformi, tenuiſſimo, utrinque barbato.

Arbor Granati magnitudinis, *Ramos* alit paucos pingues, liberaliter extenſos, *Cortice* glabro, ex viridi glauco, leviter verrucato, membranaceo laxe veſtitos. *Ligno* dotatur pauco levi infirmo, *medullâ* fungoſâ ſiccâ. *Pediculis* palmo longioribus, tenuibus, quodammodo carinatis, ex herbeo purpuraſcentibus & ad angulum fere rectum extenſis, inhærent *Folia*, à palmari ferè intervallo ſurculos ambientia, ſubinde terna, ſpithamam longa, ex amplâ cordatâ baſi paulatim in acutum mucronem, integro margine, deficientia, nonnnunquam in auriculas utrinque protuberantia, tenuia, in ſubluteo lætè virentia, dilutiora in dorſo; ſuperficie lanuginoſâ molli, præſertim ſupernâ; ſubſtantiæ cito areſcentis & per ſiccitatem friabilis. Nervi ex pediculi puncto plu-


角楸
Kawara Fiſagi
FWB

res, æquales folium pervadunt, utrinque conſpicui & villoſi, in dorſo inſigniter elati ac teretes, venularum denſiſſimarum reticulis intercepti. Folii facies, velut notam characteriſticam, refert puncta obſcurè purpurea & micantia, in angulis nervorum ad pediculi ingreſſum conſpicua. Surculos *thyrſi* terminant florigeri palmares vel ſpithamales, ex intervallis uncialibus verticillatâ diſpoſitione racemoſi & in conoidem quaſi ſpicam excurrentes; racemis, foliorum lege, ſemper ternis, ad rectum angulum extenſis, & per dichotomiam ramoſis, ſucceſſivè brevioribus, facile deciduis, flore ſolitario uno ſingulis divaricationibus interſito. Perianthium, brevi nitens pediculo, tenue & in duas partes hians, *Florem* ſuſtinet monopetalum, pallentem, odoris ſubdulcis, qui ex gibboſo & bullato ventre, quantus digiti auricularis apicem recipit, in quina dividitur labia rotunda, margine criſpo parum laciniato, in pollicarem diametrum inæquali ſitu expanſa, labiis duobus ſurrectis, ceteris (quæ purpureis punctis decorantur) brevioribus ac depreſſis, quo ipſo flos rictum, quaſi leonis, exhibet. Floris è cavitate prominet ſtylus ſiliquæ rudimento inſidens, brevis, cacumine divaricato, duobus ſtipatus ſtaminibus, longo rufo apice capitatis. Racemis inferioribus plerumque defluentibus, *Siliquæ* flores ſuperiores excipiunt ſingulæ, pendulæ, ſpithamâ longiores, culmum avenaceum craſſæ, teretes, per maturitatem rufæ, dehiſcentes in duas valvas, intergerino levi, rugoſo, tenui, obſoletè badio, diviſas; *Semina* utrique valvæ longâ ſerie inſident reniformia anguſta, grani avenacei longitudinis, ſquamarum inſtar tenuia, concava, ex cinereo ſpadicea, utrâque extremitate villis longiuſculis barbata: quæ nucleum cavitate tegunt compreſſum, tenuem, oleoſum, ſaporis ſubdulcis vapidi. Sapor foliorum & corticis tetricè amaricat. Siliquarum decoctum propinatur aſthmaticis. Folia partibus dolentibus imponuntur, ac nervis perhibentur amica.

CLASSIS IV.

Plantæ ſpecioſo flore conſpicuæ.

香瑞 *Sjiko*, vulgò *Rintſjò*, *Ranttſjóge.* Arbuſcula bicubitalis, folio lanceato integro, verticillato agmine naſcente; flore Jaſmini albi, in ſurculorum faſtigiis in umbellam congeſto, quatuor acutis labiis radiante, fragrantiſſimo. Colitur in cupis, vel hortis, quos vocant Adonidis.

Jamma Rintſjo. Eadem ſylveſtris, foliis longioribus paulo minoribus, caryophylli aromatici figuram utcunque referentibus.

樨木 *Mokkſei*, vulgo & literatis dicta arbor hortenſis, ſurculis verrucoſis; Folio Caſtaneæ, orâ raris pumilisq; papulis conſpicuâ; Floſculis albidis in croceum languentibus, tetrapetalis, pumilis, in axillis foliorum confertim naſcentibus, Jaſminum ſpirantibus, fragrantiſſimis; unde Sinenſibus in deliciis ſunt.

木瓜 *Buke.* Arbuſcula Acaciæ Germanicæ facie, flore pentapetalo rubro.

棠棣 *Teito*, vulgò *Jamma Buki.* Cytiſi facie frutex ſylveſtris, folio ex circinatâ baſi in acutum mucronem excurrente, triunciali ac longiori, multis æqualibus nervis decorato, ambitu crenato & acutiſſimis denticulis ſerrato; flore ſimplici luteo Ranunculi, Roſæ caninæ facie ac magnitudine, ut plurimum pentapetalo, ſæpe hexapetalo ac heptapetalo.

Jamma

Jamma Buki alter, flore capitato Bellidis majuſculo, luteo, pleno, ſine ſtaminibus.

柳楊美 *Bioru*, vulgò ***Bijò Janági.*** Salix pumila, flore Ranunculi magno. *Sive:* Androſæmum Conſtantinopolitanum flore maximo *Wheleri.*

夷辛 *Sini* & ***Confuſi*,** vulgò ***Kobus*,** al. ***Síde Kobúſi.*** Arbor ſylveſtris Tulipifera, Ceraſi magnitudinis, ramis rarioribus tortuoſis; cortice ſcabro Camphoram redolente; folio Meſpili; floribus primo vere ex lanuginoſo folliculo ante folia naſcentibus ſingulis, Tulipam Liliumve album vulgare petalorum numero & magnitudine exprimentibus, dorſo verſùs baſin erubeſcente, ſtylo medio craſſo turbinato vel conoide, denſo apicum longorum agmine ſtipato. Dicitur vulgo etiam *Mokuſitzqua*, *Kiſinqua* & *Jokuranqua.*

蘭木 *Mokkwurèn.* Frutex Tulipifer priori congener, ramis raris inconditè divaricatis; foliis plerumque nudus citò deciduis; ſurculis circa extremitatem pinguioribus & crebris geniculis deformatis; flore Lilionarciſſi rubente.

Mokkwuren flore albo, novem plerumq; petalis inordinatè ac parum dehiſcentibus donato, ſtaminibus circa umbilicalem conum rubicundè purpureis.

躅躑 *Tecki Tſjocku*, vulgò ***Tſutſúſi.*** Frutex bicubitalis denſus, flore liliaceo, folio integro piloſo, ſeminali vaſculo pentacocco. *Sive:* Ciſtus Indicus Ledi Alpini foliis & floribus amplis *P. Herm.*



躑躅
Thu Thuſi
VB

Frequens in regione arbuſcula ſpecierum varietate & ubertate florum, quos Vere & autumno fundit, hortos camposque jugiter decorat. Intra ſemi orgyjæ metam ab imo ramoſa eſt, *cortice* veſtita in badium glauco, æquali, ex dehiſcente cuticulâ nonnihil ſcabro; Lignum eſt ſolidius, leve, obſoletè albicans; *medulla* duriuſcula, fungoſa, ligno adnata; *Ramuli* in plures eodem loco divaricati ſurculos tenues rectos, ſpecioſam floſculorum quaſi ſylvam in faſtigio exhibent. *Folium* brevi inſiſtens pediculo, ſimplex eſt, orâ integrâ & piloſâ, ex acutâ baſi in parilem mucronem modico arcu productum, unciale vel longius; pro diverſâ ſpecie, tenue vel pingue, villoſum vel glabrum, deciduum vel perenne, inordinatè ſolitarium vel catervatim & à longis nudis intervallis conſitum. *Flos* denſo ſuffultus foliorum ſatellitio, calyculo villoſo dentato exilis & piloſi petioli, nititur, ex Gemma oblonga magnisque plicis lacunoſâ, uno quaſi impetu luxurioſè effuſus, Lilii Martagonis facie, monopetalus, ex tubulo ſemiunciali lacunoſo in quina fatiſcens labia majuſcula, petalorum faciem referentia, circinata vel oblongiùs ovata, in biuncialem diametrum liliique ſpeciem diſtenta, duo quidem repanda, cetera magis ſurrecta; coloris pro ſpeciei genio diverſi, ſtylo (in umbilici piloſo turbine extante) tenero, tenui, longiuſculo, ſtaminibus flori concoloribus & labiorum numero plerumq; reſpondentibus, apice decoratis bifido, duobus tubulis perforato, oblongo. Seminale vaſculum florem (rariſſimè) excipit turbinatum, pumilum, pentacoccum, ſemine exili rufente prægnans.

Nitida & accurata Cl. *Pauli Hermanni* in Hort. Bat. deſcriptio extat, ſed plantæ extra natale ſolum à genio ſuo utcunque degenerantis. Noſtram conſtruximus, quatenus omni ſpeciei vel varietati quadraret. Varietates enim ſunt plurimæ, à tempore quo florent, locô natali, differentiâ foliorum & aliis accidentibus pendentes. Quæ autu-

autumno florent, foliis pleræque gaudent perennibus, & repudiato generis nomine appellantur *Sátſuki*, id eſt, pluviales, à pluvio tempore. Utriusque varietates peculiaribus nonnunquam inſigniuntur cum vulgi appellationibus, tum doctorum characteribus, quos omnes recenſere non eſt operæ pretium. Varietates *Tſutſúſi* oblatæ mihi ſunt ſequentes:

Tſutſúſi, ſive Ciſtus, flore liliaceo albo, maculis ſanguineis.

Tſutſúſi, flore albo majuſculo, maculis ſanguineis longioribus, petalis amplis cordatis, apicibus rufis, albo polline variegatis.

Tſutſúſi, flore candidè violaceo, maculis ſaturis purpureis, ſtaminibus denis, apicibus ſulphureo polline conſperſis.

Tſutſúſi, flore parvo, murice ſaturato, petalis ſtyloque rubentibus, apicibus ex fuſco punctatis.

Rjuku Tſutſúſi, liliifera Inſulæ Luconiæ, flore languidè luteo, petalis ſurrectis, punctis ſaturatioribus variegatis.

Rjuku Tſutſúſi, flore igneo, punctis petalorum croceis, apicibus rufis.

Rjuku Tſutſúſi, flore purpureè rubenti, maculis obſcuriùs purpureis.

Jedogaua Tſutſúſi, celebtis per Japoniam Citiſus urbis *Jedogaua*, ſurculis hirſutis, folio piloſiſſimo figuræ lanceatæ. Datur alia flore albo, alia iucarnato, alia purpureo.

Jam-

Jamma Tſutſúſi, Cytiſus Liliifer campeſtris, flore valde incarnato, punctis rufis aſperſo.

Jamma Tſutſúſi, flore Majali valde incarnato, punctis denſis rubentibus.

Jamma Tſutſúſi, flore cinnabarino, maculis ſaturatis ſanguineis.

Mijama Tſutſúſi, Liliifer montanus, floribus ante & cum foliis luxurioſè effuſis, ex incarnato purpureis.

Mijama Tſutſúſi montis *Sakanoſta*, flore purpureo ante folia naſcente.

Mijama Tſutſúſi montis *Sakanoſta*, flore ante folia prodeunte purpureo, ſtaminibns denis.

Kiriſma Tſutſúſi. Denſa arbuſcula, in hortis Principum culta & in pretio habita; flore pumilo coccineo, menſe Majo effuſiſſimo, ut arbor tota appareat ſanguinea.

鵑杜 *To kèn*, vulgo ***Sátſuki.*** Cytiſus Liliifer autumnalis, *Tſutſúſi* congener, cortice obſcuriori, ſurculis hirſutis & multâ offenſione aſperis; foliis piloſis, verticillatâ diſpoſitione ſurculos ambientibus; floribus rarioribus ſingulis, ſucceſſivè, non pari nixu naſcentibus. Varietates non paucas habet, ex quibus mihi in conſpectum venerunt:

Sátſuki, flore plenè incarnato.

Sátſuki, flore coccineo dilutiore.

Sátſuki, flore albo duplo, id eſt, lilio gemino, altero alterum complectente.

Satſuma Satſuki, à provinciâ ita dictus, flore valde conccineo.

Jedogaua Satſuki, flore in candidum purpuraſcente; ab urbe natali nomen adeptus.

茶 *Sá* & *Sjûn*, vulgò *Tſubakki*. Frutex flore roſeo, fructu pyriformi tricocco. Notari moretur: Fruticem hunc ſtructurâ ac facie ſuâ exprimere *Theam;* unde Orienti placet, proprio adhuc carenti, characterem mutuari à *Tſubacki*. Hic alius eſt Sylveſtris, qui ubiq; in dumetis & ſæpimentis fruticat, alius Hortenſis, qui inſitione vel culturâ manſuetior factus, pleno ac pulchriori flore magnificè decoratur. Utriusq; innumeræ dantur varietates, à loco natali, conditione florum, vel figurâ partium denominatæ. Ex primis & maximè obviis eſt:

茶山 *Sán Sa*, vulgò *Jamma Tſubakki*, i. e. *Tſubakki* montanus ſive ſylveſtris, flore roſeo ſimplici.

Frutex ex brevi caudice ramoſus, arboris æmulatur magnitudinem; *Cortice* veſtitus in glaucum badio, æquali, carnoſo, tenui, à ligno, quod perdurum eſt, difficulter abſcedente. *Pediculis* ſemi uncialibus, ſupino latere compreſſis, *Folia* promiſcuo loco inſiſtunt ſingula, majuſculis foliis Ceraſi hortenſis ad aſſem ſimilia, ſed quodammodo rigidiora, duriora & utrâq; facie ſplendentia. Ex eorum axillis, ſucceſſivè per autumnum una vel gemina prodit *Gemma*, globi ſclopetarii magnitudinis, ex ſquamis herbaceis, concavis, piloſis, plus minus vicenis gradatim imbricata: quâ oſcitante, *peta-*

la


Tſubaki
椿

la, velut ex perianthio, erumpunt incerto numero ſena vel ſeptena; in Roſæ Sinenſis dictæ, vel ſi mavis, in Malvæ arboreæ ſpeciem diſpoſita, valde rubentia, ad ungues connata; medium occupat Tunica in gyrum diducta, figuram coronæ referens, tenera, carnoſa, mollis, incarnati coloris, altitudinis uncialis, à ſemi pollicari integritate in ſtamina fatiſcens amplius centena, ex incarnato candida, apicibus decorata luteis, ingenti hiatu diviſis, brevibus, compreſſis. Stylus umbilicali bullæ inſiſtit tenuis, ſtaminibus concolor & longitudine æqualis, faſtigio cuſpidato, intorto, herbaceo. *Vas ſeminale* florem, ſed rariſſimè, excipit tricoccum, pyriforme, ſeſquiuncialis longitudinis, tribus ſulcis pulvinatis ſtriatum, per maturitatem fuſcum, ligneum & dehiſcens; nucleo ſingulis utriculis unico, ferè nucis avellanæ magnitudinis & figuræ, ſuperficie rugoſâ, ruſâ, ſubſtantiæ carnoſæ albæ, ſaporis unguinoſi.

Oblatum mihi eſt vas ſeminale aliud, alicujus *Tſubakki* ſylveſtris, (in frutice hortenſi, & qui flore pleno eſt, fructus nunquam vel rariſſimè obſervatur) quod à genio ſuæ ſtirpis valdè recedebat, ne legitimum credidiſſem, niſi extitiſſet in ſurculo genuinis Tſubakki foliis conſito. Erat autem prædicto ſimile, ſed monococcum, cortice craſſo ligneo, ſine depreſſionis & fiſſuræ notâ; nuculis intus quinis, tenui corticulâ donatis, quæ effracta reddebat plura incerto numero ſemina diſcrepantis magnitudinis & figuræ, alia Aniſi ſemini ſimilia.

獅 *Dſiſj.* *Tſubakki* hortenſis, flore pleno maximo Roſæ hortenſis, palmaris diametri, plenè incarnato albisq; maculis ſparſim intermicantibus variegato; ſtaminibus intermixtis in orbem quodammodo vergentibus. *Dſiſj* caniculam ſignificat, quam appellamus (ſit verbo venia) Leunculam: nomen ex gratioſo flore obtinet.

Saſan-

山茶 **Saſanqua.** *Tſubakki* ſpecies pumila, flore rubro ſimplici ut plurimum pentapetalo, diſco ſeu umbilico ſtamineo, fructu tripyreno pyriformi, nucis piſtaceæ magnitudinis, nucleis tribus albis rotundiſſimis. Folia ejus præparata Theæ adduntur pro conciliandâ odoris gratiâ. Decoctum foliorum fœminis in uſu eſt pro lavacro capillorum.

Varietatum ceterarum notiora nomina ſunt: *Tſubakki Siratamma, Sjinkuri, Borri, Uſiraſji Borri, Jtokuri, Dſjurin, Benke, Nankin, Kommatz, Karai ito, Jedo momidſji, Fidſjirimin, Commakura ſaſanqua, Sokkobin, Kaiſan, Kikjo, Jedo dairin, Saifu botan, Fino botan, Meokin, Oſjam,* i. e. magna Siamenſis, *Koſjam,* i. e. parva Siamenſis, *Joſtſjino donno;* ut plures taceam; ex quibus conſpiciendæ mihi datæ ſunt:

Tſubakki, arbor flore Roſæ hortenſi ſimilimo, pleno, ex incarnato rubente, ſtamine apiculato raro, mediis petalis interſperſo.

Tſubakki flore nonnihil rubente pleno, petalis quindenis.

Tſubakki flore duplo ſanguineo, maculis albis.

Tſubakki flore duplo ex incarnato albicante, maculis rubentibus.

Tſubakki flore duplo rubro, quinis petalis exterioribus magnis, interioribus verò brevibus plicatis; ſtamibus numeroſis, paſſim in parva petala degenerantibus.

Tſubakki flore ſimplici coccineo, petalorum fronte cordatâ, ſtaminibus ſucceſſivè petalorum ſubſtantiam atque formam induentibus.

陽紫 *Sijo*, vulgò *Adſai*, it. *Anſai* & *Adſiki* i. Sambucus aquatica, ſurculis pinguibus punctatis, folio Hortulæ Malabaricæ; floribus tenerrimis cœruleis tetrapetalis & pentapetalis, in magnam denſamque ſphæram compactis, exterioribus, qui ambitum conſtituunt, majuſculis, interioribus, qui racemorum axillis inſident, minoribus.

團粉 *Fundàn*, vulgò *Te Mariqua*, i. e. Pila florida major, vel *Te Mari*, id eſt, pila major. Sambucus roſea, folio aquaticâ, magis rotundo, nervis denſiſſimis in ambitum excurrentibus conſpicuo, orâ ſerratâ; flore pentapetalo albo, in ſphæram pilæ magnitudinis congeſto.

K*ode mariqua*, i. e. Pila florida minor. Sambucus roſea anguſtifolia: Fruticula ab imo ramoſa, foliis alternatim ſingulis triuncialibus anguſtis, acutè & inæqualiter ſerratis, racemis parvis floridis, ſphæræ figuram affectantibus, floſculis pentapetalis albis.

麗高 *Joro*, vulgò *Utſúgi*, vel *Jamma Utſugi*. Sambuci facie frutex, ramulis ſurculisque tenuibus, geniculatis, ut plurimùm adverſis & cavis, intra orgyjæ altitudinem fluctuans; cortice incano, in ſurculis rufo, libero virente peramaro; ligno duro tenſo levi & fibroſo; foliis conjugatis ſeſcuncialibus, ex ovato mucronatis, nonnihil aſperis & tenuibus, orâ ſubtiliſſimè ſerrata; floſculis per ſurculorum triuncialem foliisque orbam extremitatem conſitis, numeroſis, albis, pentapetalis, floribus Aurantiæ ſimilimis, ſtaminibus ſingularis ſtructuræ denis; calyculo dentato, globoſo, carnoſo, fructûs futuri, ut apparebat, rudimento. Uſus ligni eſt ſcrinia-

niariis, pro fabricandis clavis ſubtiliſſimis; cortex medianus emplaſtra ingreditur.

Utſúgi, ſeu *Fon Utſúgi*, i. e. *Utſúgi* legitima. Eadem ſpecies flore niveo pleno (petalis plus minus 20) denſiſſimo. Ad exornandas areolas non in poſtremis habetur ab hortulanis.

楊櫨 *Koreì Utſúgi.* Sambucinâ ramorum facie frutex Coræenſis, vel à Coreâ primùm advectus, folio *Adſai* magìs venoſo & longiùs mucronato; Pediculis, in extimis ſurculis, longis ramoſis, in quinas anguſtas lacinias, floris baſin amplexantes, deſinentibus; Flore monopetalo ſpecioſæ ſtructuræ, ex anguſto ſemiunciali tubulo in amplum excreſcente ſcyphum (quem apice auricularis impleas) pentagonum, in quina magna ovata labia, pollicari & amplius diametro, expanſum, emicante ſtylo inſigniter capitato, cum ſtaminibus apiculatis quinque; odoris fragrantis caryophyllacei, coloris fugacis & in eadem ſtirpe nivei, in carnati & rubentis.

Nippon Utſugi, i. e. *Utſuggi* Japonica (qs. vernacula) incolis dicta. Eadem montana ſpecies, flore ejuſdem ſtructuræ minori, in purpureum rubente, labellis minoribus minùs expanſis, bullis ſingulis ante crenas, ſingulari floris cum decore, protuberantibus.

薇紫 *Sibi*, vulgò *Fákŭdſitqua*, it. *Fakŭſinda* & *Fakŭſitz.* Arbor perrara, Granati magnitudinis, tortuoſa, ex luteo albicans & excorticata apparens; foliis per ſurculorum decurſum denſis adverſis, imparis magnitudinis, exiguo pediculi rudimento nixis; floribus in ſurculorum racemoſo faſtigio denſis, & in duarum

vel

vel amplius ſpithamarum ambitum luxurioſè extenſis, caryophyllorum hortenſium magnitudinis, ſpecioſiſſimis, incarnatis, hexapetalis, petalis meſenterii inſtar criſpis, pediculis longis tenuiſſimis extra calyculum exporrectis, umbilico ſtaminum denſo agmine conferto; perianthio ventrioſo, in quinos dentes diviſo, totidemque lineolis ſtriato.

若陵 *Rjotſjo*, vulgò *Nodſen Kadſura, Notſjo.* Frutex longiſſimè ſcandens; ſurculis adverſis craſſis, viridibus, verrucatis, in ſtylum excurrentibus ſpithamalem, pediculis adverſis pinguibus ramoſis laxè ſpicatum; folio adverſo pinnato Roſæ hortenſis, pinnis lævibus, mucronatis & profundè ſerratis; perianthio unciali herbaceo, tenui, pentagono, longis dentibus crenato; flore puniceo ex ſeſcunciali tubo in quina frontata labia roſæ petalis ſimilia expanſo, ſtaminibus quinis, duplici apice donatis, piſtillo bicipite; fructu tetrapyreno, ſeminibus oblongis conglobatis, per immaturitatem albis ac carnoſis.

牛宗 *Kingo*, vulgò *Aſagawo*, i. e. manè aperiens. Convolvulus vulgaris, flore majore albo matutino.

子鼓 *Koſ* & *Kudſi*, vulgò *Firagáwo*, i. e. meridie aperiens. Convolvulus vulgaris flore majori albo meridiano. Uterque in hortulis circa perticas ob ornatum colitur.

藤 *Too*, vulgò *Fudſi* & *Fúſji.* Frutex hortenſis tortuoſus, ſcandens, ad Vitis viniferæ morem mulris ſarmentis luxurians, & ad pergulas deſuper obducendas aptari patiens, Folio impariter pinnato integro, tenero, ſpithamali;

mali; Racemis ſeu ſpicis floridis, ſpithamalibus, ſeſquiſpithamalibus & longioribus, toto Vere copioſiſſimis, botrorum inſtar pulcherrimo ſpectaculo pendulis; flore papilionaceo inodoro; ſiliquis phaſeolisq; atris, rariſſimis. Varietates ejus ſunt: *Fudſj* flore purpureo, & *Fudſj* flore niveo. In urbe *Oſaccâ* & paſſim alibi, diætæ imò areæ viſuntur multorum paſſuum, unius vel paucorum fruticum ſarmentis, ne cœlum appareat, denſè contectas; in quibus florū pendulorum copiâ & peregrinâ pulchritudine oculos nihil magis oblectare poteſt. Intromittuntur hoſpites ad ſpectandum ſoluto paucorum obulorum pretio; qui, ſi ingenio polleant, epigrammate vel elogio, flori uni, qui maximè placebat, appenſo, Floram loci prædicant atque aliis commendant. Curioſi radicem ſtercorant fæcibus cereviſiæ, (*ſacki*) ſic florum ſpicas gignunt longiſſimas, aliquando trium & quatuor ſpithamarum.

Jamma Fudſi. Eadem ſylveſtris, foliis floſculisq; minoribus, ſtylis floridis ſurrectis.

Saru Kake banna. Frutex longis paucisque virgis luxurians, Criſtam Pavonis *Breynii* proximâ ſimilitudine referens, foliis pennatis Glycyrrhizæ vulgaris; thyrſis florigeris pedalibus, ex rubido badiis, tenuibus, floſculorum ambitu pulchrè ſpicatis; pediculis ſeſcuncialibus in quina deſinentibus foliola tenuia, in herbaceum lutea, florem amplexantia; flore pentapetalo luteo, petalis uno brevi, rubeis punctis variegato, & quatuor majoribus ad pollicarem diametrum in crucem expanſis, florem papilionaceum ſitu ac diſpoſitione imitantibus; ſtaminibus decem brevibus incurvis incarnatis, rubro apice intus luteum pollinem fovente decoratis, piſtillo herbaceo nudo.

Sui Sin Kadſira. Clematis altera *Cluſii* flore duplo *Dodon.* in append. ad cap. 18.

In dſin Kadſira. Clematis priori ſimilis, pediculis longis cirrorum in modum intortis, trifoliis; flore hexapetalo albo, medio diſco plenè purpureo.

槿 *Kin*, vulgò *Mukunge.* Malva frutex hortenſis, virgis ſurrectis longis parùm ramoſis, folio auriculato, flore in purpureum cæruleo ſimplici; umbilico in conum exſurgente pinguem carnoſum, faſtigio verrucoſo novi coni ſpeciem exhibente. An Malva arborea Veneta dicta C. *Bauhini?*

Mukunge altera flore pleno cæruleato, petalis denſis criſpis, ſine medio ſtylo vel ſtaminibus.

蓉芙 *Fujoo*, vulgò *Kibatſiſſo.* Althæa arboreſcens, foliis Ficulneis altè laciniatis & ſerratis; Seminali vaſculo tetracocco pyramidali, triunciali, membranaceo, hirſuto, per maturitatem in quatuor fiſſuras dehiſcente. An Malva folio Ficûs profundè laciniato C. *Bauhini?*

葵 *Ki*, vulgò *Awoi*, in ſpecie *Kara Awoi* dicta. Malva hortenſis ſive roſea, vulgo Malva arboreſcens. Cujus plures ſunt varietates ratione colorum.

Ko Awoi. Eadem flore parvo.

Fujò. Roſa Sinica, flore ephemero, mane rubro, poſt meridiem purpuraſcente.

葵秋 *Sjuki*, vulgò *O Renj* & *Kooſo.* Alcea, radice

dice viſcoſâ, folio digitato, flore ephemero pentapetalo magno puniceo. Deſcriptionem vide p. 474.

桐 *Too,* vulgò Kirì & *Nippòn* Kiri, i.e. *Kiri* Japonica. Althæa arbor dipyrena, flore digitalis æmulo.

Arbor ſatis vaſta, caudice aſſurgit craſſo incondito, & in paucos ramos tortuoſos, brachiato. Gaudet *cortice* pingui, glabro, glauco, facilè abſcedente, odoris ac ſaporis leguminoſi ingrati; ligno leviſſimo, firmo tamen & à ſcriniariis pro fabricandis capſulis expetito; medullâ albiſſimâ, magnâ, fungoſâ, adnatâ. *Ramulos* exhibet ſimplices, craſſos, infirmos & fere cavos, ex badio vireſcentes, cinereis verruculis aſperſos, & ad foliorum exortum compreſſos. Hos *Folia* à palmari intervallo ſtipant conjugata, pediculis ſpithamalibus vel longioribus, teretibus, incano pilo hirſutis inſiſtentia; in Plantis tenerioribus luxurioſè magna, magis lanuginoſa & Bardanæ foliis ſimilia; in provectioribus minora, utrinque in auriculas ſinuata, vel in Pampini figuram, obtuſis mucronibus, explicata; tenuia ſunt, mollicula, pauci humoris, ſubtus incana, & ad tactum holoſerica, nervis firmata inſignioribus pluſculis ramoſis, ex baſis centro ad ambitum excurrentibus, ſummo latere depreſſis, ſubtus eleganter prominentibus. Stylis ſpithamalibus & longioribus, craſſis verrucatis adhærent *Flores* alternatim adverſi, pediculis uncialibus facilè deciduis, in imo ſtylo racemoſis, in proceſſu bifurcis ac trifurcis, in calycem lanuginoſum quinquifidum (labiis ovatis) deſinentibus. *Flos* ex cæruleo obſoletè purpureus eſt, intus albeſcens, odoris exigui dulciculi, biuncialis longitudinis, tubuloſus & Antirhini vel Digitalis flori ſimilis, adeoq; ab Altheæ genio degener, quina exerens labia criſpa magna crenata, elegantis & incertæ figuræ, quæ ante explicationem intus latent, velut ſtudio naturæ occul-


桐 Kiri

tata; externa ejus ſuperficies (nonnunquam raro pilo conſpicua) quadantenus eſt ſtriata, ſubtus duabus lacunis inſigniter ſulcata. Piſtillum ſeminali turbini inſiſtit ſemiunciale, teres, extremitate recurvâ, ſtaminibus ſtipatum quatuor, imparis longitudinis, apice pallente, ovato, bivalvi. *Conceptaculum* ſeminale, à cujus charactere nomen mutuavimus, ſeſcuncialis eſt longitudinis, figuræ ex pyramidali turbinatæ, lateribus adverſis, duobus ſubcompreſſis, duobus verò convexis & per mediam longitudinem tenui ſulco in ſcriptis, micans & tactu viſcidum, ſubſtantiæ carnoſæ humidæ, per maturitatem fuſcum, membranaceum & in duos alveolos, tenui albâ membranulâ diſtinctos, dehiſcens. *Semina* alveolis clauduntur ſingula, levi tomento involuta, amygdalæ magnitudinis & quodammodo figuræ, ſuperficie atricolore, ſubſtantiæ carnoſæ unguinoſæ. Oleum ſemini expreſſum, duplex proſtat: unum ſubtilius, nomine proprio *Toi* dictum, cujus perexiguâ quantitate vernix Japonica diluitur; aliud ſpiſſius *Jeko* nuncupatum, quô charta veſtiaria imbuitur.

Decor folii *Kirì* meruit, ut antiqua Cæſarum progenies (quæ poteſtate ſeculari hodie exuta, ſaltem dignitate Pontificali fruitur) pro Inſigni Gentilitio delegerit folium *Kirì* in dorſo conſpicuum, cum prominentibus tribus ſpicis floridis.

桐梧 *Go Too*, vulgò *Go toō Giri*; item, charactere alio, *Téi Too*, vulgò *Fi Giri*, i. e. Ignea *Kiri*, à colore igneo, ſtylos floridos perianthia ac floſculos tingente, dicta. Frutex exotica ex Luconiâ & Coreâ illata, unde & *Rjuke Giri* & *Corèi Giri* appellatur; folio Pampineo, ſurculis in ſtylos floridos ramoſos deſinentibus; flore ſpecioſo, pollicari, ut in Lilio Convallium in ſeriem pendulo, campanæformi, pentapetalo,

藥芍 *Saku Jaku*, vulgo & literatis, it. K*awu Júnkuſa*. Pœonia communis ſeu fœmina, trifolio ramoſo, flore ſanguineo ſimplici.

Eadem flore pleniſſimo incarnato.

Eadem, petalis in medio longis ſurrectis, criſtam referentibus.

丹牡 *Botan*, uſitatè & ad characterem; it. *Fkamiguſa* & *Hatskánguſa*. Pœonia major, ſtirpe ligneo ſurrecto, folio ramoſo, laciniis inæqualiter diviſis.

薇薔 *Foo ſen*, it. K*inſo qua*, vulgò *Ibara*, it. *Igi*, i. e. ſpina, *Igino fanna*, i. e. flos ſpinæ, vel mutuato à Luſitanis vocabulo: *Roſa*. Roſa frutex ſpinoſus noſtras. Non habet eam odoris gratiam, quam in Europa vel Aſia occidentali. Varietates ſunt:

Roſa hortenſis flore pleno albo.

Eadem flore rubro.

Roſa ſylveſtris flore pentapetalo, odore perdulci.

Eadem flore candido.

冠鷄 *Kéï quan*, vulgò K*eïtóge*, quod κατ' ὄνομα ſignificat criſtam Galli. Amaranthus; cujus, ratione florum, varietates hîc ſunt:

Amaranthus vulgaris, paniculis rubris propendentibus.

Amaranthus flore rubro in ſpeciem criſtæ gallinaceæ conglomerato, fronte æquali in ſpithamalem latitudinem extenſo.

Amaranthus flore rubro conglomerato, inæqualiter ad ſpithamalem extenſionem frontato, paniculis quibusdam propendentibus.

Ama-

Amaranthus flore conglomerato, fronte criſtato ſpithamali luteo.

Amaranthus flore conglomerato, fronte criſtato ſpithamali luteo, interſperſis maculis plenè rubentibus ſpecioſè variegato; caule ex luteis ac rubentibus venis ſucciferis ſtriato.

膝牛 *Gooſitz*, vulgò *Jno Kadſitz.* Amaranthus Siculus ſpicatus Bocconi, floſculis pentapetaloidibus albis; ſemine fuſco.

簪玉 *Jokſan*, vulgò *Gibbooſi.* Gladiolus Plantaginis folio; ſcapo ſeſqui ſpithamali recto, extremitate floridâ; floribus (10, 12) Liliaceis vernis, in purpureum albicantibus, ex anguſto tubulo ampullaceis, triuncialibus, in ſenos dentes laciniatis, ſtaminibus totidem, ſtyloque medio repandis. Dicitur aliis *Sagi Juri*, i. e. Lilium *Sagi.*

Gibbooſi altera, folio anguſtiori, flore autumnali.

蘭 *Ran* vulgo & literatis dicta. Iris pumila, radice fibroſâ, folio cubitali arundinaceo, caule tenui ſeſquiſpithamali, flore Ornithogali galeato pentapetalo, trium unciarum expanſionis, in luteum albeſcente, purpureis virgulis ſtriato, ſuaviter fragrante; galeâ brevi pingui aduncâ, labioq; ſubtenſo carinato, obeſo, repando, utroque purpureis guttis punctato. Si conſentiret radix, ad Orchidum familiam referenda eſſet.

No Ran, i. e. ſylveſtris *Ran*, aliis *Jamma Gibbooſi.* Iris radice nonnihil tuberoſâ & fibroſâ; folio caulem imum involvente liliaceo ampliori, (ſeu Iridis Pann. IV. Cluſ.) caule ſeſquiſpithamali, recto pingui, nudo floribus Ornitho-

nithogali ſeu Cynoſorchidis majoribus luteis, in anteriorem partem longâ ſerie propendentibus, pentapetalis; galeâ brevi obeſâ, cavâ ſingularis ſtructuræ, in tria petala muſcæ alis ſimilia terminante. Varietates vidi:

No Ran flore Ornithogali minore luteo, petalorum dorſis rufeſcentibus.

No Ran flore minimo, pollicaris expanſionis, ex purpura minioque variegato, apicibus luteis.

No Ran flore minimo petalis exterioribus tribus herbaceis concavis ſtriatis, interioribus luteis, purpureâq; in dorſo ſtriâ ſignatis. Dicitur etiam *Sáſſa Rindo.*

Sju Ran, Helleborine anguſtifolia paluſtris ſive pratenſis. *C. Bauh. P.*

蘭風 *Fu Ran* literatis & vulgo. Iris pumila aërobia, flore cucullato albo, monococco, ſemine pollinem referente.

Iridem hanc perennem, quæ in rupium arborumq; muſco habitare amat, aërobiam appello, quia in aëre ſuſpenſa ex vento vegetari creditur. Frequens ante fores in ſuperliminaribus ædium, neſcio ex qua vulgi ſuperſtitione, ſuſpenſa cernitur, in faſciculo cum caulibus & foliis compacta; quæ, licet radice & nutrimento orbata, flores tamen, quos in gemmis fovet, unà cum ſemine producit; deinceps non paritura ampliùs, vitam tamen cum virore annis aliquot ſervatura. Sobolis amans funiculos per terræ ſuperficiem educit breves, tenues, geniculatos; quibus, quâ parte radiculas agit, novam plantam generat; idem nonnulli caules (quamvis in caſſum) agitant, demiſſis ex loco geniculorum radiculis, queîs terram captare geſtiunt. *Radiculis* gaudet


Icon ex Herbario
Japon Kinmodſjui
凮蘭

det fibroſis, denſis, tenuibus & tenſis, palmaris circiter longitudinis, ex pallido albicantibus. *Caules* ad baſin cohærentes ex radicum faſce conſurgunt pluſculi (5, 10) ſpithamales, pennam anſerinam craſſi, ex unciali intervallo in ſpeciem caudæ ſcorpionis geniculati; geniculis ipſo caule ſtrictioribus, articulis ſtriatis, obſcurè viridantibus ac micantibus, carne ſucculentâ fartis, ſaporis unguinoſi, ſalivam pingui & purpuraſcente muco, imbuente. *Folia*, amiſſis floribus, caules circumnaſcuntur arundinacea, anguſta, pedalia, ſtriata, pinguia, fronte per medium tenuiſſimè carinato; Folia quædam non rarò caulium geniculos atque ipſa faſtigia occupant, ſed breviſſima & vix pollicem longa unum vel duo. In faſtigiis caulium, quos folia deſtituunt, *Flores* menſe Majo gemini, terni, vel plures proveniunt, pediculis ſingulis, uncialibus, tenuibus, ſurrectis, nonnihil incarnatis conſiti, nudi cucullati, phaſeolorum floribus æmuli, ſeſcuncialis longitudinis, ſenis laciniis ſive petalis conſpicui, ex incarnato candicantes; cucullâ (ad quam pediculus inſeritur) retroductâ, magnâ, gibboſâ, cujus in umbilico galea proſtat purpureis punctis adſperſa & quatuor apiculis luteis, laxè compactis ac communi carnoſo operculo clauſis, conſpicua. *Vas ſeminale* flores ſingulos, velut in Narciſſo, excipit monococcum, figuræ inæqualiter turbinatæ, longitudinis uncialis, carnoſum, virens, tribus ſtriis eminentibus inſignitum, interiori ſuperficie rugoſâ: polline refertum albo, in luteum languente.

Parilis genii Plantas duas Bataviâ mihi transmiſit ſingularis amicus meus D. *Nic. Möllerus*, quas placet inter Japonicas recenſere, velut adoptivas & proſperè hîc vigentes. Sunt autem ex paraſitante illuſtri proſapiâ *Angurèk*, quæ flores gignit figuræ beſtiolarum & in arboribus alienâ quadrâ vivit, in vaſibus etiam coli patiens. Hujus mihi Flora Javanica exhibuit ſpecies quinque, omnes

omnes ſtructuræ elegantiſſimæ, alias odoris inſuper ſuaviſſimi: quarum 1. vocatur *Angurèk warnà*, id eſt, *Angurek* verſicolor, à coloris varietate; altera ſpeciali gaudet nomine Luſitanico *Fouli paſſer*, ob paſſerculi volantis figuram, quam flos exhibet; à *Bontio* (ni fallor) dicta *Sedum arboreum flore Anagallidis, odore aromatico citri æmulo*, quô nihil in vitâ gratius naribus percepiſſe ſcribit. 3, *Angurek Mungo*, ex ſimulacro ſtyli floriferi, qui munci ſeu muſtelæ caudam, explicatis pilis erectam, florum ſtipatione refert. 4, *Angurek de Sáïva*, Javanis *Sompù* nuncupata, radice bulboſâ. 5, *Angurèk fouli lacra*, i. e. flos ſcorpionis ex figurâ ſuâ, Javanis *Katong' ging* appellata. Omiſſis ceteris primam atque ultimam hîc locabimus.

Angurèk Warnà. Herba ſcandens paraſitica, folio arundinaceo, flore variegato hexapetalo, papilionem volantem exprimente, proboſcide brevi.

Radice gaudet fibroſâ, ſi arborem occupet, brevi ac rarâ; caule conſtat ſimplici vel parum ramoſo, tereti, pleno, lento, qui ad arboris ſuperficiem capreolis viſcoſis leviter ſe applicat, tardoque incremento adſurgit. *Foliis* donatur raris arundinaceis, craſſis, duris & anguſtis; quorum è ſinu *Stylus* emergit ſeſquiſpithamalis, in vaſibus ex ſucco terræ rigidus & ſurrectus, in arboribus (intermiſſâ irrigatione) pendulus, floribus unciali intervallo diſſidentibus ſpicatus. *Flos* ſeſcunciali tenui pediculo inſiſtit, pallidus & nonnunquam in herbeo albicans, ex quinque petalis, roſtro ſive proboſcide, atque ei oppoſito cucullo compoſitus. Petala in planam papilionis quodammodo figuram expanduntur, oblongo-ovata, uncialia vel longiora, unâ ſtriâ purpureâ per mediam utriusque lateris londitudinem excurrente, punctisq; purpureis plurimis variegata. Pro-

 boſcis

boſcis pediculo in rectâ lineâ opponitur anguſta, carnoſa, ſuperno latere incurvâ & cylindraceâ, inferiori plana, punctisque minutiſſimis ſcatente. Cucullus ei obverſus & ſuppoſitus extremitatem habet deorſum reflexam, in aliis plantis integram, in aliis inſigniter ab utroque latere crenatam, intus purpureis maculis guttatam, umbilico pingui carnoſo, & dehiſcente rimâ mediâ diviſo. Florem excipit *vaſculum ſeminale* tricapſulare, cujus ſemen non venit mihi in conſpectum. Flos pro cultoris ſtudio maximè variat elegantiâ & magnitugine.

كتڠكيڠ *Katong' ging* Javanicè, vulgò & Luſitanicè *Fouli lacra.* Herba paraſitica, folio arundinaceo, flore ſcorpionem referente, odore moſchi.

Habetur hæc planta apud Javanos in deliciis & magno ſtudio colitur; tum ob floris eximium odorem, quem ſpirat, moſchi, tum ob ſingularem elegantiam & figuram ſcorpionis, quam exhibet: ex quâ à Luſitanis illuc olim advenis *Fouli lacra*, i. e. flos ſcorpii appellata eſt, nomine hodiè apud vulgum & Belgas, in Inſulâ commorantes, uſitato. Planta creſcendi modo, caule ac totâ figurâ à priori non differt: *Folia* ſaltem paulò breviora ac latiora habet. *Flores* maximè diverſi ſunt, & ſtylum ut majores, ita pauciores occupant. Obtulit mihi Ill. Dn. Gen. *Outhorn*, ex amœniſſimo horto ſuburbano ſuo ſtylum floribus decoratum omnino ſeptem, omnibus explicatis; ſpectaculo ſanè jucundiſſimo, ut negem quicquam elegantius & admiratione dignius in regno vegetabili me vidiſſe. Audivi, qui in uno ſtylo ſe vidiſſe flores duodecim teſtati ſunt. Eſt autem *flos* pentapetalus, coloris citrini, maculis purpureis magnis elegantiſſimis denſè variegatus; petalis biuncialibus, pennam anſerinam latis, rigidis, pinguibus, extremitatibus


Angurek Katong-ging
Angurek warna

tibus paulò latioribus, frontatis, & quodammodo repandis. Ex petalis unum medio loco poſitum ceteris longius eſt, & in rectam lineam, exemplo caudæ ſcorpii, extenſum; cetera utrinque duo in lunarem figuram à caudâ decurrunt, quaſi pedes repentis ſcorpii expreſſura. Caudæ opponitur proboſcis brevis & incurva, pennâ anſerinâ craſſior, ſuperiùs teres, inferiùs concava & purpurea, eo ſitu locata, ut referre beſtiolæ caput videatur. Arguta hujus ſtructura eſt; baſis tribus decorata ambientibus laciniis, brevibus ſurrectis, inter ſe difformibus, in exortu connatis; faſtigium operculo tenui concavô purpureo clauditur; eoque dempto comparet caruncula pyramidatæ figuræ, apice duobus globulis ſtipato. Odorem flos moſchi exquiſitiſſimum atque adeo copioſum ſpargit, ut unicus ſtylus floridus totum conclave impleat. Qui verò odor, quod maximè mireris, in extremâ parte petali, caudam referentis, reſidet; quâ abſciſſâ, omnis ceſſat odoris expiratio. Cultura hujus plantæ ſingulares habet cautiones, in translatione, putatione & irrigatione curioſè obſervandas. Gaudet præ ceteris conſortio arboris *Pinang;* ad cujus caudicem quædam ſarmentorum portio alliganda eſt, applicatâ imæ parti terrâ vel ceſpite, cujus præſidio acquirit radiculas.

石荷 *Sekika*, vulgò *Kiſinſo*, it. *Jukinoſta.* Saniculæ peregrinæ ſpecies piloſa, umbilici Veneris facie, folio Cyclaminis eleganter variegato, caule ſeſquipedali, floſculis in longitudinem conſito plurimis, (10, 20) pentapetalis, miniatis, veſpam extenſis pedibus volantem exhibentibus.

Sjirè, rectiùs *Sjirói* & *Oſjiroi.* Lilium album, Calthæ paluſtris folio, caule ſeſquicubitali pingui, floribus in

in faſtigio paucis triuncialibus, parum dehiſcentibus, petalis anguſtis, interius punctim miniatis.

Jamma Oſjiroi. Eadem planta ſylveſtris, pediculis foliorum longis canaliculatis caulem amplexantibus, folio tribus lobis ſpithamalibus digitato.

合百 *Biákko*, vulgo *Juri.* Lilium album vulgare odoratum noſtras.

Sazuri. Lilium flore candido monopetalo prioris facie, ex tubo unciali in ſena labia expanſo.

巻丹 K*entan*, vulgò *Oni Juri*, i. e. Lilium diaboli, aliis *Jamma Juri*, i. e. Lilium montanum ſive ſylveſtre. Martagon caule cubitali pingui; gemmis in ſinu foliorum piſi magnitudinis; flore ſpecioſo palmaris expanſionis, maculis tuberculisq; ex minio puniceis, ovatis, atro-purpureis, ſericeis denſè guttato; radice bulboſâ, ob copiam oleraceâ.

合享 *Kasbïako*, vulgò *Konókko Juri*, i. e. Lilium verſicolor, it. *Coreì Juri*, i. e. Lilium ex Coreâ. Lilium Martagon priori ſimile, caule cubitali tenui, folio Sigilli Salamonis; flore magnificæ pulchritudinis in incarnatum candicante, guttis ſanguineis holoſericis verrucato, petalis in orbem repandis, undulantibus, & in apicem ſemipollicarem carnoſum terminantibus, ſtylo prælongo medio, ſtaminibusque quinis, apice ſemiunciali rufo in transverſum incumbente, capitatis.

丹山 *Santan*, vulgò *Fïme Juri.* Lilium quaſi cruore infectum; caule pedali, foliis anguſtis ſpicato.

Idem ſ. Corona Imp. fl. pumilo puniceo ſanguineis punctis decorato.

Fi Juri

Fi Juri, i. e. Lilium igneum. *Idem* fl. magis rubente.

石蒜 *Seki ſan*, vulgò *Sibito banna*, aliis *Doku Symira*, i. e. venenoſa *Symira* ob bulbum venenoſum dictus: Narciſſus Japonicus flore rutilo *Cornuti.*

Kui Symira, id eſt, *Symira* edulis. Aſphodelus, caule pedali ſtriato, floribus hexapetalis purpuraſcentibus denſiſſimè ſpicato.

射干 *Jakan*, vulgò *Karáſu oogi* & *Fi oogi.* Iris flore liliaceo parvo puniceo, punctis ſanguineis intus aſperſo. Ejus ſpecies eſt

Siaga. Eadem montana flore pleno albo, nonnunquam ex cæruleo diluto.

Dandoqua. Canna Indica latifolia maxima fl. rutilo.

Sjigóguſa. Iris vulgaris, cujus ratione florum diverſæ ſunt ſpecies vel varierates.

藺馬 *Farín*, vulgò *Buran*, it. *Reſo Kjoſa.* Iris hortenſis alba Germanica C. B. P.

Eadem montana flore parvo albo.

萱 *Ken*, vulgò *Quanſo* & *Waſrigûſa.* Iris hortenſis latifolia, flore pleno magno coloris ignei.

Kaki tſubatta. Iris hortenſis fl. pleno violaceo.

Eadem anguſtifolia, flore pleno cæruleo.

Eadem latifolia, flore ultramarini coloris, croceis punctis variegato.

Fanna

Fanna Sſob. Iris flore in purpureum rubente.

尾[illegible]鳥 *Sſibi*, vulgò *Itz fatz.* Iris pumila, flore magno pleno. Nomen habet à multitudine dierum, quibus floret.

仙水 *Sſiſèn* vulgo & literatis. Narciſſus montanus major polyanthos albus.

Idem montanus polyanthos minor.

剪春羅 *Sen ſjun ra*, vulgò *Ganpi.* Lychnis coronaria, flore in herbaceum albicante, ſuperficie qs. ſericâ, petalis dentatis, apiculis cinereis.

Eadem flore albo.

翁仙 Literatis & vulgo *Senno.* Lychnis coronaria, foliis calycibusq; lanuginoſis, flore dilutiori ſanguineo, petalis laciniatis, apicibus colore violaceo ſaturatis.

翁仙[illegible] *Fuſji guro.* Lychnis coronaria, caule geniculato, geniculis obſcurè purpureis, ex quibus ei nomen natum eſt; flore minori, coloris miniati, petalis integris. Dicitur etiam *Fjugo Senno*, à provinciâ natali.

Mokokf. Arbor folio Telephii, flore pentapetaloide fragrantiſſimo, fructu ceraſi facie, ſemine reniformi.

Arbor eſt mediæ magnitudinis, caudice recto æquali & ſurâ craſſiore, ramis ſurculisq; denſis, brevibus, grandiculis inordinatè folioſis. *Folia* habet Telephii vulgaris duriuſcula, margine integro, nonnunquam circa finem languidè crenato; pediculo brevi, pingui, ſubrubente. *Flores* menſe Julii per ſurculorum longitudi-


Mukokf

nem effundit, pediculis in quina labia rotunda terminantibus, copioſos, ſingulos, ephemeros, ac poſtero mane deciduos, diſcoides, monopetalos, quinque labellis orbicularibus, in planum expanſis, ad unguis amplitudinem radiantes, pingues, pallicantes, odoris Leucoji lutei fragrantiſſimi; diſco ex apiculatis ſtaminibus (40, 50) breviſſimis conferto, manè luteo, mox rufeſcente. Florem *fructus* excipit, ceraſi facie ac magnitudine, albicans, alterâ facie incarnatâ; carne albâ, ſiccâ friabili, ſaporis nonnihil amari & ſylveſtris: quæ, per maturitatem dehiſcens, *Semina* exerit tria quatuorve, calyculi umbilico ſingulis fibris, amiſſo licet pericarpio, adhærentia, reniformia, coloris coccinei, cicerum magnitudinis, compreſſa, dura, cortice valido coccineo veſtita, ſaporis ſubamari & leviter adſtringentis.

菜菫 Kin*ſai*, vulgò *Súmire.* Jacea tricolor, ſive flos Trinitatis.

萩 *Sju*, vulgò *Fagi.* Cytiſus, folio Anagyridis, flore purpureo in virgulis ſive ſpicis tenuibus ſtriatis ſito, ſiliquis pumilis anguſtis.

萩草 *Tſoo ſju*, vulgò S*ſo Fagi*, id eſt, Herba *Fagi;* Herba hortenſis cubitalis, Hyſſopi vulgaris facie, inodora, flore hexapetalo purpureo.

菊 Literatis & vulgo *Kik*, *Kikf* vel *Kikku*, i. e. Matricaria, huic etiam *Kawara Jamógi* dicta; (*Jamogi* Artemiſiam ſignificat) Cujus cum ſylveſtris tum præcipuè hortenſis, plurimæ ſunt varietates, nullam non anni partem florum ſpecioſiſſimorum copiâ exornantes; unde palmarium in hortis urbanis decus conſtituunt.

No Gikf, id eſt, Matricaria campeſtris, vulgaris Europæa, flore toto luteo, parvo, odoris eximii.

鷄 菊 K*eitſjo*, vulgò *Jomèga Fagi*, in ſpecie ſic dicta; Matricaria ſylveſtris per æſtatem in ſerum usque autumnum florida; folio pinguiori, longo, anguſto, quadantenus aſpero; flore ex cæruleo purpuraſcente, nonnihil odoro; ſemine majuſculo oblongo compreſſo villoſo, pappo brevi tenaciter inhærente.

Ko Gikf, ſeù *Joméga Fagi* altera ſylveſtris, procumbens, caulibus tenuibus brevibusque, flore minori. Hæc ſpecies inter olera recipitur dum tenella eſt, & tum vocatur *Fágina*.

Matricaria ſylv. fl. autumnali pleno, toto aureo, diametri vix pollicaris, petalis marginalibus oblongis, latis, ovatis & plicatis.

Sſo ſjo, vulgò K*o Gikf*, i. e. Matricaria parvula hortenſis, folio ſimplici majuſculo; fl. nonnihil cæruleo.

Matricaria hortenſis fl. duplo ex luteo rubeoque variegato, diametro unciali, diſco exiguo luteo, petalis (200) oblongis frontatis, plicatis, & in planum expanſis, ita ut breviores exterioribus ſubinde longioribus preſſè accumbant.

Matricaria hort. fl. ex luteo rubeoque variegato pleno, majori, diametri triuncialis, ſine umbone medio.

Matricaria hort. foliis latioribus fragrantibus; flore inodoro aureo pleniſſimo, roſæ provinciali Centifoliæ dictæ magnitudine ac figurâ ſimilis, ſine diſco.

Matri-

Matricaria flore albo variæ magnitudinis, ſine diſco medio.

Matricaria flore plenò, nonnihil incarnato, biunciali, ſine umbone.

Matricaria fl. in purpureum rubente, cum diſco mediocris magnitudinis.

Matricariæ ſpecies valde ramoſa, floribus ſingulis cõpioſiſſimis, obſcurè ex coccineo rubentibus, diſco unciali flavo.

Matricaria flore pleno albo, petalorum extremitatibus purpureis, ſeſquiuncialis diametri, quibus tubuli breves lutei intermixti ſunt.

菊丈 *Dſio Gikf*, vulgò *Tengai ſanna.* Solis flos Peruv. *Lob.* Chryſanthemum Peruv. *Dod.* Helenium Indicum maximum *C. Baub. P.*

楠石 *Sekki nan*, vulgò *Sákŭ Nange.* Frutex perennis orgyjam altus; foliis ſurculos per intervalla ambientibus, anguſtis, palmaris & ſpithamalis longitudinis, pinguibus, dorſo argenteo, margine integro, ex pondere dependentibus; Floribus liliaceis incarnatis, uno faſciculo pluribus (10, 15) in ſurculorum extremitate ex communi ſquamoſo utre prodeuntibus, monopetalis, in ſeptena ampla rotunda labia, ſeſcunciali amplitudine, eleganter divaricatis.

Eadem planta flore albo.

Eadem flore rubro minore.

覆旋 *Sen fúkŭ*, vulgò *Ogúruma.* After luteus, caule

caule ſeſquicubitali lanuginoſo ramoſo; folio Perſicariæ ſiliquoſæ proximo, orâ raris papillis fimbriatâ; flore uncialis perimetri, barbulis longiuſculis crenatis.

Obai ſeu **Robai.** *Jaſminus flore pleno ex ſuavi fœtido, fructu turbinato, ſemine phaſeoli.*

Frutex Nanquino primum adductus in hortulis ob pulchritudinem colitur. *Cortice* gaudet tenſo, badio; ligno exiguo, infirmo; medullâ copioſâ; ſurculis inordinatè ramoſis, tenuibus: quos *Folia* brevibus carinatis pediculis denſe ſtipant, alternatim adverſa, ex baſi nonnihil acutâ in longiuſculum acutiſſimum, ac in alterutrum latus reflexum mucronem languido arcu producta, longa ternas, lata ſeſquiuncias, venis unâ mediâ & ab eâ ſucceſſivè obliquantibus ramoſis lateralibus deſcripta, tenuia, nonnihil aſpera, utrinque micantia, in dorſo languidiùs virentia, margine integro. *Flores* exiguo pediculi rudimento, menſe Februarii ante folia prodeunt, ſquamis petaloidibus in badio luteolis imbricati, languidè flaventes, pleni, & ex duplicis ſtructuræ petalis conflati: quorum exteriora ut plurimum ſunt octona, majuſcula, ſemipollicaria, anguſta, mucrone obtuſo, in orbem ceraſini fructûs obliquè radiantia; interiora totidem vel plura diverſæ magnitudinis, minora, ſcutiformia, punctis ſanguineis aſperſa. Medium ſtylus occupat brevis pyramidatus, quinis in faſtigio apicibus ex luteo albentibus capitatus; odor flori eſt violaceus, & gratus ſi rarò olfacias, moleſtus ſi crebrò; ſapor quodammodo ex Petaſitide tetricus, guttur impetens. Florem *vas ſeminale* excipit, ex duplici tunicâ membranaceâ conſtructum, ſeſquiuncialis longitudinis, ex principio oblongo anguſto turbinatum, umbilico magno, patulo, crenato, ſuperficie ſquamatim ſignatâ, per maturitatem rugoſâ & obſoletâ, coloris pulli.

Semi-

Obai Robai ローウバイ



Semina, tabeſcente pulpâ, laxè continet quina vel ſena atro ſpadicea, oblonga, umbilicata, phaſeolorum Braſilianorum facie, nonnihil compreſſa, teretia vel anguloſa, duplici tunicâ, exteriori durâ membranaceâ, alterâ tenui molli albeſcente, veſtita; ſubſtantiæ albæ farinulentæ, carnoſæ, oleoſæ, ſaporis unguinoſi, ex ſubamaro dulcis.

蓮 *Ren* literatis & vulgo, huic item *Hatſis*, & per Indiam *Taraté* dicta: Nymphæa Indica; ſive Faba Ægyptiaca *Proſp. Alp.* Planta paganis ſacra, cujus flore aras Fanorum exornant; eidem inſidentes expingunt Deos, ac pias morientium animas cœlum petere docent. Caules (inter olera recepti) miræ longitudinis ſunt: extraxi è paludibus Siamenſibus geminam orgyiam & ampliùs ob profunditatem longas; quandoquidem radix fundo implantata jacet, prælonga, in transverſum extenſa, brachii craſſitie, ex longis intervallis geniculata & fibroſa, fibris genicula verticillato ſitu occupantibus.

蓬萍 *Feiſo*, vulgò *Kawa bone.* Nymphæa lutea major *C.B.P.* folio in acutum mucronem excurrente.

莽鼠 *Somo*, vulgò *Skimmi*, *Fanna Skimmi* & *Fanna Skiba*, vel κατ' ἐξοχὴν *Fanna*, i.e. Flos dicta. Arbor ſylveſtris, cortice aromatico, folio Laurino, flore Narciſſino, ſemine Ricini, capſulis octonis, ut in Evonymo in orbem concretis.

Arbor ſylveſtris, caudice recto ramoſo ad Ceraſi altitudinem conſurgit; cortice obvoluta obſcurè cinereo vel pullo, libero viridi carnoſo nonnihil mucoſo, ſaporis cum exiguâ adſtrictione aromatici. Lignum exhibet rufum, durum, fragile, medullâ paucâ fungoſâ, coloris



Ttttt

loris herbei. Surculos ſpargit ex uno loco pluſculos, breves,pingues,obſcurè virentes; Foliis ſtipatos copioſis, in orbem conſitis, triuncialibus, Laurino folio ſimilibus, ſed mollioribus, nervis paucis &, præter medium, ob folii pinguedinem vix conſpicuis. *Flores* pediculis teretibus ſemiuncialibus ex albo purpureove herbaceis inhærent, per ſurculorum extremitates conſiti, ferè ſinguli, eminus quodammodo Narciſſum referentes, extenſione pene ſeſcunciali, ex pallido albicantes,ex ſedecim duplicis ſtructuræ petalis compoſiti, videlicet octonis in oblongum ovatis, plerumque in cymbali figuram incurvatis, & totidem per eorum interſtitia exporrectis anguſtis acutè lanceatis; quibus ad pediculi inſitionem loco perianthii quaterna ſubſunt petala breviora,plerumque imperfecta. Pediculi extremitas in floris umbilico prominens in octonos ſulcos decuſſatim ſtriatur, quos nullis nixi ſtaminibus apices ambiunt circiter viceni, lutei oblongi ſurrecti bifidi. Dilapſis petalis pediculi crenæ in ſiliquas ſive capſulas ventrioſas figuræ falcatæ extuberant, in faſtigio quaſi aculeatas, cetera Euonymi ſeminalibus vaſculis ſimiles & in orbem pollicaris diametri diſpoſitas & concretas, coloris herbacei, ſubſtantiæ fungoſæ ſuccoſæ. Ex his ſæpenumero capſulæ aliæ contabeſcunt & caſſæ ſunt, reliquæ membranâ validâ arctè involuta claudunt *Semina* ſingula, grani pomi figurâ, & Ricini ſemini non diſparia, in pallido ſplendentia; quæ, fractâ, quâ teguntur, corticulâ duriuſculâ, nucleum exhibent album carnoſum mollem, non dividuum, ſaporis vapidi.

Præſentiâ hujus arboris delectari Deos docent *Bondſi* ſive ſacerdotes Sinæ & Japoniæ, id quod de arbore *Budumghas*, Benjanis *Bipèl* dictâ, affirmant Brahmenes: inde facta ex ramulis ſerta & faſciculos ante idola exponunt; eademque ſepulchris impoſita piis Manibus litant. Cortex in pulverem redactus excubitoribus publicis ſervit

pro

pro fomite, quô canaliculis cineri impreſſis inſperſo, & ad certum ſpatium lentâ ſcintillatione depaſto, tempus dividunt & publico campanarum pulſu horas indicant. Chronometrum hocce, in pedali ciſtâ includitur, cujus brevitatem compenſant plurimi canaliculārum anfractûs. Accenſus fomes ne impariter gliſcat, aër clauſâ capſulâ arcetur; relicto foramine, per quod fumus tranſeat. Idem pulvis, in altaribus ex vaſis æneis gliſcens, pergrato ſuffitu idola creditur reficere. Notabile eſt, ramulum additum decoctioni piſcis venenoſi **de opblaſer** Belgis dicti (ſi à veneno repurgetur piſcium delicatiſſimi) venenum multis gradibus exaſperare; quod citiori morte docent αὐτόχειρες.

CLASSIS V.

Plantæ Miſcellaneæ.

松 *Sjo*, vulgò *Maatz*. Pinus in genere: cujus variæ ſunt ſpecies & appellationes, ratione numeri foliorum ex unâ thecâ prodeuntium; tum eorundem ſitûs & figuræ. Ex quo aliæ dicuntur *Fuſji maatz*, *Aka maatz*, *O maatz*, *Me maatz*, *Gojono maatz*.

Sëoſi, vulgò *Kara maatz Nomi*. Larix conifera, nucleis pyramidatis, foliis deciduis.

子松 *Moro*, al. *Sonoro maatz*. Juniperus arboreſcens, baccis Sabinæ.

Fi moro. Juniperus Julifera, julis ſquamoſis, croceo polline refertis, baccis Sabinæ anguloſis.

杉 *San*, vulgò *Sſugi*. Cupreſſo-Pinolus reſinifera, fru-

fructu ſphærali ſquamoſo, pruni magnitudinis; ſeminibus paucis oblongis compreſſis, ſtriatis, ſpadiceis.

Nankin Sſugi. Juniperus Barmudiana *H. Bat. Herm.* quæ ex regni Sinæ provinciâ *Nankin* invecta, ob pulchritudinem colitur.

Sſugi bjakkuſi, aliis *Tatſj bjakuſj.* Arbuſcula foliis muſci terreſtris acuminatis.

Faijo Sſugi. Sabino ſimilis arbor paucarum orgyjarum; cymis in gemmas ſquamoſas ſtrobulis ſimilimas deſinentibus.

栢圓 *Jempak*, vulgò *Ibuki.* Juniperus arbor Cupreſſi facie, odore partium tetrico Sabinæ.

檜 *Quai*, vulgò *Fi no ki* & *Ibuki.* Cupreſſus, ſucco imbuta pingui viſcido aromatico, odorem Juniperinum ſpirante, fructu verrucoſo parvulo, piſi magnitudinis.

Fi no ki altera. Cupreſſus vulgaris noſtras, foliorum odore balſamico; fructu ut plurimum quina ſemina, tritici grano ſimilia, continente.

柏 *Fakv*, vulgò *Kaſiwa.* Arbor mediocris, luxurioſè folioſa, foliis Lapathi, ſurculis in ſpicam floriferam ramoſam ſpithamalem terminantibus; floſculis ſtamineis albidis, in orbem ad piperis & piſi magnitudinem radiantibus; fructibus echinatis.

San Kakſo. Ariſtolochia Clematis, immenſum ſcandens ac repens, flore ſtriato & variegato.

Sen-

僊人草 *Senninſſo* vulgo & literatis, i. e. Herba eremitarum. Clematis, caulibus ad rectum angulum alternè adverſis, geniculis purpuraſcentibus; folio Ariſtolochiæ, ſaporis acerrimi; flore racemoſo tetrapetalo albo, odoris Lilii convallium ad pollicarem ambitum extenſo, multis ſtaminibus referto; ſemine quaterno nudo, Aniſi magnitudinis.

Tſto méguſa. Sedum minus, folio acuto, flore luteo. Sedum minus hæmatoides I. *Tabernamont.* Sempervivum III. *Dioſc.*

Gendſjino Kubi *tſugi.* Telephium vulgare. Craſſula major ſive Fabaria *Dodon.*

Tſitó méguſa. Sedum minus repens, flore luteo. Craſſula ſive Telephium minus folio compreſſo *Dodon.*

膚地 *Tſiſu*, vulgò *Fawa Kingi*, it. *Niwá guſa* & *Fooki guſa*, i. e. verriculum. Scoparia ſive Belvedere Italorum. Inſigne Japonibus medicamentum præſtat.

Fudſi bakama. Verbenæ folio ac facie herba, caule tereti purpureo, in floſculorum umbellas ſive faſciculos deſinente, floſculis ſquamoſo longo perianthio tunicatis, grani ſiliginei magnitudinis, ex purpurâ candicantibus, pentapetalis, intus villos tubulosq; foventibus; ſemine anguloſo, Carvi magnitudinis, furvo, inſigniter amaro.

Eadem caule & flore albo.

Ominamiſj, it. *Sjiro banna*, i. e. flos fœminarum ob ſui decus appellata herba, Verbenæ facie ac folio; caule tereti ſtriato, decuſſatim ramoſo; ramis in plu-

res floſculorum umbellas & faſciculos deſinentibus; floſculis Sambuci puniceis, ſemine aniſi magnitudinis ovato, compreſſo, foliaceo.

尾虎, *Tôbi*, vulgò *Taranoo*, i. e. Cauda Draconis, Herba, denſis inordinatisque foliis, ſurculisq; in ſpicas floridas deſinentibus & arctè circa caulem (cubitalem) ſurrectis, caudam quaſi Draconis referens; folio triunciali anguſto paucis longisq; dentibus inæqualiter ſerrato; ſpicâ medii caulis ſpithamali & longiori, pedetentim effloreſcente, floribus ſolitariis denſiſſimis, ex cæruleo albicantibus, tubulatis, præparvis, in quatuor labella laciniatis; ſeminali vaſculo cordato, compreſſo, bivalvi, ſemine minutiſſimo.

七重草 *Sitſiſu ſſoo*, vulgò *Sſuſu Kaki*, i. e. Nola ſuſpenſa, ita dicta Herba ex verticillatâ diſpoſitione florum; quòd ſeptimum & ſupremum verticillum explicando, intereat. Marrubium caule cubitali ſurrecto, quadantenus terete & ramoſo; floſculis denſiſſimè compactis, & uni in ſingulis foliorum axillis racemo, inſtar verticilli caulem amplexante, inſidentibus; verticillis magnis, ſemicircularis rotunditatis; floribus Lavendulæ florum magnitudinis ex cæruleo dilutis, circa umbilicum fiſtuloſis, in progreſſu dentatis & galeatis; vaſculo ſeminali tetracocco, ſeminibus oblongis anguloſis inſtructo.

Sitſiſûſoo altera, odorem Aniſi ſpirans; Folio Meliſſæ in longum mucronem deſinente; caule quadrato, floſculorum denſis racemis verticillatâ diſpoſitione & ſine foliis intercedentibus ſpicato; verticillis plerumq; octonis, umbellæ formam referentibus, ultimo in jubam ſurre-

ſurrectam conoidem frontatam uncialis longitudinis terminante; Flore parvulo ex purpurâ cœruleo tubulato, in quatuor vel quinque lacinias diviſo, Aniſum, ſi confricatur Ocimum, quadantenus ſpirante. Seminibus in umbilico calycis (quinis dentibus crenati) incerto numero (2, 3, 4) paucis nudis ovatis, compreſſis, rufis, parvulis, languidum aniſi ſaporem præbentibus. Sive: *Ocimum aniſatum.*

Tſioſiguſa. Verbena, folio in imo plantæ ramoſo vel quodammodo pinnato; ſtylo ſpithamali, flore Salviæ, verticillatâ diſpoſitione denſè ſpicato, ſemine quaterno.

蔦 *Tſjoo*, vulgo *Tſta.* Hedera; item *Fon Tſta*, id eſt, Hedera legitima; radicularum vermiformium viſco, ac capreolorum tenerrimorum ope, longè latèq; ſcandens; folio Pampineo deciduo; corymbis, quos ungue tegas, parvulis; baccis oblongo-rotundis, carnoſis; ſemine Apii minoribus, in transverſum dividuis.

Fotogi Tſta, i. e. Simulacri ſeu idoli Hedera. Hedera arborea communis baccifera.

In Tſta, i. e. Hedera lapidea, ita dicta, quòd ſaxis inhæreat, lacteſcens, aphylla; radice lignoſâ, denſiſſimis fibris capillatâ, folio Numulariæ cordato lacunoſo perenni.

Tſta Mongira, i. e. Hedera repens, item *Mame Tſta*, i. e. Hedera fabacea, ex figurâ folii dicta: Parvula, humi ſuperficiem perreptans, Numulariæ minoris folio: ſtylis ſingularis ſtructuræ ſurrectis, biuncialibus, Filicum more dorſiparis.

雪積 *Sakuſetz*, vulgò K*akidoro*, it. *Tſubóguſa.*

guſa. Aſarinæ *Plukkenetti* ſimilis. Herba repens, Hederæ terreſtris facie ac folio; floſculis ex imo caule inter folia naſcentibus ſingulis, perparvis, hexapetalis, purpureis; ſeminibus tenui cuticulâ obvolutis tribus, rotundis, compreſſis, in orbem junctis.

棠海秋 *Sjukaido*, i. e. autumnalis K*aido*, vulgo & literatis. Acetoſa cubitalis, ſucco acerrimo, caule pingui ramoſo, geniculato; folio Petaſitidis, pingui, acutè ſerrato; racemis ſurrectis floridis; flore tetrapetalo incarnato ſingularis & admirabilis ſtructuræ.

漿酢 S*aſjo*, vulgò K*atabámi* & *Simmóguſa*. Trifolium acetoſum corniculatum *C. Bauh. P.* Oxytriphyllum flore luteo *Dodon.*

跖鴨 K*oo Sèkì*, vulgò S*kiguſa* & *Tſuguſa*, aliis etiam *Aſango.* Ephemero Coraſſavico procumbenti amphicarpo *P. Hermanni* ſimilis. *Parad. Batav. p.* 146. Herba annua repens, folio Lilii convallium anguſto, flore matutino cæruleo, floris Trinitatis facie, dipetalo, ad purpuræ tincturam ab infectoribus expetito. *Sive:* Ephemerum dipetalum Japonicum.

Skiguſa è pugillo radicularum fibroſarum fuſci coloris, cauliculos ad cubitale & amplius ſpatium ſpargit paucos, rotundos, repentes, culmum avenaceum craſſos, geniculis purpuraſcentibus; ex quibus ſinguli eriguntur cauliculi alii, palmares & ſpithamales, folioſi & florigeri, ſubtus emiſſis funiculis, quibus, ceu novis radiculis, apprehenſo ſolo, ſtirpem nutrit ac promovet. *Folium* pediculi exſors, baſi canaliculatâ ſemi pollicari ſtriatâ cauliculum amplectitur, cetera folio Lilii convallium ſubſtantiâ colore & figurâ æmulum ſed paulò minus


鴨跖
Semina nuda.
Vaſculu ſeminale diſſectum.

nus, anguſtius & lanceatum, orâ ſubaſperâ. Ex foliorum ſinu, pediculo unciali, prodit *Folliculus* in figuram falcatam compreſſus, longitudinis uncialis, latitudinis ſemipollicaris, tenuis, membraneus, arcuatis venis inſcriptus; quo dehiſcente, velut ex promptuario, multo manè flores prodeunt, circa meridiem evaneſcentes. Eorum primus extra folliculi hiatum mediocri pediculo elatus & ſolitarius, ſine ſemine deficit; ceteri, (3, 4 vel plures) intra folliculi metam communi brevi pediculo juncti ac alternè oſcitantes, non ſine ſeminali vaſculo deficiunt. *Flos*, quem *Aöbanna* appellant, coloris eſt Ultramarini, facie & magnitudine flori Trinitatis ſimilis: duobus conſtans petalis, ex anguſto principio inæqualiter rotundis, & papilionum alas referentibus, ſurrectis, tenerrimis; & tribus, loco perianthii, laciniis parvulis, ex ovato utrinq; acutis, albeſcentibus: quorum duæ, petalis ſitu contrario reſpondent, tertia eorum dorſo accumbit. Vultum ornant ſtylus bifurcus, ac quini apices; quorum terni ex igneo rubentes, perparvuli, tetragoni ac ſingularis figuræ, ſtaminibus brevibus; duæ reliquæ oblongiores, ſtaminibus longis reduncis, ac roſtri in modum exporrectis, conſiti ſunt. *Vaſculum ſeminale* oblongè & inæqualiter rotundum eſt, magnitudinis piſi, dipyrenum; ſemine ſingulis loculis unico, ovatæ rotunditatis, compreſſo, interdum per transverſum dividuo, adeoque duplici, atro, duro, profundis ſcrobiculis punċto, ſubſtantiæ oleoſæ ſubdulcis.

Uſus florum eſt pro ultramarino conficiendo: cujus petala cum furfure oryzæ mixta humectantur; maſſa paulò poſt exprimitur; expreſſo ejus ſucco immergitur charta pura, & humectata exſiccatur; quod toties iteraratur, usque dum ipſa charta pro colore valeat.

Fákkona Kſa Adiantum celebre & medicamentoſum mon-

montis *Fakkona*, caulibus purpureis nitidiſſimis. Adiantum folio Coriandri; *ſeu*, Capillus Veneris.

[illegible] *Sin Siooſ*, vulgò *Firu Múſiro.* Potamogiton, fol. Lilii Convallium.

Fibi Lonchitis aſpera minor *Dioſc.*

Fibi altera folio Polypodii criſpo.

Dſjemmaì Phyllitis foliis ramoſis.

Dſjemmaì altera, radice eduli.

韋石 *Secki Ji*, vulgò *Jwanokawa*, *Ftotsba*, *Jwanbami* & *Jwangaſjuwa.* Hemionitis petræa, folio oblongo majuſculo ſimplici, ex obtuſâ baſi in longum mucronem, in formâ venabuli, excurrente.

賊木 *Mokŭ ſokkŭ*, vulgò *Tŏkuſa.* Equiſetum paluſtre, longioribus ſetis C. B. P.

苧 *Tſjò*, vulgò *Sjiro oo* κατ' ὄνομα, Cannabis alba, aliis *Karauuſi*, *Karao* & *Mäo.* Urtica vulgaris major, vere florens, caule filis validis ad texturas expetitis inſtructo; ſemine acerrimo, ex quo oleum cauſticum exprimitur.

Sjiroo urtica vulgaris, altera, autumno florens.

蓼 *Rio*, vulgo *Tade.* Perſicaria vulgaris acris. Hydropiper, cujus folia indigenis pro pipere ſerviunt.

葒 Koo, vulgo *Ke Tade*, it. *Inu Tade*, i. e. Perſicaria

ſicaria lanuginoſa; *caule* quadripedali ſimplici, piloſo, geniculato, geniculis fimbriatis; ſummitate in ſpicas floridas ramoſâ; *folio* cordato, amplo, ſpithamali & palmari, in longum anguſtum mucronem deſinente, margine integro; *flore* incarnato.

耳蒼 *Sooni* vulgo *Namome*. Xanthium. Lappa minor.

木冠雞 Keequan *Mokf*, vulgo **Kaide**, item, *Momidſi*. Arbor ob verecundiam ſic appellata, ex colore foliorum rubeſcente, qui verecundos ſuffundit. *Acer* foliis pumilis, ex purpureo croceoque, dum ſuccreſcunt, variegatis.

Eadem foliis per autumnum ex purpureo croceoque rubeſcentibus.

椒 *Seô* & *Sanſjo*. Literatis & vulgo; populariter etiam *Naru fatſi kami*, it. *Kawa faſi kami*. Arbuſcula ſpinoſa aromatica, foliis Fraxineis, ſemine Fagaræ Avicennæ. *Piper Japonicum*.

Celebris per Japoniam arbuſcula eſt, ex ſapore piperis aromatico (ſed ex pyrethro urentis & quodammodo ſtrangulantis) per omnes ſui partes diffuſo; intenſiſſimo verò in cortice, foliis & pericarpio; unde vulgo *Fadſi kami*, i. e. Zingiber crudum appellatur. Cortex ejus ſpeciatim *Sooko*, fructus *Joomakf* dicitur. Præſtantiſſima eſt, quæ à loco natali appellatur *Aſâkura Sandſjo*. *Caudex* inordinatè ramoſus altitudinem duarum orgyjarum tardiori incremento aſſequitur; *Cortice* conſtat pingui, tuberculoſo, pullo, in ſurculis ex herbeo purpuraſcente; *ligno* levi infirmo; *medullâ* magnâ laxâ; *aculeis* rarioribus ſemiuncialibus, rotundis, obſcurè



椒

ſcurè badiis, ſurrectis, & cum cortice abſcedentibus. *Folia* habet alata, palmaris & ultra longitudinis, Fraxini foliis quadantenus ſimilia; coſtâ tenerâ, ad pinnarum inſitiones geniculatâ, pronum tenui margine alatâ & carinatâ, dorſo tereti purpuraſcente: Pinnis breviſſimo pedicello annexis, lætè virentibus, ovatis, uncialis longitudinis, mucrone brevi crenato; margine, falcatis & ad ſuperiorem folii ſuperficiem retortis crenis, criſpato; nervo uno medio, ſummâ facie piloſo, inæqualiter folium dividente; à quo venæ ceteræ ſucceſſivè ad oram rectà protenduntur. *Racemi* ſeſcunciales inordinatè ramoſi ſurculorum faſtigia terminant, vel in iis ex foliorum axillis prodeunt, floſculis conferti ex herbeo lividis, petalis ſeptenis vel octonis, anguſtis, in ſphæricam cymbali figuram, ad peripheriam ſeminis Coriandri, expanſis, totidemque decoratis ſtaminibus longiuſculis, apice luteo rotundo capitatis; perianthio ad petalorum numerum laciniato, vel ut plurimùm nullo, incerto naturæ luſu vel errore. Ex defluentis floſculi umbilico exſurgunt *Vaſa ſeminalia* ſingula vel gemina, ſubrotunda, piperis magnitudine, tuberculis denſis minutiſſimis puncta, membranea, ante maturitatem cum racemis rubentia, per maturitatem rufa, duriora ac dehiſcentia; exſiliente è ſingulis capſulis *ſemine* unico, ſed tenui fibrâ fundo adhærente, grani Cardamomi magnitudinis, ovato, duriuſculo, atro ſplendente cute obducto, nullius ſaporis, niſi fortè exigui caloris, participe.

Uſus foliorum recentium, corticis exſiccati, ac præſertim vaſculorum ſeminalium, eſt pro condimento ciborum aromatico, loco piperis vel Zingiberis addendo. Medici trita folia, cum farinâ oryzæ in pultem redacta, partibus ex catarrho dolentibus imponenda conſulunt, ut impactam reſolvant & imbibant materiam.

Jam-

Jamma Sanſjo, i. e. Montana ſylveſtris *Sjo*, per pleonaſmum dicta; Priori magis ſylveſtris eſt, in Inſulanis montibus paſſim inter dumeta fruticeſcens; partium ſapore, præter piperinum, mucoſo; Floſculis ex herbeo albicantibus, & quos mihi videre contigit, pentapetalis, calyculo quinis denticulis crenato; totidem ſtaminibus apicatis, apicibus luteis bifidis. Capſulis ſeminalibus plerumque ex uno floſculo tribus in trigonum junctis, ſaporis Aniſi, cum acrimoniâ aromaticâ urente. Uſus foliorum eſt medicus; nam contuſa & in formâ emplaſtri impoſita, apoſtemata altenuando diſſipant, vel maturando rumpunt.

木 樺 *Baibokf*, vulgò *Fuſj*. Arbor montana, foliis *Ingæ Marcgravii* ſpithamalibus pinnatis, ſpecioſis, coſtâ alatâ; ſurculis in ſtylos excurrentibus racemoſos ſpithamales & pedales, floſculorum ſtipatione conoidem formam referentes; floſculis perparvulis albidis, &, quod microſcopio cognoſcitur, pentapetalis; ſemine Lenticulæ gibboſo, ſemini *Uruſj* æmulo ſed minori; ἐπίφυσι foliorum informi tuberoſâ, multiplici, tenui, durâ cavâ, Gallæ noſtratis uſum præſtante.

楮 *Sjo, Ri*, vulgò *Kaadſi, Kanſi*. Papyrus fructu Mori celſæ, foliis urticæ mortuæ, cortice papyrifero. Deſcriptionem vide p. 471. ſeq.

Kaadi Kadſura, it. K*ago* K*adſura*. Papyrus procumbens, lacteſcens, folio lanceato, cortice chartaceo. Deſcriptionem vide p. 474.

樗 *Kióh*, vulgò *Dara*. Frutex ſylveſtris arboreſcens, luxurioſè ramoſus ac ſpinis horridus; alis folio-

rum

rum ſeſquiſpithamalibus, impariter pinnatis; piñis Pruni foliorum magnitudinis, in longiuſculum acutum mucronem deſinentibus, margine acutè crenato; caule cubitali, racemoſo florigero, multis floſculorum umbellis, parvis, promiſcuo loco (pediculis uncialibus) conſociatis, conſpicuo; Floſculis pentapetalis albicantibus, ſeminis aniſi magnitudinis; vaſculo ſeminali Coriandri magnitudinis, quinis cavernulis diſtincto, totidem continente ſemina, lino ſemini non diſſimilia.

Aſjebo & *Aſjemi*. Frutex orgyjæ altitudinem aſſurgens, ramuſculis ab imo denſis, & ad opera topiariorum flexilibus; foliis verticillatis, integris, anguſtis, duris, cum adſtrictione amaricantibus, quorum decoctum muſcas & vermes interimit; racemulis ſemipalmaribus, floſculis caliculo quinquifido iñitentibus, candidiſſimis, monopetalis, magnitudine piſum, figurâ nolam exprimentibus, orâ anguſtiore, quinis dentibus crenatâ; piſtillo inter quina ſtamina brevi, cujus baſis in ſemen Coriandri magnitudinis extumeſcit.

Ibutta. Frutex ramulis denſis tenuibus cinereis, Pruni ſylveſtris facie ac foliis; Flore Liguſtri facie, albo, tetrapetaloide, apicibus, petalorum interſtitiis adnatis, luteis longis acutis bifidis, ſtylo capitato brevi tenuiſſimo.

漆澤 *Tákuſitzŭ*, vulgò *Totaiguſa*. Eſula vulgaris minor. Tithymalus arvenſis latifolius Germanicus *C. Bauh. P.*

蘩蔞 *Fan ru*, vulgò *Fa kobi*, it. *Fagu Jera*. Morſus Gallinæ. Alſine vulg. I. *Tabern.*

[illegible] *Mondo*, vulgò *Jamaſŭje*, it. *Sogaif*. Caryophyllata vulgaris *C. B. P.*

Sjadèn,

桔梗 K*akko*, vulgo *Utſu bóguſa*, it. *Urukki*. Brunella major, folio non diſſecto *C.B.P.*

艾 *Gai*, vulgo *Jamógi*. Artemiſia vulgaris major; quæ junior vocatur *Futz*, ex quâ fit *Moxa*, celebris ſtupa pro Cauterio actuali.

蒿 *Koo*, vulgo *Jamogi*. Eadem folio tenuiſſimo.

蔯茵 *Intſjin*, vulgò *Fki Jamogi* & *Kawara Jamogi*. Abrotanum campeſtre.

麻 *Ba* & *Ma*, vulgo *Aſa*. Cannabis ſativa.

薊 Ke*i*, vulgo *Aſami*. Carduus pratenſis latifolius. *C. Bauh. P.*

藜 *Rei*, vulgo *Akaſa*. Atriplex ſylveſtris, folio ſinuato.

薺 *Sei*, vulgo *Nadſuna*. Burſa paſtoris major, folio ſinuato. *C. Bauh. P.*

蘇鐵 *Teſſio*, vulgo *Sotits* & *Sodetz*. Palma in inſula Ambona & ulteriori Oriente prunifera & farinifera, farinâ *Sagu* dictâ, quam ex medullâ conficiunt, hîc ſterilis & ob peregrinam formam in hortis urbanis culta; Credo Batavis Jager boom dicta. Characterem ferrum ingreditur, quia ab infixis clavis meliùs nutritur, & pingueſcit. Palma Japon. ſpinoſis pediculis, Polypodii folio; *Todda Panna H. Mal.* 3. 9.

櫚椶 *Sjurò* & *Sodio*, vulgo & literatis. Palmæ montanæ Malabaricæ, folio magno complicato acuto, *Codda Panna H. Mal.* 3. 1. dictæ, affinis, folio minori ἑπταδακτυλοιδε; hôc cœlo ſterilis & ob ornatum culta.

竹椶 *Soo tſiku*, vulgò *Sjuro tſiku.* Prioris ſpecies minor, foliis in ſcaporum extremitate pinnatis arundinaceis.

竹 *Tſiku*, vulgo *Tacke* & *Fatsku.* Arundo in genere; & per excellentiam Arundo Indica *Bambuus* dicta, in India in tantam magnitudinem arboreſcens, ut ex eâ domicilia conſtruant. Ejus germina, quæ ex radice pullulant, ſale & aceto macerata, additis allio & Capſici ſiliquis, inter condita illa, quæ *Atſjaar* vocant, principi loco habentur. Radices circa pagum *Kuſatſu* Provinciæ *Oomi*, ob fundi limoſi ſingulare ingenium mirâ pulchritudine luxuriant; quæ effoſſæ & à fibrarum verticillis liberatæ, pro bacillis ſerviunt, quos manibus geſtamus, vulgò *Rotang* dictos.

竹蘆 *Rotſikku*, vulgò *Naio dacke*, item, *Niga dacke*, i. e. Arundo Indica amara à radicum ſapore dicta, fruticeſcens.

竹扶 *Fútſiku*, vulgò *Futamma tacke*, i. e. Arundo bifurca. Arundo fruticeſcens, caudice bifurco.

竹紫 *Sſi tſiku*, i. e. Arundo plicata, vulgò *Muriſacki dacke*, i. e. Arundo purpurea; it. *Mandara dacke.* Arundo fruticeſcens, caule atro purpureo, tenuiori, farto; foliis brevibus, latiuſculis, pendulis, plicatis.

Kaan-

蔗甘 *Kaanſia,* vulgò *Satto dacke.* Arundo ſaccharina, quæ hîc à botanophylo ex curioſitate colitur.

篠 *Dſo,* vulgò *Saſa,* it. *Si noſa.* Arundo humilis, foliis anguſtis. *Sive:* Suffrutex foliis arundinaceis.

箬 *Coma Saſa.* Arundo humilis foliis latioribus. *Sive:* Suffrutex foliis arundinaceis latioribus ſtriatis.

Fackona Saſa. Eadem arundo montis *Fackona,* foliis, margine & medio nervo pulchrè candicantibus.

蕟 *Fuku,* vulgò *Tſikuſitz. Tſikube. Saſadſitz. Saſæ méguri.* Gramen arundinaceum, ramoſum fruticeſcens.

莠 *i Juu,* vulgò *Fankuſa. Jeno Konkuſa. Innubie.* Gramen paniceum I. *Tabern.* Gramen paniceum ſpica ſimplici *C. Bauh. P.*

芒 *Boo,* vulgò *Obanna. Sſusſukki.* Gramen paniceum ſpicâ diviſâ, *C. B. P.* Gramen Mannæ II. *Matth.*

茅 *Boo,* vulgò *Tſubanna.* Gramen arundinaceum caule longiori, paniculâ ſparſâ. An Gramen arundinaceum majus *Tabern.?*

Idem caule breviori, faſtigio ſpicato.

藎 *Dſin,* vulgò *Karrias. Kakkina. Arai.* Gramen arundinaceum minus *Tab.* Gramen arundinaceum ſpicatum *C. B. P.*

葦 *I*, vulgò *Aſſi. Juſſi.* Arundo paluſtris vulgaris, foliis latioribus, calamis firmis, ex quibus puto penicilla ſcriptoria confici.

蒲 *Fo*, vulgò *Kamma.* Gramen Cyperinum paluſtre.

藺 *Rin*, vulgo *Sickiſo.* Juncus ſativus, prælongus, lævis, tenuis, tenſus, in agris paludoſis in modum oryzæ colendus, ex quo, irrigationibus & inſolatione dealbato, texuntur nitidiſſimi tapetes: quibus duplicatis & glumâ fartis ſternuntur pavimenta.

菖 *Sju*, vulgò *Soobu.* Herba arundinacea paluſtris, foliis liliaceis, ob pulchritudinem in hortis & ciſternis recepta; cujus tres habentur ſpecies foliorum magnitudine differentes: *Soo* foliis longiſſimis, *Ajami* mediocribus, & *Siki ſoba* parvulis, quæ in fictilibus aſſervatur.

薛 *Setz*, vulgo *Suge.* Herba paluſtris, foliis arundinaceis brevioribus tenſis, ex quibus ad albedinem redactis conſtruuntur elegantiſſimi pilei, quibus teguntur deambulantes fæminæ.

莕 *Kjoo* & *Koo*, vulgò *Aſaſa.* Nymphæa folio Thoræ Valdenſis. Florigeram non vidi.

芡 *Ken*, vulgo *Midſubaki.* Nymphæa folio Populaginis, longis villis hirſuto; fructu ſurrecto magno turbinato, inſtar ſtrobuli ſquamato & villoſo.

萍 *Fe*, vulgo *Ukinguſa*, i. e. Herba natans. Lenticula paluſtris vulgaris.

Eadem quadrifolia vulgaris.

Wan-

Wanhòm. Plantam inſero Japonibus ignotam, ſed quam in horto Japonico feliciter colo, transmiſſam ab amico Aulæ Siamenſis, unà cum plantâ arboris *Kiſſinà*, ſive *Ligni Aloës.*

Herba eſt, Plantaginis facie, Siamenſibus nomine patrio *Wanhòm*, Luſitanis aliisque ibidem peregrinis *Kantſjoor* appellata. *Radice* gaudet, aliâ ſtirpis nutrice, longâ, pingui, fibroſâ; aliâ proliferâ brevi, nodoſâ, crebris annulis articulatâ, multiplici, Galangæ majori non diſſimili; cui, ut in Pœoniâ, apophyſes adnaſcuntur tuberoſæ unciales & ſeſcunciales, ex collo anguſto cylindraceo turbinatæ, extremitate acuminatâ. Subſtantia radicum alba tenera & vix non pellucida eſt, ſolida tamen & carnoſa, ſaporis (quemadmodum totius plantæ) ex Petaſitide aromatici, acuti, fauces palatumq; pergrato halitu imbuentis. *Folia* ex radicum compage exſurgunt uno faſciculo plura, *Pediculis* ſeſcuncialibus, pinguibus, ſuccoſis, canaliculatis ſe invicem complexantia, Plantaginis æmula, palmaria, rotunda, mucrone breviſſimo, ſubſtantiæ tenerioris, ut in Liliis; vultu obſcurè viridi ac micante, dorſo incano & holoſerico, margine integro undulato; nervis donata uno medio in carinam depreſſo, ceteris utrinque ſenis pluribusve, velut in Plantagine arcuatis, & ad Folii faſtigium protendentibus. Præter pugillum foliaceum, in Plantâ quam colo, folium è radice progerminavit unum ſolitarium & procumbens, pediculo canaliculato, cylindrum amplexante pinguem carnoſum, faſtigio vix prominente; cujus ex dehiſcente rimâ ſingulis noctibus *Flos* prodit Orchidis flori ſimilis, ex pediculo ſemiunciali, niveo, tereti tenerrimoque in petala ſena difformia, pellucida, rorida expanſus, albus, tenerrimus, in vappam citò & ſine poſthumo ſemine flacceſcens, & vix unicum diem durans.


Wankom
Kisſinà

Petalorum unum ceteris amplius in duos lobos cordatos, circa crenam purpureâ virgulâ ſignatos, dividitur; cui duo ſitu adverſa reſpondent ex anguſto principio ovata; reliqua tria prioribus interpoſita, anguſta lanceata, uncialia & ceteris longiora ſunt. Radici inſignis virtus ineſt, ob quam Siamenſes plantam magno ſtudio colunt, ſuccreſcentia tubera, velut laboris præmium, ſubinde avellentes, quin geniculatam ſimul excipientes matrem, ſi ſoboles arctius annata & ſatis magna fuerit.

Uſus radicis eſt ad aperiendum obſtructiones hypochondriorum, calefaciendum ventriculum, diſcutiendum flatus & ventris tormina, roborandum viſcera & omne nervoſum genus. In metropoli *Judjâ* ſiccam vidi expoſitam ubique apud ſeplaſiarios & vetulas.

香沉 *Sinkoo*, vulgo Japonum K*awo ri ki*, i. e. Lignum ſive Arbor fragrans; Siamenſibus *Kiſſinà*; Latinis Arbor Aquilæ & Aloës dicta; cujus fragrans lignum appellatur *Agallochum*.

Ex remotiſſimorum montium teſquis laborioſè delatam addimus, Arboris oppidò raræ plantam, priori eodem vaſe junctam, ſed tenellam, imperfectam & adumbratione vix dignam: quâ tamen acquieſcimus, dum perfectioris deſcriptionem dies aperuerit. Planta caudice conſtat cubitali, recto, tenui, lætè virenti, villoſo, ab imo folioſo, in duos ejusdem conditionis ſurculos, ad foliorum ſitum quodammodo inclinantes divaricato. Folia ex unciali intervallo adſunt ſingula, Perſicæ foliis ſimilia, orâ integrâ piloſâ, utrâque facie vivido virore micantia, protuberante per dorſi longitudinem nervo medio, à quo venulæ laterales ad oram ſucceſſivè obliquant denſiſſimæ, ſubtiliſſimæ, & niſi probè attendas, vix conſpicuæ.

Sunt

Sunt ex noſtratibus, qui arborem hanc pingunt bacciferam & Oleæ ſimilem; credo ex fide Serapionis & Dioſcoridis. Verùm, abſtruſum eſt ejus natale & belluarum paradiſus, quem doctorum nemo unquam frequentavit. Patriam auctores noſtri varias regiones conſtituunt; *Garzias ab Orta* ſcribit ſe ramum obtinuiſſe ex Malaccâ, ſed ſine flore & fructu. Mihi ſicut nec fructū licuit, ita nec alium hodie patriam explorare, quàm *Cambodiam* & Siamenſis regni provincias *Tſjampà* & *Bonnà*, prope oſtium maris. *Coccintſinam* quoq; & huic conterminam Sinæ provinciam *Junan* ex inacceſſis rupibus ſibi Agallochum cedere affirmant Sinenſes; Ex quorum, ac Siamenſium narratu mihi certò conſtat: arborem non niſi per vetuſtatem acquirere fragrantem odorem ſuum, reſidentem in ſucco reſinoſo, qui marcente & putreſcente arbore interiores quasdam ligni partes occupet, circa nodos verò cumulatiùs condenſetur: cujus proinde fragmenta auro contra cara ſunt, ſingulari dotata nomine *Calambà* vel *Calambàk;* cum fragmenta cetera, nomine ipſius arboris, appellentur *Kiſſinà.* Atqui & hæc ſecundum bonitatis notas, videlicet ſubſtantiam reſinoſam, nigredinem & gravitatem, velut teſtes majoris fragrantiæ, in valore multum differunt. Hæc Europam noſtram, illa ob grave pretium nunquam appellunt. Pro Agallocho quærendo emiſſi mercenarii ſylvas certo tempore ſubeunt, armis & ſecuribus inſtructi; inventas arbores vetuſtiſſimas & caudices proſtratos carie ac putredine fœdos operoſè findunt, repertaque hinc inde fragmenta reſinoſa eximunt; quorum primum, quod inveniunt, Idolis ſacrificant, ſuis quod credunt ſoſpitatoribus. Magna eſt ligni *Calambà* in aulis Orientalibus, tum apud Magnates Sinæ & Japoniæ, æſtimatio: ut ne convivium celebretur, quin, ad affectandam magnificentiam, pretioſo ejus ſuffitu multum æris prodigant. Sinenſes in ſuis Herbariis arbori, quamvis non ſatis

ſatis cogniti, characterem tribuunt: pro icone vaſtum & inconditum exhibentes caudicem arboris emortuæ, cum ſuperſtite ramuſculo, foliis deſcriptæ à nobis plantæ, ſed ad Laurina prope accedentibus, & quodammodo, ut apparet, pinnatis. Quali etiam figurâ, & pinnatâ foliorum diſpoſitione, pingunt

檀栴 Arborem Santalinam, ſed frondibus vivis; quam Japonum vulgus *Tanko* & *Bjakdon*, literati, nomine characteris, *Sindan* appellant. Non vidi hîc eam; creſcere autem affirmant in editiſſimis montibus provinciæ *Bungo*.

蕉芭 *Baſo* literatis & vulgo. Arbor *Muſa*, Indis *Piſang* dicta; hîc rara ac ſterilis.

Tobè, aliis *Kárakats*. Sumach Arabum; ſeu, Rhus folio Ulmi *C. B. P.*

Taabû no ki. Laurus ſylveſtris; arbor inſtar Camphoriferæ vaſta; Cortice ſcabro & obſoleto, in ſurculis ſpadiceo, valde mucoſo; Surculis gregatim prodeuntibus inconditè craſſis; Foliis denſiſſimis, decuſſatim ex ſemiunciali intervallo adverſis, firmis, craſſis, duas uncias latis, quatuor longis, facie viridi & micante, dorſo incano; Gemmis ſurculorum magnis & quaſi ſtrobulos ſqameo habitu mentientibus; Floſculis unico faſciculo, quem ungue operias, denſiſſimis, pallidulis, unà cum calyce in quinque petala, ſive lacinias, diviſis, adeo minutas, ut flores ſtaminei & imperfecti appareant; Baccis, poſt flores, atro purpureis, piſo majoribus, vertice compreſſo, nucleo albo in duas partes dehiſcente, ſaporis vapidi. Nullum partes Lauri odorem vel ſaporem obtinent: mucum verò copioſum, præſertim cortex. Se-

bum pro lucernis ex baccis ſiccatis, tuſis & calefactis exprimitur, eo modo, quo ex amygdalis oleum. Ex cortice bacilli fiunt fumantes, quos *Senko* appellant, hôc modo: Cortex in ſubtilem pulverem redactus ac cribratus aquâ ſubigitur, ut lentorem induat, additis ſpeciebus fragrantibus pro cujusque lubitu. Subacta maſſa vaſi inditur in ſeriem perforato; impoſitoq; pondere exprimuntur virgulæ tenuiſſimæ pedales & longiores, in uſũ exſiccandæ. Uſum præſtant ſacrificulis, qui iis in arâ accenſis ſuffimentum præſtant idolis, ſimulac devotionis ſuæ tempora dividunt. Chirurgi uſtores iisdem ignem inferunt ſtupis, quas humano corpori pro cauteriis applicant.

Tamu no ki. Arbor *Taabŭ* arboris facie, cymis denſis peregrino decore ſurrectis; foliis conjugatis, rigidis, oblongis, ex acuto principio paulatim amplioribus, mox in mucronem brevem acutum deſinentibus; internâ ſuperficie viridi ac ſplendente, externâ glaucâ ac roſcidâ, orâ integrâ; Racemis floridis, ſemipalmaribus ac longioribus, tribus aut quatuor, ex eâdem gemmâ ſquameâ biunciali in herbeum purpuraſcente prodeuntibus; floſculis quadantenus decuſſatim adverſis: quorum terni, communi ſtylo junguntur, pediculis gaudentes ſingulis ſemipollicaribus, in calyculum ſenis labiis dentatum deſinentibus; flore ipſo hexapetaloide, in herbeo flaveſcente, labellis acutè ovatis, cavis, in orbem ſemipollicaris diametri radiantibus, ſtylo medio tenui, ſtaminibus apicatis 6, 7 vel 8, quibus notabili ſitu minutula alia interpoſita ſunt.

Taabi. Arbor caudice incano, ligno pauco fragili, medullâ magnâ fungoſâ, foliis denſis, amplis, ſerratis, in mucronem longum incurvum deſinentibus, ſurculis in triuncialem ſpicam excurrentibus, extremitate ex multis

tis vaſculis ſeminalibus membraneis, ſive ſiliquis, velut in Aquilegiâ, in diſcum obliquum uncialem congeſtis, capitatâ.

青冬 *Too ſei*, vulgò *Mots no ki.* Arbor mediocris incondita, ramis tortuoſis, perquam folioſis, foliis integris, aſperis, ovatis. Ex cortice tuſo Japones viſcum conficiunt. Ejus ſpecies eſt *Onimotſj* ſeu *Taraijo.*

Taamo, Sjibatta, it. *Okina Kogi.* Frutex arboreſcens ſurculis gregatim creſcentibus; foliis verticillatis, Laurino ſimilibus, ut novella ſunt, argenteis, mollique lanugine piloſis; flore Liliaceo.

椒胡 *Koo ſioo* literatis & vulgo; uſitatè etiam *Marŭ faskaami.* Planta piperis rotundi; quam climatis genius non fert; à botanophilo ſaltem ex curioſitate colitur.

Mame & *Mamebos.* Frutex ramuſculis longis, rectis, ſpadiceis; ligno levi, duro, fragilimo, intus quodammodo luteſcente; medullâ copioſâ, molli, quæ exemta elychnii ſpeciem exhibet; foliis Ceraſi; floſculis albis pendulis, ſtylum brevem ſine pediculo occupantibus, ut plurimum octopetalis, petalis in campanulæ figuram commiſſis, imparis longitudinis; ſtylo rigido capitato, octonis ſtipato ſtaminibus, croceo apice dotatis.

Rengjo. Arbuſcula ab imo brachiata, cortice verrucoſo tenaci, cuticulâ facilè abſcedente; ligno cavo fragili, ramuſculis adverſis tenuiſſimis, ad terram usque propendentibus; floribus ante folia ſenſim comparentibus, luteis, tenerrimis, campaniformibus, ultra medium laciniatis, intus rubicundis ſtriis, geminoq; ſtamine conſpicuis, facilimè deciduis.

Ko gommi. Frutex orgyjâ minor, ligno levi fragili, medullâ copioſâ, cortice badio, virgulis tenuiſſimis pendulis, foliorum ac floſculorum faſciculis ſecundum longitudinem decoratis; foliis piloſis anguſtis, Hyſopi æmulis, coloris æruginoſi, orâ in principio integrâ, in proceſſu minutiſſimis denticulis denſiſſimè ſerratâ; floribus pentapetalis, albis, inodoris, in ſemiuncialis diametri orbem radiantibus; pediculis ſingulis uncialibus imparis longitudinis, in faſciculum collectis, ut plurimùm quaternis vel pluribus; quorum exortum ambiunt folia puſilla ſecundaria, quina vel ſena, in orbem planum diſpoſita.

Ko gommi, flore albo pleno, Bellidis ſpecioſâ facie; folio primario piloſo ampliori ovato, Ceraſini æmulo, unde aliis *Ko gomi Sakira* appellatur.

楊 *Jo*, vulgo *Janangi* & *Fáko Janági*, quia ex ligno conficiunt *fako*, ſive capſulas, ad differentiam alterius ſpeciei, vulgo *Midſ Janagi*, i. e. *Janagi* aquatica, literatis *Sſi Jo* dictæ. Arbor grandis ac incondita, facie ac folio Fagi noſtratis.

柳 *Rju*, vulgo *Aujaki*, item, *Sidáre Janági*, i. e. imbecillis *Janagi*. Salici affinis arbor, caudice & ramis inconditis, ſurculis longis tenuibus pendulis, folio denſiſſimo, prælongo, integro, ſaligneo onuſtis.

Kawa Janogi. Salix puſilla nigricans, Julis pinguibus pappo copioſo refertis, qui indigenis pro tomento ſervit.

Kawa Janogi altera, Julis tenuibus raris, polline croceo ſcatentibus.

Kuro noſji. Frutex montanus humanæ magnitudinis, parum

parum ramoſus, ſalicis facie ac folio, cortice in luteum virente, floſculis minutiſſimis pentapetalis, in herbeo flaveſcentibus.

Boï, vulgò *Awu* K*adſira.* Hedera major ſterilis. *C. Baub. P.*

Feitóri K*ſa.* Hedera montana terreſtris, floribus intus maculatis.

Teka K*adſura.* Hedera arboreæ ſimilis, folio oblongo, integro, obſcurè viridi.

Magubi. Frutex ſcandens geniculatus, trifolius, cortice viridi tenſo ſplendente, medullâ magnâ.

Gube. Herba ſcandens, ſurculis in badio ſplendentibus infirmis; folio ex quinq; lobis digitato; flore quodammodo in umbellæ formam congeſto, tripetalo, nudo, in herbeum albeſcente, ad magnitudinem grani piperis conglobato ac parum dehiſcente, apicibus in umbilico ſenis, longiuſculis, ſtaminibus ac ſtylo nullis.

Unò fanna. Frutex ſcandens, Syringæ albæ facie, folio integro, flore in racemum digeſto, pentapetalo albo, nonnihil odoro, petalis in gyrum planum, rotæve figuram tortis, ſtamine ſtyloque nullo.

Bantees. Frutex Jaſmini albi vulgaris facie, ſurculis folio ſerrato pinnatis & in ſpicas floridas ramoſas excurrentibus; floſculis luteis tripetalis, nunc puſillis, nunc majuſculis, petalis tenerrimis ac facilè deciduis, uno majori, reliquis minoribus.

Nonigi. Fumaria bulboſa major, radice cavâ, flore cæruleo, montis *Fackona*, herbarum vario proventu in Japoniâ celebris.

Nonigi altera. Fumaria vulgaris, ab imo luxurioſè ramoſa, flore luteo.

Keman ſſo, vel *Keman kſa* (*ſſo* & *kſa* herbam notant) item, *Narín*. Herba pedalis, radice tuberoſâ, caulibus cavis mollibus ſucçoſis glabris, per palmaria intervalla geniculatis & ramoſis; foliis Aquilegiæ; floribus rarâ ſerie ex ſtylo ſpithamali pendulis, incarnati coloris, compreſſis & peregrinæ ſtructuræ, figuræ cordatæ & ex duobus cucullis in apicem longum reduncum excurrentibus, machinamq; turbinatam ſtriatam, ſtaminibus ſenis medioque ſtylo faſtigiatam, continentibus.

竹石 *Séki tſiku*, vulgò *Nadesko* & *Tokunatz*. Caryophyllus hortenſis ſimplex, flore majore.

仙鳳 literatis & vulgo *Fooſen* & *Kinſoqua*. Mirabilis Peruviana *Raji*; ſeu, Admirabilis Peruana *Cluſ*. floribus albis & rubris.

花紅 K*ooquă*, vulgò K*urenài*, item, *Bénino fanna*. Herba *Kinſoquæ* facie, caule longo ramoſo ſurrecto; foliis magnis raro dente ſerratis, ex quibus color coccineus exprimitur.

春麗 *Reiſjun*, vulgò *Bidſinſoo*. Lychnis papaverina. *Seu:* Planta capite papaverino, caule ac folio Lychnidis, flore coccineo ſimplici. In vaſibus ob pulchritudinem colitur.

Neko fanna. Anemone Papaveris facie, petalis extrinſecus lanuginoſis, interiùs glabris & obſcurè rubentibus, diſco pappis ſcatente valde purpureo, pappo, dimiſſis petalis, inſtar Taraxaci radiante.

Jamma Kikjo. Gentianellæ facie planta palmaris, radice ex ſquamis herbeis in mucrone purpuraſcentibus com-

compactâ, ex quâ ſubtus unica fibra triuncialis craſſa, parum ramoſa, demittitur; caulibus ex ſquamoſo capite prodeuntibus tribus pluribusve, palmaribus & brevioribus, in albido viridantibus, geniculatis (geniculis gemino puſillo mucronato folio obvolutis) in calyces deſinentibus ſingulos ſemipollicares, quinis aut pluribus dentibus anguſtis crenatos, inque totidem lacunas ſecundum longitudinem depreſſos; flore tubulato ſeſcunciali lacunoſo cæruleo, intus albido, lineisque cæruleis conſperſo, ad ſolis occaſum ſe contrahente, ad ortum dehiſcente rurſus, ambitu in decem, aliquando in 12 & 14 lacinias diviſo, quarum alternatim aliæ ſunt acutæ, aliæ dentatæ ac breviores, ſtaminibus quinis imo tubo adnatis, apiceque luteo capitatis, ſtylo medio anguloſo brevi, faſtigio diviſo, utrinque in gyrum reflexo.

Furine. Cnicus cæruleus, flore ad colorandum expetito, unde hîc in agris ſeritur.

蘇 *Sſo*, uſitatè *Naraje* & *Sjako guſa.* An Ocymum Majus *Matth.* & *Tabern?*

荏 *Dſin*, vulgò *Je* & *Fakküſo.* Ocimo majori affinis; ex cujus ſemine Japones celebre oleum *Jeno abra* conficiunt.

菊春 literatis & vulgo dicta *Sun gikü*, i. e. Vernalis Matricaria; it. *Koreì gikü*, i. e. Matricaria Coræenſis, quia inde in Japoniam advecta eſt, ob pulchritudinem floris pleni, qui primo ſtatim vere oculos paſcit.

膝牛 *Goſitz*, vulgò *Inó* Kuſitz. Thlaſpi foliis adverſis integris, ex ovato acutè mucronatis; caule ramoſo, capſulis Burſæ paſtoris ſpicato.

蹄羊 *Jotei*, communiter *Sſi.* Thlaſpi majus, foliis Lapathi, caulibus in ſpicas excurrentibus, capſulis Burſæ paſtoris, intermixtis foliolis, confertas. *Ten-*

茄天 *Tenka* & *Tenkja*, vulgò *Kona ſubbi.* Solanum officinarum, *C. B. P. Seu:* Solanum bacciferum hortenſe officinarum.

茜 *Sen*, vulgo *Akanni.* Herba ſpithamalis, vel pedalis, ramoſa, procumbens, radice fibroſâ denſâ, foliis Nummulariæ, infectoribus pro colore ſerviens.

前車 *Sjaden*, vulgo *Obacko.* Plantago major vulgaris latifolia.

葱山 *Sanſoo*, vulgo *Joſja*, it. *Ninniku.* Plantago latifolia ſtellata.

Kawa Sſobu. Plantago, folio Iridis anguſto pedali; ſpicâ palmari, ex minutis in ſeriem compactis carunculis, intermixtisque ſtaminibus luteis compoſitâ, ſcapo ſpithamali triangulari, tertio latere anguſtiori & canaliculato.

蕨 *Ketz*, vulgò *Waribi.* Filix in genere, & in ſpecie Filix ramoſa major, pinnulis obtuſis non dentatis, *C. B. P.* Scapi novelli ejus inter olera recipiuntur.

火慎 *Sinqua*, vulgo *Ikinguſa* & *Iwă rengĕ.* Sedum majus vulgare in ollis hîc culta. Datur & minus, ſingulari gaudens charactere.

Doki. Arum ſtriatum folio digitato.

Kogannéguſa. Trifolium acetoſum, caule tenui ramoſo, foliis cordatis piloſis.

Keiſôn Kŭſa. Hemionites foliis tenuiſſimis, in margine undulatis & acutè ſerratis.

柏卷 *Kimpáku*, vulgò *Jwagoki* & *Jwáſiba.* Muſcus ſaxatilis Ericoides.

Matſebutz. Pioſella major repens hirſuta *C. B. P. ſeu,* Auricula muris. Japones Artemiſiæ ſpeciem affirmant, quam *Butz* ſeu *Futz* nominant.

INDEX

INDEX
RERUM ac VERBORUM.

A ab anbaar apud Perſas quid? p. 728
Abaſi Regis Perſarum vita & generoſa indoles, 27 ſeq. morbus ex Venere contractus, 28. mors, 27 ſeq. Succeſſor & hujus electio, 30 ſqq.
Abſtemii populi 638
Abyſſus, ſ. Oceanus ſubterraneus 256
Academiæ Perſarum, 115. earũ Profeſſores, ib. Studia, 116. alumni, 117. cenſores, 118. ſtructura ib. ſeq.
Achdaats apud Perſas 141
Acus Japonum chirurgica, 584 ſeq. pungendi methodus, 586 locus punctionis 587
Adminiſtratores bonorum ſpiritualium in Perſia 98
Admiſſio, vulgo Audientia, hoſpitum coram Rege Perſ. 216 ſeqq. ejus magnificentia, ib. Admiſſionis hortus, ejusque topographia, 221 ſqq. ejus palatium ſ. auditorium, 222. ſpectacula & ornamenta præcedentia, 223. beluæ, ib. milites, ibid. ſeq. atrienſes, 224. equi phalerati, ib. vaſa aurea, ibid. ſeq. ornamenta auditorii interiora, 225 ſeqq. tria atria, 223. conſeſſus & ſpectanda in atrio ſupremo, 226 ſeq. in medio, 228. in infimo, 228 ſq.
Admiſſionis hoſpites extranei in convivio Reg. Perſ. Legatus Imperatoris Romanorũ, 239 ſeq. Leg. Regis Suec. 231. Siamenſis, 237 ſeq. Galliæ, 238. Poloniæ, ib. ſeq. Moſcoviæ, 239. Georgiæ & Cyrcaſſiæ, 226. tribûs Arabici, 239. Sabiorum ex Arabiâ, 226. Georgiani apoſtatæ 240
Adſeſſores conviviorum Regis in Aulâ Perſicâ 87
Ædilis ſacrorum in Perſiâ 105
Ædium Perſicarum diſtinctio 176
Æraria ſ. Cameræ Reg. Perſ. 88. earum directores, ſ. Quæſtores ib. ſeq.
Æſtimator rerum venalium in Perſiâ 142
Æſtus in littore Sinûs Perſici, 671

671 & 720 ſeq. ex eo repentina mors hominum 720 ſeq.
Agnus Scythicus 505 ſeq.
Agri quomodo irrigentur in Perſia? 681
Abù, capra montana, lapidem bezoar ferens 403 ſeq.
Alceæ viſcoſæ, plantæ ad chartopœiam Japonicam neceſſariæ, deſcriptio 474 ſeq.
Alikapì, ſeu aſylum Perſarum 180. 183
Alphabetum Japonicũ duplex: *Firocanna* & *Catta canna* 768
Alphabetum *Sabiorum* 440
Ambra quid, 637. vindicata ab opinione Cl. Deniſii, 632 ſeq. eius moles, 634. attributa, ib. adulterium, 635. bonitatis notæ, ib. ex ambra medicamentum magnanimitatis ib.
Amygdali marinæ Sinûs Perſ. deſcriptio 257 ſeq.
Andrum, ſ. Hydrocele Malabarica 557 ſeqq.
Antidota inclyta Indorum gemina 573 ſeq.
Antiquitatis monumenta in campo Perſepolis antiquæ, 297 ad 353. in campo Perſepolis novæ, 354 ad 365. in Perſide paſſim obvia 363 ſeq.
Anuſjerwaan Adèl, Rex Perſiæ juſtus, quis dictus? 92
Apoſtatarum prætenſiones abſurdæ in Perſiâ, 153. prætenſionum illuſiones 154
Aquæ judicium in explorandâ innocentiâ 457 ſeq.
Aquarum diſtinctio ap. Perſas 728
Aquaria Perſiæ 728 ſeq.
Arâchi fidnèh, & *arâchi hydmisk*, aquarum fragrantiſſimarum ap. Perſas, compoſitio 334
Aràs, ſ. Araxis fluminis, deſcriptio, 299. nominis explicatio, 300
Arboris Papyriferæ *Kaadſj* deſcriptio 471
Arca Noæ 428 ſeq.
Argillam eructans monticulus 282 ſeq.
Aſæ fœtidæ attributa, 542 ſeqq. origo, 542. fœtor & bonitas, ib. ſeq. facultates, 543. collectionis hiſtoria 545 ſeqq.
Plantæ deſcriptio, 535 ſeqq. uberior hiſtoria, 539 ſeqq. etymon, 539. patria, ib. ſeq. ſolum natale, 540. ſpecies, ibid. ſexus, 541. ætas, magnitudo 541
Aſjuur, feſtum lugubre Hoſſeinii ap. Perſas 158
Aſtrologorum Perſicorũ fraudes & errores 42. 58. 59. 83

Athemaad Dauleth, adminiſtrator Imperii Perſici, 23, 60 ſeqq. ejus officium, ib. tituli, ib. cura Reip. multiplex, 63. cura rei privatæ, 62. modi conſervandi Regis gratiam, 63. adulatio, 63 ſeq. ſtudium in extollendis conſanguineis 64. in nocendo aliis, 66. emolumenta, ibid. ſuo arbitratu Remp. dirigit, 23. raro Senatores conſulit 87

Audientia coram Rege Perſarum. *vide* Admiſſio.

Auctoris iter ad urbem *Backu*, 263. ſeq. ejusdem receptio, 265. cum Sulthano colloquium, 267. cuſtodia, ib. fuga, 268. hoſpitium in peninſula *Okeſra*, 279 ſeq. reditus 285.

Auctoris iter ad montem *Bennà*, ſive ad æſtiva pagi *Bochon*, 381 ſeqq. diverſorium & mora, 387. ſeqq. reditus & in eo memorabilia, 417 ſeqq.

Auctoris laceſſiti de Deitate Chriſti cum Perſâ diſputatio 152 ſeq.

Aulæ Perſicæ ſplendor, 163. attributa, 144. lingua, ib. ſcriptura, 145 ſeq. mores, 146 ſeq. religio 147 ſeqq.

Aulæ Perſicæ Officiales primarii armati 70 ſeqq.

Aulæ Perſicæ Militiæ univerſæ præfectus generaliſſimus *Sipah ſalaar* 73

Præfectus militiæ equeſtris Turcicæ *Kurtſji baſſì* 70

Præfectus equitum mancipiorum *Kuler agaſì* 71

Præfectus militiæ pedeſtris *Tufenktſji agaſì* 72

Præfectus armorum & navium *Tubtſji baſſì* 72

Aulæ Perſicæ Officiales primarii togati 78 ſeqq.

Archiater *Hakim baſſì* 82

Archi-Janitor *Sohbet Jeſaul baſſi* 82

Architectus ſupremus *Mamúne baſſì* 86

Aſtrologus ſupremus *Munedſjim baſſì* 82

Cubicularius ſupremus *Mehtèr* 81

Fluminum præfectus *Miir aab* 84

Hoſpitum proviſor *Mahmandaar baſſì* 83

Judicii criminalis præſes, *Divaan begì* 80

Jumentorum Reg. Inſpector *Naſiir Dawaab* 86

Mareſchallus ſupremus *Iſjik agaſì baſſì* 80

Mercatorum præſes *Melik tudſjar* 86

Aulæ Perſicæ Muſices Director *Tſjahebtſjì baſjì* 80
Nundinarum Inſpector *Muhtheſib* 86
Primas Regni *Athemaad Dauleh* 60
Prætor ſupremus *Darogà* 84
Proviſor Aulæ generalis *Naſir* 78
Publicanus generalis *Sjah bandèr* 85
Proclamator generalis *Dſjartſji baſjì* 87
Quæſtores, ſ. *Muſtaufi*, duo: Regni & Regis 83. 88
Secretarius Statûs *Wakah nawiis* 79
Stabulorum ſupremus magiſter, *Miir achuur baſjì* 83
Venationis præfectus generalis, *Miir ſjikaar baſjì* 83
Aulæ Perſicæ Officinæ & earũ præpoſiti, 120 ſeq. penſiones 133
Acupictorum domus 129
Ærifabrorum officina ib.
Armamentarium 126
Aurifabrorum officina 129
Candelarum cuſtodia 125
Canum domus 131
Cella vinaria 123
Ciſtarum vectilium cuſtodia 126
Coctionis Cofeæ officina 123
Aulæ Perſicæ conditorum cuſtodia 121
Conſumptionum camera 133
Coquina 124
Decoctorum medicinalium officina 124
Eduliorum conditoria & officinæ 120 ſeqq.
Elephantorum ſtabulum 131
Ephippiorum domus 126
Equilia 131
Fabrica 130
Facum cuſtodia 124
Fructuum cuſtodia 122
Fullonum officina 128
Gallinarium 123
Gazophylacium 127
Hydrophylacium 123
Julapiorum officina 121
Kofeæ officina 123
Laniena ib.
Lactis conditorium 122
Lampadum cuſtodia 129
Leonum domus 131
Mancipiorum hoſpitium 132
Mapparum repoſitorium 125
Mechanicæ officinæ 128 ſeqq.
Monetariorum officina 229
Olerum cuſtodia 122
Ornithotrophium 132
Panarium 122
Pavonum domus 132
Penarium 120
Pharmacopœia 124

Aulæ

Aulæ Perſicæ Pellionum officina 129
Pictorum officina 130
Sartorum domus 128
Stratorum domus 125
Supellectiliũ cuſtodiæ 124 ſq.
Sutrina 128
Textrinæ variæ ibid.
Theatrum muſicum 130
Theriotrophia 130 ſeqq.
Tibialium conſuendorum officina 128
Tormentorum bellicorum domus 127
Vaſorum aureorum & murrhinorum cuſtodiæ 125
Veſtimentorum cuſtodia 126
Veſtitûs Regii cuſtodia 126
Vulcani officinæ 126
Xylotheca 124.

B.

Baadi ſamuur, i. e. venti ardentes in Perſide 671 ſeq. 721
Bakù urbis deſcriptio 168 ſeqq.
Balſamum nativũ montis *Bennà*, 406 ſeqq. ejus ſpelunca natalis, 408 ſeq. analyſis per ignem facta 410
Barmach, mons hoſpitio Eliæ Prophetæ memorabilis 358 ſeqq.
Begler begì, ſeu Domini dominorum in Perſiâ 135 137
Beiraam feſtum ſacrificii Abrahamitani apud Perſas 161 ſeq.
Belgæ cœli incommoda ferendi pertinaces 717
Beluæ montis Bonnà, 420 ſeqq. Leopardus, ibid. Urſus, 411. Hyæna, ib. ſeq. Lupus aureus, 413. Hyſtrix ibid.
Bender Abaſì, vid. Gamronum.
Bennà montis memorabilia, 381 ad 427. *Paſèn*, ſeu Capricervarum, in eo copia 391
Bermeh delèk locus ſculpturæ Ruſtamicæ, in Perſidis campo *Sjubaſàr* 361 ſeq.
Birkeh, ſ. aquaria apud Perſas, 728 ſeq.
Bochòn pagi, ſub monte *Bennà* Perſidis, deſcriptio 388 ſeq.
Bolus piloſus porcinus 395
Borometz fructus 505. vocis derivatio 506.

C.

Cæſarea domus mercatorum in Perſ. 171
Camelorum uſus in peregrinationibus Perſicis, 724. eorum cibus & alia 725 ſeq.
Camera conſumtionum in Aula Perſ. 133
Camerarum Eccleſiaſticarum in Perſ. Superintendens 99
Camphoræ extractio ex Lauro

Kus no ki, 772. ex herbis camphoram ſpirantibus 773
Campi Perſepolitani deſcriptio 297 ſeqq.
Cannabis ſemen, pollen & folia inebriantia, 645. pollinis triplex bonitatis gradus & differentia, 646. foliorum infuſio 646 ſeq.
Cantores precum publicarum in Perſiâ 166
Capricervæ (*Paſèn*) lapidem bezoarticum ferentes, 391 ſq. 398. earum copia in monte Bonnà, 391. notæ præſentis in ferâ lapidis 400
Caſpium mare maximorum fluminum receptaculum 255
Caſpii maris voragines, 253 ſeq. amaritudo, 258 ſeq. hujus cauſa 260 ſeq.
Caſtellorum præfecti in Perſiâ 141
Cauteriorum in omni dolore uſus apud Orientales, 589 ſq. eorum varia materia, ap. Arabes, 590 ſeq. ap. Indos, 591. ap. Sinenſes & Japones 592
Cerimoniæ adjurantium Magorum Japonenſium 464
Chalata, veſtis honoraria, quæ datur à Reg. Perſ. 65
Chani ſeu Rectores provinciarum in Perſ. 136
Characteres ignoti Perſepolitani, 331 ſeq. 347. de his auctoris opinio 331
Character Sinicus duplex: *Sſo* & *Sſin* 768
Characteres Sinici multis regionibus communes vel univerſales 767 ſeq.
Chareek, Inſula Sinûs Perſ. 764
Chartopœia Japon. 466 ad 478
Chriſtiani S. Johannis Baptiſtæ, circa Tigridem & fines Perſiæ 435 ſeqq.
Chriſtianorum Orientalium ſchiſmata 435 ſeq.
Cives variarum nationum in metropoli Perſiæ 175 ſeq.
Civitatum in Perſiâ Rectores 140 ſeq.
Coagulum bilioſum ex vaccis inſulæ *Moſanbeek*, 312 ſeq. ex hyſtricibus Malaccæ, 393. Ceylanæ 395
Coagulum reſinoſum bezoarticum, vulgò Lapis bezoar occid. ex quadrupedibus majoris molis 307 ſeq.
Cœcorum in Perſ. curatio religioſa 156
Colicæ Japonicæ hiſtoria 552 ſeq. curatio per acupuncturam, 582. per moxiburium, 588. per uſum pulveris *Dſjoſei* ibid.

Con-

Conchylia quomodo concreverint, & ſummos montes occupaverint? 430 ſeq.
Conſeſſus Regiæ Audientiæ in Perſ. 226 ſeqq. res in eo geſtæ, 241 ſeqq. mitræ Sophicæ, *Taadſj*, collatio, 241. conſecratio aquæ medicinalis, 242. munerum oblatio ſolennis, 242 ſeq. prandii magnificentia 244 ſeqq.
Convivii Regii in Perſ. apparatus, 230. Tricliniarcha, ib. ſeq. magnificentia, 244 ſeq. vaſa aurea, ibid. fercula, 246. ſeq. prandii Curatores, 245 ſeqq. tricliniorum adornatus, 246 ſeq. mantilium, cochlearium, cultrorum & vini defectus, 246 ſeq. prandii brevitas, 248. ejusdem faſtus, 249. pretium, ibid. Vaſorum in prandio numerus & pretium 249
Cofeæ plantæ deſcriptio, 123. Cofeæ officinæ ibid.
Copernicus à Perſis illuſus 48
Coronatio Regis Perſarum *Solymanni*, 72 ſeqq. ejus coronatio prior, 35 ſeq. poſterior, 41 ſeq. cauſa iteratæ Coronationis, ib. conſilium, 42. Coronationi tempus Aſtrologi definiunt, 35. Coronationis Inſignia, 36. Coronationem antiſtes Religionis peragit, 38 ſeq. noviſſima à Coronatione mandata, 38 ſeq. Gynæcei applauſus, 39. Publicatio de creato Rege, 40. Coronationis moneta 41
Coſaccorum Dux *Steno Radſin* Hyrcaniam invadit, 57. Perſas fundit 58
Crocodili culpæ & innocentiæ vindices 458 ſeqq.
Cryptæ in campo Perſep. montis *Achtopeh* 314. ſeq. 352 ſeq.
Cupreſſi altiſſimæ & copioſiſſimæ orbis 367.

D.

Dactylorum deſcriptio, 703. eorum varietas & nomina, 704 ſeq. tractandi modi, 710 ſeq. collectio, 710. inſolatio, 711. conſervatio, 711 ſeq. expreſſio ſyrupi 712 ſeq.
Daroga ſeu Prætor civilis Perſ. 141
Derwiſſi, ſeu pauperes religioſi Perſarum, 112. 739. eorum multiplex ordo 113 ſeqq.
Diætæ Perſicæ, ſ. *Menſil* 726
Diluvii Moſaici rudera in Europâ, 427 ſeq. in Perſiâ, 428 ſeq. Arca Noæ, 228 ſeq. conchylia in monte Caucaſio, 430 con-

conſtructio montium per accumulationem diſtincta, 432 ſeq. montes ad magnam diſtantiam divulſi & terræ ſemimerſi, 434. oſtreæ margaritiferæ procul à mari 434
Directores provinciarum & urbium in Perſ. 134 ſeqq.
Director precum in Perſ. *Piſſjnamaas*, 104. ejus electio 105
Diſputationes Perſarum cum Chriſtianis, 152. de Deitate Chriſti cum auctore ib. & 153
Divaan quid, 176. Divaan Regis Perſ. 180 ſeq.
Dominiorum in Perſ. Vaſiri 139
Domus ex candidiſſimo marmore 322 ſeq.
Dſjaferì celebris apud Perſas Imaam, 109 ſeq. ejus liber venerabilis 151
Dſjerenang, ſ. ſanguis draconis dictus, ex fructu Palmæ coniferæ 552 ſeqq.
Dracunculus Perſarum in littore Perſ. 524 ad 535. appellatio, 525. deſcriptio, 226 ſeq. generatio & nativitas, 527 ſeq. patria, ib. tempus nativitatis, ib. locus in corpore & ſitus varius, 528. ortus, ib. ſeq. principium ſeminale, 331. curatio 533 ſeq.
Dux ſummus militiæ univerſæ ap. Perſas, *Sipah ſalaar*, 73. Dux ſummus equitum Turcicorum, 70. horum numerus, ib. Dux ſummus equitum mancipiorum, 72. horum numerus, ib. Dux ſummus militiæ pedeſtris 72.

E.

Ebrietate nil in Oriente turpius 638
Eiwaan quid? 174
Electio filii *Hamſèh* in ſucceſſorem *Abaſi* II. Regis Perſ. 30. oratio Eunuchi contradicentis, 31 ſeq. electio filii *Sephi* 32. ad eundem coronandum Legatio Senatorum, 32. literæ Senatûs, 33. conſternatio matris Regiæ, 33 ſeq. Legati adlocutio 34
Electuariū lætificans, 644. magicum Indorum, 650. ab eo inducta obſeſſionis hiſtoria, 651. alia paris exempli, 652. auctoris experimentum, ib.
Eliæ prophetæ fons, 357. ejusdem variis in locis veſtigia, ibid. ſeq. in monte *Barmach* Mediæ 358 ſeq.
Epiſtola Regis Polon. ad Reg. Perſ. 235 ſeqq.
Equitationis Regis Perſ. pompa, 206. equitationes recreationis

tionis cauſâ inſtitutæ, 267 ſq. equitatio ad ſacrificium, 209 ſeqq. ad excipiendos Principes, 212. ad venationes ſolennes, ib. ad æſtiva *Maſanderaan* 213 ſeqq.
Equile Regis Perſ. 187 ſeq.
Eremitæ, Japonum Magi, 463 ſeq.
Etymologia, ſeu explicatio vocabulorum: *Haraam*, 46. *Halaal*, 47. *Koruch*, ib. *Mobà*, ib. *Sephi*, 14. *Solymanni* & Salamonis, 43. *Turk*, *Turkeſtaan*, *Turkimaan* 12, 70
Exhilarantia medicamenta Perſarum 639
Expenſa annua Regis Perſiæ 97.

F.

Farſeng ſeu milliare Perſicum 727
Feſta Perſarum, 157 ſeq. eorum cultus 158 ſeqq.
Figuræ, ſ. imagines, inclytæ hieroglyphicæ rupi inciſæ in campo Perſepolitano 312 ſqq. 352 ſeq.
Flatus fere omnium dolorum cauſa habiti 589
Flumina ſalſa in Perſide 383
Fontium in ſummis montibus origo 257
Fracturas oſſium extemplo curat mumia nativa Perſica 521 522
Fruticis viſcoſi *Futó Kadſura*, ad chartopœiam Japonicam neceſſarii, deſcriptio 476. Papyriferi *Kaadſj Kadſura* deſcriptio 474.

G.

Gabri, veteres Perſæ 307
Gamron, ſeu *Bender Abaſi*, urbis conditio, 716 ſeq. 757. ejus deſcriptio, 759 ſeqq. telluris deſcriptio 762
Geographorum errores circa tabulas Perſidis 719
Georgiani apoſtatæ 240
Gubernatorum Perſicorum avaritia & tyrannis 25 ſeq.
Gummi *Konderuun*, vel *Sekkis ſjirin*, i. e. terebinthina, multâ maſtiche ſcatens, inſpiſſata pro maſticatorio, 415. *Sekkis talch*, *Kondùr* & *Lubaan*, i. e. Olibanum ib.
Gynæcei Regis Perſarum conditio ſeu deſcriptio generalis, 15. 177. deſcriptio plenior & ſpecialis, 199 ſeqq. incolæ fœmineæ, 202 ſeq. earum ordines, 204. ſpadones 205 ſeq.

H.

Habitus diverſarum gentium in metropoli Perſarum 170

Hadſjì apud Perſas qui? 154
Hamùk deſperata ferocium homicidarum vox apud Indos 649
Haraam quid? 176. *vid.* Gynæceum.
Hermes Japonum 463
Hhanbalì, ſecta ap. Mahhammedanos 148
Hhanifì, ſecta ap. Mahhammedanos 148
Hingiſèh, ſeu plantæ Aſæ fœtidæ deſcriptio, 553 ſeq. *Hingiſera* meſſis, 545. ejus Actus I. *Kuſjten* dictus, 545 ſeq. Actus II, ſeu aſæ fœtidæ collectio prima, 546 ſq. Actus III; ſeu aſæ fœt. collectio ſecunda, ſucci *piſpaas* dicti, 549 ſq. Actus IV, ſeu collectio aſæ tertia 351 ſeq.
Hiſtoria exſtructionis turris cornutæ in Regia *Iſphahaan* 289 ſeq.
Hiſtoria Inventionis *Theæ* 608 ſeq.
Hiſtoria ſubmerſionis inſulæ *Mauri* ſeu *Mauri gaſima* 621 ſeqq.
Hiſtoria obſeſſionis dæmoniacæ, medicamenti fraude inductæ, in feſto Gentili 651
Hiſtoria de *Tamerlane* 10
Horau Amygdali marinæ deſcriptio 257
Horologium à Rege Suecorum Regi Perſiæ miſſum 49
Horti, Regum Perſ. deliciæ & manſiones 176. 198
Horti Regis Perſ. Aulici: *Bulbul* ſeu *Heſte beheſt*, i. e. octavus paradiſus, 180 ſeq. *Chilwèt*, 185 ſeq. *Enguriſtuun*, 187. *Gargà*, 190. *Guldiſtuun*, 188. ſuburbanus *Haſer dſjerib*, 193 ſeq. *Tawilèh*, 181 ſeq. *Tſjihìl ſetuun*, 184. *Uutſj mertebeh* 189
Hoſpitia Perſica. *Vide* Xenodochia.
Hoſſeinii, filii *Aali*, interitus 158.

I.

Japoniæ regnum optimâ ratione clauſum, 478 ad 502. Ejus deſcriptio, 481 ſeqq. Actus claudendi, 497. ſtatus poſt aditus clauſos 501
Japonia inacceſſa, 481. populoſa, 482. cives habet bellicoſos, 242 ſeq. implacabiles, 483 invictos, 484. duros & laborioſos, 483 ſeq. nullius regionis communione indiget, 486 ſeqq. gaudet cœlo temperato, 486 ſeq. terrâ feraciſſimâ, 487. excultâ artibus, 488. mutuis commerciis florens, 488 ſeq. clauſa, 487. extur-

turbat Luſitanos, 497 ſeq. Chriſtianos internecione delet, 408 ſeq. admittit Batavos, 499 ſeq. & Sinenſes 500
Ignis innocentiæ vindex apud priſcos, 455. apud hodiernos Gentiles 461 ſeq. 465
Imaam & Imacm ſadèh quid? 108 ſeq.
Imaami Reſà ſepulchrum miraculis inclytum 156
Imagines famoſæ in Regem Perſ. 100
Immundæ ſex res ap. Perſas 152
Imprægnatio Palmæ fœmineæ per inſitionem florum 706 ſeqq.
Inebriantia Perſarum, 640 ſeq. Tabacum, ibid. Opium, 642 ſeqq. Cannabis 645 ſeq.
Inebriantia Indorum, 647 ſeqq. maſticatoriũ *Betel* ſ. *Pinang* 647 ſeq. quorum manducatio in aulis & caulis continua, 648. eorum compoſitio, 645 ſeq. repoſitorium ſ. capſa in Curiâ Siamenſi nobilitatem poſſeſſoris notat 649
Iñocentiæ inveſtigatio per crocodilos & ignem 454 ad 466
Innocentiæ ſcrutinia ap. priſcos Gentiles, 454 ſeq. per ignem, 455 ſeq. per aquam, 456. per duella ib. ſeq.
Innocentiæ ſcrutinia ap. Gentiles hodiernos per Crocodilos, ap. Malabaros, 458 ſeqq. apud Siamenſes, 460 ſeq. per Ignem ap. Siamenſes, 461 ſeq. ap. Japonios 465
Innocentiam inveſtigandi viæ apud Japones 463 ſeqq.
Inſtrumenta Muſica ap. Perſas 740 ſeqq.
Irrigationes agrorum in Perſide 681
Iſmaël Sephi ex Sufis primus Rex Perſiæ, 13. opilionum ſeu Turcorum ope regnum conſecutus, 70. Ejus in Regno Succeſſores 14
Iſphahanum Perſiæ metropolis & ſedes Regiâ, 163. ejus magnitudo, ib. aër, ib. ſuburbia, 164. flumen, 165. pontes, 166. plateæ, 168. ædificia publica, 169. forum antiquum, ib. forum Regium, 170
Iſphahani Templa præcipua, 169. 171. Caſtellum benedictionis, 168. Domus mercatorum, 171. Suburbia Armenorum *Sulpha*, ib. Platea Regia *Tſjaharbaag*, 172 ſeq. ædificia urbis 174
Iſphahani urbis ſymbola, 286. Porticus virens, 287. fornix ſuſpenſus, 287. Lapis ſine com-

commiſſura, ibid. Turris ex aceto condita, ib. turris cum teſticulis, 288. nævus ſeu centrum Parthiæ, ib. Inter duos leones popina, ibid. Turris cornuta 286. 289 ſeq.
Ißjin pagus in Perſide 763
Iſtachr palatii Perſepolitani rudera, 325 ſeqq. ejus conditor quis, ib. ſeq. ſitus & deſcriptio generalis, 327 ſeq. deſcriptio ſpecialis 334 ſeq.
Judices ſpirituales in Perſ. 98 ſeq. cauſarum civilium judex ſpiritualis *Kaſi* 101.

K.

Kadſjabah arcula gemina ex dorſo camelino pendens quâ vehuntur fœminæ & ægroti in Perſ. 724
Kahwa plantæ deſcriptio 123
Kalanajèt, Sannio celebris Abaſi I. Regis Perſ. 292. ejus facetè dicta & geſta 293 ſeqq.
Kalentèr 141
Karadſjelde, liber propheticus Perſarum 12
Karawaanſera, vid. Xenodochia.
Kaſi, ſ. judex ſpiritualis in Perſ. 101
Kedchudaa 142
Kheif, ſ. inebriantia Perſarum & Indorum 638 ad 653
Khoruch & *Khoruchtſji* quid? 205
Kiſmis inſula Sinûs Perſ. 763
Kutuwàl 141.

L.

Laänèt berOmèr, maledictionis proverbium ap. Perſas 17 ſeq.
Lapis bezoar orientalis verus & pretioſus, 391 ſeq. 398 ſeqq. ejus nomē & patria, 388. locus natalis in corpore, 400. materia, ex quâ generatur, 399. plantis alexipharmacis virtutem debet, 399. recens exſectus mollis eſt, 401. unde in beſtia, præſertim ex inediâ, rurſus diſſolvitur, 400. experimento Cl. Jageri, ib. ejus formatura, 401. non omnes pari virtute pollent, & quare? 402. legitimi lapidis notæ, ib. rariſſimi ac pretioſiſſimi ſunt in Perſia, nec multum in pharmacopoliis uſitati 403
Lapis bezoar orient. ex capris montanis *Abù* 403 ſeq. ex variis Indiæ animalibus, 404 ex porcis, 405. ex capris domeſticis, 406. ex ſimiis ſ. Babianis longè pretioſiſſimi 404
Lapis bez. or. factitius 406
Lapis bez. occidentalis 397

Lapis

Lapis Cananoor ſ. Pedra frigue 581
Lapis de Goa, ſ. cordialis R.P. Caſp. Antonii & Nic. Manuchii 397
Lapis, ſeu coagulum bilioſum, *Maſang de vaca*, ex inſula *Moſanbeek* 312 ſeq.
Lapis porcinus *Pedra de porco*, ſeu Lapis hyſtricinus verus ac nobilis, 393. ſpurius 395
Lapis ſerpentinus, 395 ſeq. uſus 396
Lapis viperinus, 578 ſeqq. experimenta de eo varia, 579. deſcriptio 581
Lareek inſula Sinûs Perſ. 763
Legatorum receptio in regno Perſ. 217 ſeq. receptio coram rege in Audientiâ, 231 ſeq. hoſpitia in Regiâ, 218. ſuſtentatio gratuita, 219. cautiones obſervandæ, 219 ſeq. ſera dimiſſio 220
Legati in Aula Perſica: Siamenſis, 237 ſeq. Galliæ, 238. Poloniæ, ib. ſeq. Moſcoviæ, 239. ex Arabiâ, ib. à ſatrapis, ib. Imperatoris Rom. ib. ſeqq.
Legati Moſcovitici fata ſiniſtra 239
Legati Suecorum Regis equitatio ad Audientiam, 221. introductio, 231 ſeq. prærogativa, 229. colloquium cum Rege, 232. Epiſtola oblata à SS. Suecorum, ibid. Articuli oblati 233
Liber Perſarum propheticus *Karadſjielde* 12
Ligaturæ magicæ, 653 ſeqq. ap. Ruſſos, 655. apud Armenos, ib. ap. Chriſtianos occidentales, 656. ap. Macaſſaros & Indos, 656 ſeq. artificium auctori revelatum 658
Lingua Turcica 144
Liquores arborum inebriantes *Tari* & *Syri* 668
Lugubre feſtum Perſarum 158 ſeq.

M.

Maats ubo, vaſa myrrhina antiquiſſima & pretioſiſſima 621
Machina fumifera ap. Perſas & Indos, *Kaliaan* dicta, 40 ſeq.
Machina portabilis Japonũ, inſtrumenta & vaſa, ad theam neceſſaria, compendio tenens 628 ſeqq.
Machinæ, quarum ope irrigantur agri in Perſide 681 ſeq.
Magi adjurantes apud Japones 463
Magicæ fraudes Brahmenum 651 ſeq.
Magicæ ligaturæ Indorũ 653 ſq.

Malikì, Secta ap. Mahhammedanos 148 ſeq.
Margaritæ Perſicæ 764
Maſticatorium commune Indorum *Betel*, 647. ſeqq. ejus compoſitio 649
Maſang de vaca, ſ. coagulum bilioſum ex vaccis, circa Inſ. *Moſanbeek* 312 ſeq.
Mauri ga ſima, inſula figulorum ſubmerſa, 621. ejus hiſtoria ib. ſeq.
Mauſolea Perſica, 108. eorum ſtructura & ornamenta, 110 ſeqq. Lectores Corani ſuper defunctos 106
Medicamenta Venerem ſtimulantia apud Perſ. 19
Mehraab quid? 108
Menſium ſingulorum feſta ap. Perſas 158 ſeqq.
Menſil ap. Perſas quid? 727
Merdeſt, ſ. campi Perſepolitani, deſcriptio 297 ſeqq.
Meſjlès, ſeu actus Audientiæ in Aula Perſicâ, 24. tranſigitur ludis & comeſſatione, 25. Adſeſſores actus *Meſjles nedſin* dicti 87 ſeqq.
Mihtaſib, ſ. æſtimator edulium in Perſ. 142
Militiæ Perſ. conditio, 73 ſeqq. militum numerus, 72 ſeqq. ſtipendia 74. exercitia, ibid. ſeq. arma, caſtra, victus, 75. inſtrumenta muſica, ib. clangores, 76. ſtratagemata, ib. militum Duces 70 ſeqq.
Mithra Perſarum quid? 199
Monetæ Perſicæ adulterium, 53
Mons *Achtopèh*, ſculpturis Ruſtamicis & ſepulturis priſcorum Regum inclytus, 306 ſeqq. *Rehmèd*, cryptis, ſculpturis & annexo palatio *Iſtachr*, ſ. Regiæ Perſepolitanæ, inſignis, 327. *Barmach*, veſtigiis S. Eliæ prophetæ conſpicuus, 358 ſeq. *Bennà*, multa exhibens memorabilia, 381 ad 427. *Baaſi*, ſ. falconum, ab eorum copia dictus, 384. Ararat, 429. Caucaſus, Taurus 429 ſeq.
Monumenta campi Perſepolitani, rupi inſculpta 297 ſeqq.
Morbillorum curatio affuſione aquæ frigidæ 534
Moxa, cauteriorum materia ap. Sinenſes, Japones &c. 589 ad 605. ejus præparatio 592 ſeq.
Moxiburium in quibus perſonis & morbis inſtituendum, 593 ſeqq. in podagra, 595. inſtituendi locus in corpore, 596. urendi modus, 597 ſeq. uſtionis præcepta, 598 ſeq. Regulæ ſpeciales 600 ſeqq.

Mu-

Mudſjtehid ap. Perſas 102
Muminahì, ſ. Mumia nativa Perſica, 516 ſeqq. appellatio, ib. collectionis hiſtoria, 517 ſeqq. mumia ſecundaria, 519 ſeq. ejus collectio, 519. vires & uſus, 521. experimentum auctoris 522 ſeq.
Mungo radix, 573 ſeq. plantæ deſcriptio botanica, 577. *Mungo* viverra 474
Munera Regi Perſ. in Conſeſſu oblata 242 ſeqq.
Murrhina vaſa pretioſiſſima ab urinatoribus circa inſ. Formoſam inventa 621
Muſica inſtrumenta ap. Perſas 740 ſeq.
Muſtauſi mokuſaat. Camerarum Eccleſiaſticarum in Perſia Superintendens 99
Myrgaſcuun, pagus ex Perſepoli reliquus 304

N.

Naban locus ad Sinum Perſ. inclytus 762
Naganagudà pagus Ormuſio propinquus 762
Nauruus, feſtum novi anni ap. Perſas 162
Nakſji Ruſtaan, ſ. ſimulacra Ruſtamica rupi inſculpta, 297 ſeqq.
Naphtæ albæ fontes in Media, 274. Naphtæ nigræ origo in Mediâ, 277. ejus proventus, 279. ejus purgatio, 280 ſeq. mons Naphtham fundens 282

O.

Odium religioſum inter Perſas, ſ. *Sjiaitas*, & Turcos, ſeu Sonnitas, 149. ejus cauſa 140 ſeq.
Oenopœia Sjiraſenſis 373 ſeqq.
Officiales Aulæ Perſ. *vide* Aulæ Perſ. Officiales.
Officinæ Domus Regiæ Perſarum, *vid.* Aulæ Perſ. Officinæ.
Okeſra peninſula Mediæ, naturæ prodigiis conſpicua, 262 ſeqq. deſcriptio, 271 ſeqq. in illâ caſtelli rudera, 271. mauſoleum, 272. Campus ardens, 273. Naphthæ albæ fontes, 274. Naphthæ atræ fontes, 277 ſeq. Lacus tumultuans, 280. Mons Naphtham fundens, 282. Mons argillam eructans, 282 ſeq. Salina 284 ſeq.
Omer & *Oſman* 150
Opium, 642. ejus collectio, 643. præparatio, 642. in Pilulis, ib. ſeq. in liquore, ſ. meconium Græcorum, 644. in Electuario, ib. ejus abuſus execrabilis

lis apud Indos nigritas, 649 ſeq.
Ormuſium, 716. unde dictum, 756. illuſtris olim Inſula, ib. ejus deſcriptio 757 ſeqq.

P.

Pagorum præpoſiti in Perſ. 142
Palatia Regis Perſarum 176 ſeq.
Palmarum genera, 665 ſeq. ſylveſtris Perſica, 667. Sylv. Indica, ib. Bdellifera *Mokhl* ſ. *Duum*, 668. Hortenſis Dactylifera ib. ſeq.
Palmæ dactyliferæ patria, 669 ſeq. cœlum & ſolum, 670 ſeqq. ſexus duplex, 672. Ejusdem generatio ex oſſiculo legitima, 673. creſcendi gradus, 674. ex ſtolonibus, 675. ex caudice ſpuria & abolenda ib. incrementum Palmæ per ætates, 676. ætas & longævitas 677
Palmæ cultura, 677 ſeqq. locus plantationi deligendus, ibid. Stolonum pro conſerendis campis delectus, 678. Translationis requiſita, 679. Irrigatio, 679 ſeqq. Stolonum evulſio, 683. frondium reſectio curioſa, ibid. ſeqq. cura ægritudinum 685
Palmæ deſcriptio botanica 686 ſeqq. deſcriptio radicis, 686 ſeq. caudicis, 687 ſeq. comæ, 689. frondium, 689 ſeq. coſtæ, 690. ſpinarum, 691. foliorum, ibid. ſeq. retium, 692 ſeq.
Palmei fœtus hiſtoria & anatomia botanica, 693 ſeqq. de eo quædam in genere, 694. ſpathe utriusque ſexus, 695 ſeq. ſpadicis maſculini hiſtoria, 696 ſeq. floſculi, 697. ſpadix fœmineus cum fructibus, 698 ſeq. gradus & incrementa fructuum, 699 ſeqq. nominum mutatio per incrementa, ib. ſpadix nudus utriusq; ſexus, 702. de Dactylis in ſpecie 703 ſeqq.
Palmæ hiſtoria naturalis & œconomica, 706 ſeqq. Impprægnatio Palmæ fœmineæ, 706. meſſis palmeæ facilitas, 714 ſeq.
Palmæ partium uſus œconomicus, 748 ſeqq. internus, ibid. ſeqq. externus, 751 ſeq. earundem uſus medicus, 752 ſeqq. uſus magicus 754 ſeqq.
Palmeta frequentantium occupationes, 736 ſeq. contractus, 736. convivia, 737 ſeq. luſus & recreationes, 738. choreæ, 739

739 ſeq. muſica,740 ſeqq. labores,745 ſeq. diſceſſus, 746 ſeq.
Papa ſ. ſummus Pontifex Perſarum *Mudſjtehid*, 102. emergendi ad papatũ modi,103 ſeq.
Papyri Japonicæ confectio,466 ſeqq. deſcriptio Papyri arboris legitimæ, 471. arboris ſpuriæ 474
Paſèn, vide: Capricerva,& Lapis bez. or.
Pauperes religioſi Perſarum,112 eorũ multiplex ordo,113 ſeqq.
Pedarthrocaces Malabarum,561
Pedra bugia, ſ. lapis ſimiæ pretioſiſſimus 404 ſeq.
Pedra Cordial ſ. lapis cordialis artificialis ex Goa 397
Pedra de Cobra 395 ſeq.
Pedra de porco vera, 393 ſeq. ſpuria 395
Pellicula *Borometz* 507
Peregrinationes Perſarum religioſæ, 154. ad Meccam Arabiæ pro ſacrificio Abrahami, 154. ad Babyloniam pro viſendo tumulo Aäli, 155. ad *Meſjhèd* pro ſepulchro Imami Reſaan colendo 156
Peregrinationes Perſarum ad palmeta, 716 ſeq. eas præcipuè inſtituunt cives Gamronenſes,716 ſeq. cauſæ urgentes diſceſſum: febres vernales, 718. palmarum neceſſaria conductio, 719. defectus aquæ potabilis,719. dracunculorum generatio,720. cibi inopia, ib. æſtivus calor, ib. venti ardentes,721. exanthemata & furunculi, 722. ab inſectis inſidiæ,ib.ſeq. fœtor ex ſordibus marinis,723. transvectionis requiſita & migrandi modus 723 ſeqq.
Pérical, ſ. Hyperſarcoſis, Malabarum morbus, 561 ſeqq. morbi hiſtoria, ibid. curatio 363 ſeq.
Perſa nominis origo 302
Perſæ averſantur Chriſtianos151
Perſarum mores, 146. ſcriptura, 145. lingua, 144. religio, 147 & ſeqq.
Perſepolis antiquæ topographia,297 ſeqq. urbs antiquiſſima totius orbis,301 ſeqq. incrementum, 302 ſeq. excidium 303 ſeq.
Perſepolitani palatii rudera,325 ſeqq. conditores,ib. ſeq. ejus ſitus, 327. ſeq. ignoti characteres,331. deſcriptio ſpecialis,334. ſtructuræ & ſculpturæ variæ 336 ad 353
Perſiæ Reges antiquiſſimi 327
Perſici imperii diviſio, 134 ſeq. Procerũ cura primaria,21 ſeq.
Perſici imperii hæres Juvenis matrimonio jungitur, 14. Pa-

tre mortuo protinus corona-
tur, 20. excæcat fratres &
maſculos ſuæ ſtirpis, 21. Pro-
dit in publicum conſpicien-
dus, ib. imperium per Proce-
res dirigit, 23. recreationibus
vacat, 26. ſerius ipſe curat
Remp. ib. maturè moritur 27
Perſonæ laudatæ: *Angelus*, R.P.
Carmelit. 753. *Chriſtophoro-
witz* (Conſtantinus) Legatus
Moſcoviæ ad Regem Perſ. 239.
Cleyerus, Medicus Ind. or. Ba-
taviæ, 573. 595. *Elias*, R.P. Car-
mel. 237. *Fabritius* (Ludovi-
cus) Legat. Suec. ad Sereniſſi-
mos Moſcoviæ ac Perſiæ, 51,
221, 260. *Gallus*, 263, 266. *Her-
manni*, Prof. Botan. Lugd. Bat.
821. *Jagerus* (Herbertus) 324
400. 668. *Juncker*, Princeps
Ambonenſis, Capitaneus, 657.
Klingenſtiern (Caſteniꝰ) Nob.
Sueciæ, 221, 260. *Lycochthon*
(Wibrandus) Senator Ill. So-
cietatis Ind. or. 416, 425, 427.
653. *Levenanker*, Nobilis
Suec. 221. 655. du *Mans* (Ra-
phaël) Capucinus, Aulæ Perſ.
Interpres, Præf. 48, 238. *Pa-
villon*, Gubern. Coromandeli
559. *Piquet* (Franciſcus) Le-
gat. Galliæ ad Aulam Perſ. 48,
238. *Priſtafus* (Gothofredus)
JCtus, 221, 260. ten *Rhyn*, Med.
D. Batav. Ind. or. 505. van der
Stelle, Gubern. promont. Bon.
Spei, 576. *Suski*, Nuncius Reg.
Pol. 238. *Zgurski* (Salamon)
Comes Syr. Leg. Reg. Polon.
238. *Verdunkius* 653
Philonium Perſicum 644
Phœnix avis, Arabum, 661. Si-
nenſium, 662 ſqq. Indorũ 664
exiſtentiæ patroni, ibid. ejus,
ex hiſt. Palmæ, nativitas 665
Phœnix Palma dactylifera 665
Piſtacea ſylveſtris ſ. Terebin-
thus, 413 ſeq. fructuum uſus,
416. Piſtacea ſylv. in deſer-
to *Tſjaask*, 416. ex fructibus
oleum 416

Plantæ Japonicæ:

Abraſin, 789. Adſai, 854. A-
dſja, 841. Adſi mame, 836.
Adſiki, 854. Aii nori, 833. A-
jetats banna, 801. Aka tſudſu,
770. Akai indſjo, 788. Aka
kas, 816. Akaſa, 897. Akwa,
811. Alceæ viſcoſæ *Orenj* de-
ſcriptio, 474 ſeq. Ama nori,
832. Amaranthi ſpecies va-
riæ, 862 ſeq. Angurek warnà,
867. Akanni, 912. Anſai, 854.
Aona, 822. Arai, 899. Arame,
833. Aſa, 897. Aſagawo, 856.
Aſami, 897. Aſango, 888. A-
ſaſa, 900. Aſjebo, Aſjemi,
896. Aſſi, 900. Atſuki, 837.
Plan-

Plantæ Japonicæ:
Aujaki, 908. Aukuba, 775. Awa, 835. Awoi, 858. Awo Uri, 811. Awu Kadſira 909.
Ba, 897. Bai, 799. Baibokf, 895. Bakin, 831. Baku, 834. Banſjo, 826. Bantees, 909. Baſo, 905. Bénino, 910. Bjakdon, 905. Biakfmondo, 823. Biakko, 871. Bidſinſoo, 910. Bioru, 845. Bjo Janági, ib. Boï, 909. Boku ſoku, 816. Bokudſi, 832. Boo, 899. Bocfu, 825. Boſſai, 827. Botan, 862. Budò 786. Buke, 844. Buran, 872. Buſei, 822. Bywa 800.
Coma Saſa, 899. Camphorifera arbor, 770. Come, 834. Come gome, 780. Confuſi, 845.
Da, 834. Dai, 800. Daidſu, 837. Daikon, 822. Dandoqua, 872. Dara, 895. Den, 788. Djugan, 817. Djugan niku, ibid. Doku quatz, 826. Doku Symira, 872. Doſjen, 826. Dſjakurio, 800. Dſjekku, 835. Dſjemmai, 891. Dſin, 899. 911. Dſindſom, 818. Dſio Gikf, 877. Dſiſj, 852. Dſjooka, 826. Dſo, 899. Dſojo 828.
Fa, 816. Fagi, 875. Fagu Jera, 896. Fai, 835. Faijo Sſugi, 884. Fakkona Kſa, 890. Fakkona

Plantæ Japonicæ:
Saſa, 899. Fakobi, 896. Fako Janági, 908. Fakkuſo, 911. Faku bukon, 784. Fáku dſitqua, 585. Faku Sinda, ib. Fakv, 884. Fankuſa, 899. Fanna, 880. Fanna ſkiba, ib. Fanna ſkimmi, ib. Fanna Sſob, 873. Fanna tadſj banna, 776. Fanru, 896. Farin, 872. Fario, 822. Faſi noki, 794. Faſi bami, 816. Faſi kami, 826. Faſjo mame, 836. Faſſo Itzingo, 787. Fatsku, 898. Fawa kingi, 885. Fe, 900. Feckofatz, 777. Feckuſo Kadſura, 784. Feifo, 880. Feitóri kſa, 909. Fen, 836. Feo, 810. Fi, 814. Fibi, 891. Figo, 807. Fije, 835. Fi Juri, 872. Fima, 790. Fime Juri, 871. Fime tats banna, 801. Fimeri baki, 781. Fimitz baki, 781. Fi oogi, 872. Fi no ki, 884. Fir, 831. Fira, 784. Firagawo, 856. Firaggi, 781. Firaſi, 784. Firome, 833. Firu Muſiro, 891. Fiſakaki, 778. Fito móſi, 830. Fitzma, 811. Fkamíguſa, 862. Fki Jamogi, 897. Fo, 900. Fofu, 825. Fon Gommi, 789. Fon Kuroggi, 788. Fon Maki, 780. Fon Tſta, 887. Fon Utſugi, 855. Foo, 787. Foo dſuki, 785. Fooki guſa, 885. Fooſen, 862, 910. Foſei, 831.

Plantæ Japonicæ:
Foto, 786. Fotogi Tſta, 887. Ftotsba, 891. Fudſi, 856. Fudſi bakama, 885. Fudſina, 831. Fujoo, 858. Fuki ſabúki, 831. Fuku, 899. Fundan, 854. Furinè, 911. Furi uri, 811. Fu Ran, 864. Fuſj, 895. Fuſji, 856. Fuſji guro, 873. Futamma take, 878. Futſiku, ibid. Futſu kuſa 831.
Gai, 197. Ganebu, 786. Ganpi, 873. Gees, 801, ſeq. Gendſjino Kubi tſugi, 885. Gibbooſi, 863. Ginan, 811. Ginkgo, ib. Gobo, 828. Gomma, 835. Gommi, 789. Gooſitz, 863. 911. Goquan, 840. Gotoo, 861. Gotoo Giri, 861. Gube, 909.
Hatſis, 880. Hats kanguſa, 862.
I, 900. Jaatzde, 790. Jabu ninſin, 822. Jagenari Suſági, 837. Jakan, 872. Jamá Suje, 823. Jamma Buki, 844, ſeq. Jamma Budò, 787. J. Boſu, 825. J. Cogome, 780. Jamma Fudſi, 857. J. Gobo, 828. J. Gibboſi, 863. J. Imò, 828. J. Kikjo, 910. J. Konjakf, 786. J. Mioga, 827. J. momu, 798. J. ninſin, 822. J. Oſjiroi, 871. J. Rintſjo, 844. J. Sakira, 799. J. Sanſjo, 895. Jamma Simira, 787.

Plantæ Japonicæ:
J. Suje, 896. J. Tadſj banna, 775. J. Tooſimi, 787. J. Tſubacki, 850. J. Tſutſuſi, 849. Jamma Utſugi, 854. Jamógi, 897. Jana ugi, 908. Jaſjibo, 799, Ibara, 862. Ibúki, 884. Ibutta, 896. Jebi, 786. Jedogaua Satſuki, 850. Jedogaua Tſutſuſi. 848. Je joo, 799. Jei ſoku, 835. Jempak, 884. Jenbaku, 834. Jeniku, 833. Jeno Konkuſa, 899. Jens, 833, 841. Jenwa, 833. Igi, 862. Igino fanna, ib. Ikinguſa, 912. Imò, 828. Indſin Kadſira, 858. Innubie, 899. Ino Kadſitz, 863. Ino Kuſitz, 911. Ino matta, 833. Intſjin, 897. In Tſta, 887. Inu Itábu, 801. ſeq. Inu maki, 780. Inu Tade, 891. Jo, 908. Jodoriki-785. Jokſan, 863. Jokai, 834. Jokui nin, 834. Jomega Fági, 856. Joobai, 798. Joro, 854. Joſja, 912. Jotei, 911. Iſo Fiſakaki, 798. Iſo kuróggi, 790. Iſjuwo ſikki, 828. Itabu, 801. Ito ſakira, 799. Itſingo, 787. Itſjo, 811. Itz fatz, 873. Ju, 801. Jubéta, 777. Jukinoſta, 870. Juri, 871. Juſſi, 900. Juu, 898. Juſura, 788. Jwagoki, 912. Jwano kawa, 891. Jwarenge, 912. Jwàſiba, ibid. Jwatagi, 832. Jwónome 835.

Plantæ Japonicæ:

Kaadi Kádſura, 895. Kaadſi Kauſi, ibidem. Kaanſja, 899. Kadſi mame, 836. Kago Kadſura, 895. Kai, 827. Kaide, 892. Kaido, 888. Kai tei, 833. Kaja, 814. Kaki, 805. ſeq. Kaki doro, 888. Kakkima, 899. Kaki Tſubatta, 872. Kakko, 897. Kakuſju, 841. Kamma, 900. Kamo uri, 811. Kan, 800. Kantats, 831. Kara Awoi, 858. Kara gaſju, 790. Karaji, ib. Karakats, 905. Karamaatz Nomi, 883. Kara momu, 798. Karana, 822. Kara nas, 800. Karas mugi, 834. Karaſu oogi, 872. Karatats banna, 801. Kara uri, 811. Karrias, 899. Kasbiáko, 871. Kaſjawa, 816. Kaſiwa, 884. Kas no ki, 816. Katabami, 888. Katong ging, 868. Kats, 840. Kawa bone, 880. Kaba faſi kami, 892. Kawa Janogi, 908. Kawa Sſobu, 912. Kawara fiſagi, 841. Kawara fudſj, 841. Kawara Jamogi, 897. Kaworiki, 903. Kawa Junkuſa, 862. Keequan mokf, 892. Kei, 831. Keï, 897. Keiquan, 862. Keiſon kuſa, 912. Kei toge, 862. Keitſjo, 876. Keman kſa, 910. Kemanſſo, ib. Kembokf, 777. Ken, 808. 872. 900. Ken koo, 476. 785.

Plantæ Japonicæ:

Kempokonas, 808. ſeq. Kenſin, 780. Kentan, 871. Kes, 835. Ke Tade, 891. Ketz, 912. Ki, 858. Kibatſiſſo, 858. Kibi, 834. Kja, 810. Ki Itſingo, 787. Kikjo, 822. ſeq. Kimmi kibi, 834. Kimpáku, 912. Kin, 825, 858. Kindeïſj, 788. Kinéri Gaki, 808. Kinfoqua, 862, 910. Kingo, 856. Kin Gommi, 789. Kinkau, 801. Kio, 831. Kjo, 835 Kioh, 895. Kjokuſo, 835. Kjoo, 798, 826, 900. Kik, kikf, kikku, 875. Kino mimi, 832. Kinſai, 875. Kirakoo, 822. Kirì, 859. Kiriſma Tſutſuſi, 849. Kirò, 785. Kiſinſo, 870. Kitz, 801. Kiù, 831. Ko, 811, 834. Koba, 835. Kobus, 845. Kodemariqua, 854. Kofukf, 822. Kogannéguſa, 912. Ko Gikf, 876 Ko gommi, 908. Koki, 831. Kokotz, 781. Koku, 816. Kokuró butò, 832. *Kokwa*, 811. *Ko* muggi, 834. *Kona* ſubbi, 912. *Konbu*, 833. *Konjakf*, 786. *Konjakf* damo, 786. *Konóko* Juri, 871. *Koo*, 836. 891. 897. 900. *Kooki*, 777. *Kooqua*, 910. *Koo* Seki, 888. *Koo* ſjoo, 907. *Koquan*, 840. *Koreì* gikf, 911. *Koſ*, 856. *Koſjoï* Sakira, 799. *Kotai*, 798. *Kſei*, 785. *Ku*, 810. *Kudſi* 840, 856. *Kudſu Kadſura*, 840.

Plantæ Japonicæ:
Kudſune, 840. Kuſkube, 800. Kui Symira, 872. Kuko, 777. Kummiſo, 800. Kurenai, 910. Kureno faſi kami, 826. Kureno Ommo, 825. Kuri, 816. Kuroganni, 796. Kuroggi, 788 Kuro kaki, 796. Kuro mame, 840 Kuro Tſons, 770. Kuro noſji, 908. Kuſaggi, 827. Kuſago, 786. Kus no ki, 770. Kutſjinas, 880. Kuts nawa Itzigo, 787. Kuwa, 788. Kwà 811.

Lauri diverſæ ſpecies, 770. ſeqq. Laurus Camphorifera, ibid. Julifera, 773. ſylveſtris, 905.

Ma, 897. Maatz, 883. Magubi, 909. Maki, 780. Mame, 907. Mamebos, ibid. Mame Tſta, 887. Mantees, 780. Marmeer, 800. Matricariæ diverſæ ſpecies, 876 ſeq. Megga, 826. Midſe, 787. Midſicki, 789. Midſubaki, 900. Midſu ſoba, 835. Miira niira, 831. Mijama ſkimmi, 779. Mijama Tſutſuſi, 849. Mjoga, 826. Mjonga, ib. Miru, 833. Modoras, 790. Mogotto, 799. Mokkſei, 844. Mokokf, 873. Moku ſokku, 891. Mokwurèn, 845. Momidſj, 892. Momu, 798. Momubah, 831. Mondo, 823. 896. Moo, 787.

Plantæ Japonicæ:
Moro, 883. Motſibutz, 912. Motſji Gomme, 834. Motſjno Jone, ib. Mots noki, 907. Mugi, 834. Muk no ki, 799. Mukunge, 858. Muraſacki dake, 898. Muraſacki nori, 832. 784. Muſa 905.

Na, Nagi, 773. Naatsme, 789. Naba, 832. Nadagi, 825. Nadaki, ib. Nadesko, 910. Nadſuna, 897. Naio dacke, 898. Namboku, 770. Namome, 779 892. Nanban Kiwi, 835. Nandin, 776. Nandſjokf, ib. Nankin mame, 836. Nankino, ib. Nankin Sſugi, 884. Nanſoo, 786. Naraje, 911. Nàri figango, 810. Naru fatſi kami, 892. Nas, 800. Naſſubi, 810. Natta mame, 836. Natten, 776. Neburi no ki, 840. Neko fanna, 910. Nemu no ki, 840. Niga dacke, 898. Nindſin, 818. Ninniku, 831, 912. Nintoo, 785. Nippòn Kiri, 859. Nippòn Utſugi, 855. Niſi kingi, 796. Niſji, 818, 822. Niwá guſa, 885. Niwa ſakira, 799. Niwa toka, 787. Niwa tonga, ib. Nodſen Kadſura, 856. No Gikf, 876. Nonawa, 828. Nonigi, 909. 910. Nora mame, 835. No Ran, 863. ſeq. Notſjo, 856.

Plan-

Plantæ Japonicæ:
Numi guſſuri, 777. Nyſimi Motſj 776.
Obacko, 612. Obammi, 798. Obanna, 899. Oguruma, 877. Okina Kogi, 907. Ominamiſj, 885. Omodaka, 827. Omotto 785. Omuggi, 834. Oni Juri, 871. Onimotſj, 775. Onokaki, 807. Oo nira, 831. Ootz, 788. O Ren, 447. 858. Orenj Kadſura, 476. 785. Oſjiroi, 870. Proh tſons 770.
Quackitz, 776. Quai, 827. 841 884. Quai Kakv, 841. Quai Ko, 825. Quanſo, 872. Quanſo Itſigo, 788. Quaquara 781.
Raikin, 800. Rak Siamenſiũ 993. Ran, 863. Rantſjoge, 844. Reedſu, 836. Rei, 197. Rei ko, 800. Rei fuku, 822. Reiſjun, 910 Reki, 716. Ren, 880. Rengjo, 907. Reſo Kjoſa, 872. Ri, 798. 800. 895. Rju, 908. Ri itz, 816. Rin, 900. Rintſjo, 844. Rijuu, 817. Rio, 891. Rioku, 837. Rjotſjo, 856. Rirjo, 785. Rjugan, 817. Rjuku Tſutſuſi, 848. Rjuno fige, 823. Ro, 831. Rok, 837. Rokv Kakv, 833. Roſa, 862. Rotſikku, 898. Ruko, 800. Ruu gambokf 777.
Plantæ Japonicæ:
Sa, 850. Sadſin, 822. Saju jaku, 862. Sakaki, 777. Sakira, 799. Saku Nange, 877. Sákuro, 800. Sakuſetz, 888. San, 831. 883. San boſu, 825. Sandſjoka, 827. Sandſu, 836. Sane Kadſura, 785. San Kakſo, 884. Sankira, 781. Sankitz, 715. Sanſa, 850. Sanſjo, 785. 892. Sanſoo, 912. Santan, 871. Sarfjo, 816. Sarukake banna, 856. Saſadſitz, 899. Saſa, ibid. Saſanqua, 852. Saſio, 888. Saſungi, 836. Saſjébu, 778. Satai Imo, 828. Sátſuki, 849. Sátſuma Sátſuki, 850. Satſuri, 871. Sattodacke, 899. Secki Ji 891. Sei, 897. Sekika, 870. Seki qua, 832. Sekiſan, 872. Sekiſi 832. Sekkinan, 877. Sekitſiku 910. Sen, 912. Senbakv, 780. Sendan, 788. Senfuku, 877. Senninſſo, 885. Senno, 873. Senſjunra, 873. Seo, 892. Seo Kuſitz, 827. Seoſi, 883. Seri, 825. Setz, 900. Si, 805. Siaga, 872. Sjako guſa, 911. Siberi Figu, 831. Sibi, 855. Sibito banna, 872 Sickiſo, 900. Sicku, 808. Sidare Janagi, 908. Side Kobuſi, 845. Sidòm, 808. Sidomi notti, ib. Sijo, 858. Sjirobanna, 885. Sikò, 827. Sikwa, 811. Simmòguſa, 888. Sin, 780. 816. Sini, 845.

Plan-

Plantæ Japonicæ:
Sin *K*adſura,785. Sinkoo,903.
Sinoſa,899. Sinqua,912. Sin
ſan,779. Sin ſiooſ,891. Sin to,
785. Sinu *K*otai,789. Siocku-
ſo,834. Sioku, ibid. Siſai,832.
Si ſjo,833. Si ſo,784. Sitſiſu-
ſoo,886. Sitz,791. Sitz dſju,ib.
Sjaden,912. Sjibatta,907. Sji-
goguſa,872. Sjiko,844. Sji-
ra *K*as,816. Sjira *K*anugi,ib.
Sjirè,870. Sjirò,826. Sjirógi,
779. Sjirói,870. Sjiroo,891.
Sjiro Oo,ibid. Sjirori,811. *S*ji-
ro *S*aſagi,836. *S*jo,895. *S*jò,883.
891. *S*jogei fige,823. *S*jokwa,
811. *S*joo,835. *S*joriku,828.
*S*joo ro,832. *S*ju,875,900. *S*ju-
kaido,888. *S*juki,858. *S*juku,
840. *S*jun,828,850. *S*jurò,898.
*S*jurotſiku, ibid. *S*juſjin,818.
*S*kiguſa,888. *S*kimmi,880. *S*o-
ba,835. *S*obauri,811. *S*odetz,
897. *S*odio,898. *S*ogaiſ,896.
*S*ogai i,823. *S*okio,841. *S*om
818. *S*ombrero de campo,332.
*S*omo,880. So noki,784. So-
noro matz,883. *S*oo,730,788.
Sooni,892. *S*ora mame,836.
*S*otits,897. *S*ſi,801. 808. 911.
*S*ſibi,873. *S*ſibu kaki,808. *S*ſi
noki,816. *S*ſio,770. *S*ſiſèn,873.
Sſitſiku,898. Sſo,911. Sſo Fagi,
845. *S*ſonga,826. *S*ſo ſio,876.

Plantæ Japonicæ:
Suge,900. Sſugi,883. Sſugi
bjakkuſj,884. Sſu momu,798.
Sſuſu kaki,886. *S*ſusſukki,899.
Sui,816. Sui Ro,835. Sui ſin
*K*adſira,858. *S*umire,875. *S*un-
giku,911. Su Ran 864.

Ta,817. Taabi,906. Taabu
no ki,905. Taamo,907. Ta-
cke,898. Tade,891. Tadſu,
787. Tagara Kinſo,826. Tai,
831. Tai ſei,833. Taki,832.
Taku ſitzu,896. Tampopo,
801. Tamu no ki,906. Tan,
832. Tanko,905. Tanna Wat-
taſj,776. Taraio,775. Tara-
noo,886. Tats banna,801.
Tatſj bjakuſj,884. Tecki Tſjo-
cku,845. Tèh,817. Teito,
844. Teka *K*adſura,909. Te
Mariqua,854. Tenka, Tenkja
912. Tenqua,811. Teſſio,897.
Tobè,905. Tobi,886. Tobi-
ra,796 ſeq. Togwa,811. To-
ken,849. Tokoro,827. To-
koro ténguſa,832. Tókunatz,
910. Tokuſa,891. Tokwa,811.
Tori ſaka,833. Too,798.837.
856.859. Toodſu,836. Too-
garas,826. Tooguma,790.
Too *K*ibbi,834. Too ſei,907.
Too Tſiſa,831. Totaíguſa,
896. Tſiku,898. Tſikube,899.

Plan-

Plantæ Japonicæ:
Tſikura ſiba,773. Tſikuſitz, 899. Tſjò,891. Tſioo,887. Tſioſiguſa, ib. Tſjotei, 781. Tſiſà,831. Tſiſù,885. Tſitómeguſa,885. Tſoo ſju, 875. Tſta, 887. Tſta mongira, ib. Tſto méguſa,885. Tſubacki, 850. ſeqq. Tſubó guſa, 888. Tſu gumí guſa, 831. Tſu guſa, 888. Tſke uri, 811. Tſubanna,899. Tſuge,781. Tſukne Imò, 828. Tſus no ki,769. Tſutſuſi,845,848. ſeq. Tſwa, 827.
U,828. Udo,826. Uikio,825. Ukinguſa,900. Umà, Uma Biju, 831. Umà buſuki, 828. Umbatz, 800. Umè, 799. Umebos, ibid. Ume madakku, 789. Unò fanna, 909. Urukki, 897. Urus, 791. Uruſ no ki, ibid. Uruſjinè, 834. Utſu boguſa, 897. Utſugi, 854. ſeq. Vernicifera arbor hortenſis, 791. ſeq. ſylveſtris, 194. ſeq. Vis 817.
Wan, 835. Wanhom, 901. Waribi, 912. Waſi, 834. Waſri guſa 872.
Podagræ curatio per moxiburium 595
Poëtarum Perſiæ illuſtriū *Hafès* & *Saadì* ſepulturæ, 366 ſeqq. eorum ſcripta magnâ apud Perſas in æſtimatione, 375 ſeq.
Prandii ſolennis apud Regem Perſ. apparatus 244 ſeqq.
Præfectus cuſtodiæ & excubiarum in civitatibus Perſ. 141
Præfectus ſummus armorum ap. Perſas 72 ſeq.
Prætores civitatum Perſ. 141
Pretium paropſidum aurearū, ſupellectilium & cimeliorum Regis Perſ. 249 ſeq.
Primas regni Perſici. Vid. *Athemaad Dauleth.*
Provinciarum in Perſ. Directores 134 ſeqq.
Pyru Reſà Sti Mahhammedani ſepulchrum 263.

Q.

Quæſtor Legatorum eccleſiaſticorum in Perſ. *Vaſiri mokuſaat*, 99. Quæſtor legatorum privatorum *Sedr memalìk*, ibid. Quæſtor legatorum Regiorum *Sedr chaſeh*, 100.

R.

Rameſaan. Jejunii feſtum ap. Perſas 160 ſeq.
Reges Perſarum antiquiſſimi, 327.

327. eorum ſedes ac Regiæ rudera 325
Regis Perſiæ effigiem pingere nefarium eſt, 45. Ejus ſeſſio & habitus in Audientia, 226 ſeq.
RegniPerſici amplitudo & limites, 7. hoſtes & vicini, 76. ſeq.
Regum Perſiæ poteſtas abſolutiſſima, 4. ſanctitas genitalis, ib. ſubditi obedientes, 5. Tituli & honores, 6. manſuetus animus, 8. origo ex *Suffis* ſive theologis, ib. obſcura nativitas, 15. inſtitutio indigna, 17 ſeq. hodierna ſedes 176 ſeqq.
Regum Perſiæ reditûs, 90. ex dominiis, ib. ſeq. ex vectigalibus, 93. ſeq. ex ſtrenis & muneribus, 95. ex mineralibus, ib. ex lupanaribus, hoſpitiis &c. 96. ex bonis confiſcatis ibid.
Religionis Perſarũ ſenior *Sjeich el Islam*, 101. *Reſaan* Imami celebre in Perſ. mauſoleum, 109. in quo cœcos viſum recuperare jactitant ibid.
Rhadarì, cuſtodes viarum in Perſ. 142 ſeq.
Roſa Sjiraſenſis fragrantiſſima, 393 ſeq. Oleum fundit in deſtillatione pretioſum 374
Rudera diluvii Moſaici in Europâ, 427 ſeq. in Perſiâ, 428 ſeqq. Arca Noæ, 228 ſeq. conchylia marina montis Caucaſii, 430. conſtructio montis *Guliſtaan* per accumulationem facta, 432, ſeq. montes maximâ diſtantiâ divulſi, 434. oſtreæ margaritiferæ procul à ſinu Perſico, ibid. ſeq.
Rudera Perſepolis antiquæ, 297 ad 353. Regiæ ſedis monarcharum 325 ſeq.
Ruſeberaad feſtum Perſarum, 160
Ruſtaam apud Perſas quis 307. ejus ſimulacra in montibus campi *Merdeſt*, 305. ſeqq. in monte campi *Sjubaſàr* 361.

S.

Sabii ſ. Chriſtiani S. Johannis Baptiſtæ, 435. ſeqq. nominis origo, 436. ſeq. Gentis origo, 438. patria primæva, ib. hodierna, 439. habitus, ib. lingua, ib. ſeq. ſcriptura 441
Sabiorum opinio de creatione mundi, 442 ſeq. de Deo, 443. de Angelis, 444. de vitâ æternâ, ib. de Sanctis, ib. ſeq. ritûs Eccleſiæ: Sacerdotum ordines, 445. dies feſti, 446. puri-

puritas legalis, ib. ſeq. Baptiſmus, 447 ſeq. Infantum, 448 ſeq. adultorum, 449 ſeq. Euchariſtia, 451 ſeq. matrimonium, 452. Immolationes 453
Sacrificii Abrahamitani feſtum ap. Perſas 211
Salamonis petra 308
Salamonis matris templum, 354 ſeqq.
Salaria Regi Perſ. miniſtrantium 97
Salina ad peninſulam Mediæ celebris 284 ſeq.
Sanguis Draconis ex fructibus Palmæ coniferæ, 55 ſeqq. Plantæ deſcriptio botanica, 554 ſeqq.
Scripta *Hafès* & *Saädì* magnâ in æſtimatione apud Perſas 372 ſeq.
Scriptura Perſarum 145
Sedr, ſummus Juris, religionis & bonorum Eccleſiaſticorũ interpres in Perſiâ 98
Sepulchrum equi *Gaſèl* in Regiâ Perſarum 299
Sepulturæ illuſtriũ Perſiæ Poëtarum 366 ſeqq.
Sepulturæ Regiæ in petris antiquæ Perſepolis 312 ſeqq.
Serduuſt quis, vide *Zoroaſter*.
Serr u ten, feſtum Perſarum, 160
Simulacra Ruſtamica rupi Perſepolitanæ inſculpta, 305 ad 325. in rupe campi *Sjubaſàr* 361
Sinûs Perſici deſcriptio, 763 ſeq.
Sjaïr ſ. vates ap. Perſas, 738 ſeq.
Sjamachia urbs Mediæ, 262 ſeq.
Sjeich Ali chaan, Primas Regni Perſ. 67 ſeqq. ejus patria, 67. ætas, ibid. virtutes, ibid. ſtudium 68. auſteritas, ib. religio, 69. in Europæos affectus ibid. reſponſum ad petitum Legatorũ à Chriſtianis Principibus ibid.
Sjeich Chodſja Hafès laus & ſepultura 368 ſeq.
Sjeich Saädi Sjiraſì laus & ſepultura 371 ſeq.
Sjeich Sephi ad ſolium Perſicum viam parat nepotibus 9
Sjiaï, Secta Perſarum 147
Sjiraſì urbis laus & deſcriptio 366 ſeqq.
Sjubaſàr, ſ. campi novæ Perſepolis deſcriptio 354 & 366
Solymanni Regis Perſ. facies, 43. veſtitus, 44. educatio libera, 46. valetudo adverſa, ib. crebra cum fœminis deambulatio, ib. ſeq. prima prodigalitas, 47. pediſequa avaritia, ib. ſeqq. libido, 49. ſeqq. comitas, 51. clementia, 52. iracundia, 54. Juſtitia, 65. pacis amor,

mor, ib. ſeq. fœderum fideiq́ cuſtodia, 56. pietas, 57. ſuperſtitio, ib. Tranquillitas 60
Solymannus Rex Perſiæ conjugem ex joco interimit, 59. præcipitem dat amaſiam, 54. rapit virgines Armenas, 50. Divanbecum excœcat 54
Sonni, Secta Turcorum, 148 ſeq.
Spadones ſunt Perſarum Regis Conſiliarii 206
Sperma ceti 636
Statio ſ. *Menſil* apud Perſas 727 ſeq.
Succinum 637
Sulthani qui? 139
Symbola urbis *Iſphahani*, 286 ſeqq.
Syndici civitatum Perſ. 141
Syrupus è dactylis 712 ſeqq.

T.

Tabacum, herba eſt venenoſa 640. fumandi modus varius 640, 642
Taadſj, Diadema Regum Perſ. & pileus Aulicus, 44. ſeq. quo teguntur Turci atrienſes, 71. ejus ſolennis collatio 241
Tachta Sophà, prædiolum montanum Regis Perſ. 195
Talaar quid? 177
Tamerlanis ſ. Timuri proſopographia, 9. de eodem narratiuncula 10
Tekjeh quid? 112
Templorum Perſicorum ſtructura, 106. ſeq. templorum expurgatores ib.
Terebinthus ſeu *Diráchti wen* montis *Bennà*, 413. circa *Majin*, ib. ſeq. quæ duplex, 414. ejus pila balſamica ib.
Terebinthinæ collectio, 414. multâ maſtiche ſcatens, 415. ſpiſſandi ratio, ib. Liquidæ nullus in Perſia uſus, 416. ejus uſtio pro colore nigro, ibid. fructuum (piſtacearum ſylveſtrium) uſus ib.
Theæ (*Tſja*) Japonenſis hiſtoria, 631 ad 665. Plantæ nomen, 608. Inventor *Darma*, 608 ſeq. deſcriptio botanica, 665. ſeq. deſcriptio prolixior, 610 ſeq. cultura, 612. foliorum collectio, 613 ſeq. differentia, 614 ſeqq. præparatio per uſtionem, 617 ſeqq. conſervatio, 620. ſeqq. uſus, 624. ſeq. virtutes, 625. ſeq. vitia, 627. ſeq.
Theæ differentiæ: *Fiki Tſja*, ſeu primæ collectionis Thea nobiliſſima, Sinenſibus dicta *Teh Buh*, 614. *Too Tſja*, ſeu Sinenſium more præparata Thea, ejusq́ pretium, & quadruplicis bonitatis differentia,

tia, ib. ſeq. *Ban Tſja* ſeu ruſticorum & ultimæ collectionis Thea, 615 ſeq. *Udſi Tſja*, ſeu Thea cæſarea, ejusque collectio & grave pretium 116 ſeq.
Theæ parandæ & in ſympoſiis prælibandæ ars 625
Theriaca Perſarum 643 ſeq.
Thermæ Perſicæ *Churchù*, 420. Thermæ *Salaa Kuſteh*, ibid. *abi baad*, 423. *abi chaar*, i.e. fontes aſinini, ibid. ſeq. *abi germ Ginaù* 425
Theſaurarius ſacrorum in Perſ. *Muteſaddi mokufaat* 99
Torpedo Sinûs Perſici, 509 ſeqq. facultates 513 ſeq.
Tripudia ſerpentum in India or. 565. ſeqq. tripudii actus, 566 ſeq.
Tritura quomodo fiat in Perſide 682
Turk, Turkeſtaan, Turkimoon, quid? 12, 70
Turkorum in Perſiâ vita paſtoralis, 12. vires & auctoritas, ib. 70
Turris cornuta in Regiâ Perſarum, 286 ſeqq. extructionis hiſtoria 289 ſeq.

V.

Urbis antiquæ Perſepolis deſcriptio, 301, ſeqq. *Sjiraſi* ſeu novæ Perſepolis deſcriptio 366 ſeqq.
Urbium præfecti in Perſ. 134. ſeqq.
Uſtio corporis, ſanitatis causâ, vide *Moxa*. urendorum locorum tabula & regulæ, 60 ſeqq.
Uvarum vini feracium copia & varietas in *Sjiraſo* urbe Perſidis, 375 ſeq. ſucci in uvis copia, 376. pretium uvarum, ib. uſus varius 380
Vaſiri ap. Perſ. qui? 139
Venatio Regis Perſ. pœnitenda 54
Venenum Macaſſarienſe, 575. ſeq.
Venti ardentes in Perſide, 382, 671 ſeq. 721. eos declinandi remedium, 382, 671. liquores ab iis refrigerantur 672
Vernicis Perſicæ deſcriptio, 276. Japonicæ collectio & præparatio, 793. Siamenſis collectio 793
Vicorum præfecti in Perſ. 142
Vini Sjiraſenſis qualitates, 879. conſervatio, 380. copia, ibid. transvectio, 878. ſeq. confectio 376
Viperæ *Cobras de cabelo* deſcriptio, 565. ejus exercitatio & aſſuefaciendi ratio 569 ſeq.

Viperæ quomodo priventur veneno, 570 ſeq. veneni locus, 571. notabilia de veneno, 472 ſeq.
Vitium Sjiraſenſium ſpecies & varietates 374 ſeqq.
Viverra ſ. *mungo* 574.

W.

Walfahrten ſ. peregrinationes religioſæ Perſarum 154 ſeqq.
Wahrzeichen der Städte 286
Wolga flumen ingens, Caſpium 80 oſtiis influens 256

X.





Xenodochia Perſica, 729 ſeqq. eorum ſtructura, 732. inſcriptiones & ſymbola hoſpitum parietibus inſcripta, 735 ſeq.

Z.

Zoroaſter quis, 317. ejus religio, ib. ſcriptura 332.

Errata.

Pag. 2, poſt num. 5, inſere: *Duces militum &.* ibid. num. 8, poſt ſprituales: *Ædificia ſacra.* p. 4, lin. 4 à fine, pro Pontificialis, lege *Pontificalis.* p. 10, l. 10, pro acceptâ, *acceptô.* p. 30, l. 8, pro ſex, lege *octo.* p. 36, l. 18, poſt voc. unus, inſere: (*valens Abaſſos 5, ſive Mamudi 100, ſ. Sjai 200*) ibid. pro ſeptendecim, lege: *duodecim cum dimidio.* p. 38, l. 4 à fin. pro Mareſcalli *Mareſchalli.* p. 39, l. 18, poſt Orduu attulerat, inſere: (*vox notat locum, in quo commoratur Aula*). p. 54, l. 13. omiſſa in marg. vox *Iracundia.* p. 90, l. 2, pro deliquentes, lege: *delinquentes.* ib. lin. 7, pro uumero, *numero.* p. 94, l. 4. pro eò, *eô.* p. 97, l. 4, pro cumeandem, *cùm eandem.* p. 103, l. 16, pro inſpicas, *inſpicias.* p. 120, l. 3, in marg. pro oduliorum, *eduliorum.* p. 125, l. 19, pro milliones, *millia millium.* p. 129, l. 2 à fin. pro ingne, *igne.* p. 132, §. V. l. 1, pro oſſicinis, *officinis.* p. 145, l. 1, omiſſa in marg. vox: *Scriptura.* p. 148. l. 16. pro شاقعي lege شافعي. p. 151, l. 1, poſt novem, adde: *quos ſupra recenſuimus Rel. VIII. §. 2.* p. 166, l. 16, pro Marbuun, lege *Maarinuun.* p. 169. l. 10. pro exhihibent, *exhibent.* p. 178, l. 5 à fine, pro incruaſtto, *incruſtato.* p. 182, l. 14, pro multls, *multis.* p. 185, l. 5 à fin. pro puvillorum, *pulvillorum.* p. 190, l. 16, pro documuncula, *domuncula.* p. 202, l. 4,

l. 4 à fin. pro impetata *impetratâ.* p. 211, l. 6, omiſſæ in marg. voces: *Hiſtoria celebrati ſacrificii.* p. 214, l. 2, pro interdictio, *interdicto.* p. 220, l. 3 à fin. pro ſines, *fines.* p. 238, l. 4, pro reſponſoris, *reſponſoriis.* p. 245, l. 2, pro Expectabant, *Stabant.* ib. l. 3. pro expectantibus, *expectabant.* ib. l. 20, pro minſtros, *miniſtros.* p. 252, num. 4, pro inſculta, *inſculpta.* ib. num. 8, pro Onopoia, *Onopœia.* p. 253, l. 2, deleatur *comma.* ibid. l. 9 à fin. pro filium lege *filum.* ib. l. 4 à fin. pro extantiâ, *præſentiâ.* p. 254, l. 20, pro creduii, *creduli.* p. 275, l. 17, pro limpidatis, *limpiditatis.* p. 277, l. 18, pro pene, *penè.* p. 297, l. 6 à fin. pro Relatio VI, *Relatio IV.* p. 300, l. 3, pro temore, *tremore.* p. 303, l. 8, à fin. pro Perſopolitanam, *Perſepolitanam.* p. 360, l. 14, in marg. pone: *Memorabilia montis.* p. 370, l. 19, pro cæmeterii, *cœmeterii.* p. 375, l. 3, pro ſinificat, *ſignificat.* p. 397, l. 15, pro Momitius, *Manuche.* p. 414, l. 16, pro faltem, *ſaltem.* p. 410, l. 15, poſt obtinui ponatur punctum, & incipiat nova periodus. p. 412, l. 4 à fin. pro Abyſſinâ lege *Habeſſinâ.* p. 436, l. 7 à fin. pro ſideliter, *fideliter.* p. 438, l. 7, pro Aabeſſinorum, *Habeſſinorum.* ib. l. 11 à fin. pro ſirmabant, *firmabant.* p. 441, in fine §. II. addatur: *unà cum ſcripturis vicinarum gentium, ut differentia pateſceret.* p. 457, l. 5, pro Jaleauzien / Jalouzien. p. 474, l. 8 à fin. poſt characterem pone: *Sjuki*, vulgo *Kooſò &c.* p. 476, ante lin. 1, pone:  *Kenkoo, vulgò.* p. 480, l. 15, pro ſiugulas, *ſingulas.* p. 486, l. 18, pro noſtrum, *noſtrûm.* p. 487, l. 7 à fine, pro abudat, *abundat.* p. 502, l. 9 à fin. pro omnium, *omni.* p. 511, l. 10, pro acutiſſiimis, *acutiſſimis.* p. 520, l. 5 à fine, pro perſimlem, *perſimilem.* p. 570, l. 2, pro aliii, *alii.* p. 580, l. 16. pro vipero, *viperâ.* p. 608, corrigatur numerus paginæ. p. 614, l. 11 à fin. pro ſundi, *fundi.* p. 646, l. 7, à fin. pro denno, *denuo.* p. 649, l. 13 à fin. pro erodandantur, *erodantur.* p. 671, l. 11, in marg. pone: *Venti ardentes.* p. 706, lin. 10 à fin. pro irnptionem, *irruptionem.* p. 735, l. 3, à fin. pro dlverſorium, *diverſorium.* p. 773, l. 6, pro petioſam, *pretioſam.* p. 780 in fine, pro lignum, *cujus.* p. 879, l. 19, ante Naatsme, pone:  *Soo, vulgo.* ibid. lin. 20, poſt voc. magnitudine, adde: *per maturitatem croceo.* pag. 791, lin. 3, pro charactere  ſubſtitue: . p. 827, lin. 8, pro foiio, *folio.* p. 833, l. 6 à fin. pro obſonis, *obſoniis.* p. 848. l. 4 à fin. pro celeblis, *celebris.* p. 853, l. 5 à fin. pro ſtamibus, *ſtaminibus.* p. 859, l. 4. à fin. pro Antirhini, *Antirrhini.*

rhini. p. 861, l. 10, pro in ſcriptis, *inſcriptis.* p. 876, l. 3 pro charactere mutilo ſubſtituatur integrior 腸雞. p. 817, l. 1, pro charactere 榧 ſubſtitue: 椎. pag. 844, l. 8 à fin. poſt voc. rubro, adde: *Pomi noſtratis, calyce quinque labiis rotundis in herbeo rubentibus, ſtaminibusque incarnatis plurimis* (20, 30) *decorato, in fructum carnoſum excreſcente.* pag. 868, l. 2. pro incurvâ & cylindraceâ, *incurva & cylindracea.* ibid. lin. 3. pro ſcatente, *ſcatens.* pag. 886, lin. 16. pro quòd, *quæ.* ibid. poſt verticillum, adde: *ſive nolam.* In Indice poſt voc. O Ren, pro 447, *474.*

4279